












With autograph of Rev. John Mitford
Editor of "Gentleman's Magazine"
Lond. † 18[illegible]

Contains discussion on
Apollonius of Tyana

IO. LAVRENTII A MOSHEIM


ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
CANCELLARII
REL.

COMMENTATIONES
ET
ORATIONES
VARII
ARGVMENTI

COLLEGIT
NONNVLLAS EX SCHEDIS
PERILL. AVCTORIS
RECENSVIT ET PRAEFATVS EST

IO. PETRVS MILLER
A. M.
SCHOLAE HELMSTAD. RECTOR ET COENOBII
MARIENTHAL. SVB-PRIOR.

HAMBVRGI
SVMTIBVS CHRISTIANI WILH. BRANDT.
MDCCLI.


THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
81250
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
1897.

VIRO
ILLVSTRI ET CONSVLTISSIMO
IOACHIMO THEODORO
LICHTENSTEIN
I. V. D.
SERENISSIMO DVCI BRVNSV. ET LVNEB.
A CONSILIIS AVL.
NEC NON
CIVITATIS HELMSTAD. PRAETORI
ATQVE
VIRO
CONSVLTISSIMO ET AMPLISSIMO
CHRISTOPHORO
ISENBART
I. V. D.
FACVLT. IVRIDICAE IN ACADEM. IVLIA
CAROLINA ASSESSORI
IN SVPREMO ITEM DICASTERIO DVCALI
QVOD WOLFENBVTTELI EST
ADVOCATO ORDINARIO
ET CIVITATIS HELMSTAD. CONSVLI

LIBRVM HVNC

D. D. D. D.

IO. PETRVS MILLER.

VIRI ILLVSTRIS,

CONSVLTISSIME ET AMPLISSIME,

PATRONI OPTIMI.



Duplex fere huic litterarum generi ratio esse solet proposita. Quarum prima, ea scilicet, quae ad libri

 secu-

ſecuritatem pertinet, ob illuſtre au-
ctoris ſui nomen, minus me nunc agi-
tat, quam altera haec, quae, bene de
nobis meritis gratiam referre, et piam
offerre mentem, praecipit. Quare
hanc inprimis hic ſequũtus fui, et
ſponte id quidem, et non vna ratio-
ne incitatus. Quodnam enim au-
ſpicatius pagellis hiſce principium
quaeri a me potuiſſet eo, quod a lau-
de magnorum in rem publicam me-
ritorum ducitur, quae cum ſint prae-
clara in ſe, et illuſtria in ciuibus, tum
autem in exemplum propoſita, de-
cus ſuum et vſum, multo, quam ante,

latius diffundere cernuntur. Quid enim eſt, quod impediat, quo minus id prae me feram, VESTRAE prudentiae laudem non ſolum me nuper pertraxiſſe iterum ad Vos, ſed ipſum illius adſpectum effeciſſe, vt non ſine voluptate in optima hac ciuitate fuerim huc vsque verſatus. Nam vt ab iis, quibus me inprimis ornare voluiſtis, VIRI ILLVSTRIS atque CONSVLTISSIME, diſcedam beneficiis, (ne noua ſcilicet aucupari videar commemoratione acceptorum) illa certe, quae cum pluribus mihi ſunt communia, honeſtius enarrare,

quam reticere, mihi videor. Ex quorum genere cum illa ſit, ſine qua nulla eſſe poteſt, inter tot vnius corporis membra, firma quaedam colligatio, aequa ſcilicet et caſta iuris religio, tum hanc, quam primam vobis ſcripſiſtis legem, qua laude ornabimus: parum loci externae vi et poenis in ciuitate eſſe futurum, ſi, quod cupitis maxime, inteſtina humani generis mala, vera in DEVM T. O. M. pietate, eneruata et paene ſublata fuerint. Id vero curare cum inprimis ſit venerandorum Euangelii praeconum, et item eorum, qui-

bus

bus tenerae mentes informandae ad omne virtutis decus traduntur, igitur cum illis communes ſuſcipitis deliberationes, horum vero conſilia, vt quaeque optima videntur, ita benigniſſime et accipitis, et veſtra publicaque auctoritate fulcienda iudicatis. Atque in his praeclaris rebus, qui meliores ſequi Vos, Patroni Optimi, rationes queatis, quam eas, quas paterna Serenissimi Caroli cura Vobis ſuggerit: cuius, vt communis patriae ſpiritus, vtinam immortalis vita, aeque ac gloria meritorum futura ſit!

Reliquum eſt, vt ſupplex praeſens praepotensque DEI numen venerer, vt VOS, viros de patria optime merentes, ad reipublicae clauum tam diu ſedere iubeat, quoad ipſi VOS VESTRIS votis ac ſtudiis atque adeo VOBIS IPSIS ſatis feceritis; ex hac autem ſtatione euocatos aliquando ipſa recordatione rerum bene geſtarum et copia praemiorum beare dignetur, ſi quidem, vt ait CICERO, *omnibus, qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint, certus eſt in caelo et definitus locus, vbi beati aeuo ſempiterno fruantur.* De qua futura

meſſi

messi dubitare, sacra diuini codicis nos oracula vetant. Sed iam sollenni quasi formula huncce VOBIS libellum trado, meque adeo ipsum: illo Vos aliquantulum recreatum iri ex desiderio istius ingenii, cuius ille fructus est, spero, me vero, quo nemo vnus Vos maiori pietate obseruare potest, et scholam nostram, vt VESTRO patrocinio porro foueatis, *non* quod dubitem, sed quia pietas erga hanc vrget, etiam Vos atque etiam oro et obsecro. Ita valete, VIRI ILLVSTRIS ac CONSVLTISSIME, magno rei cum publicae tum priuatae emo-


emolumento. Scrib. Helmſt. vigil. IV. Paſch. CIↃ IↃ CC LI.

ILLVSTRIVM VESTRORVM NOMINVM


addictiſſimus cliens

IO. PETRVS MILLER.

LECTV-



LECTVRIS
SALVTEM.



Quum nos quidem ante tempus aliquod commentationes illas, quas de rebus varii argumenti, vernacula lingua, conſcripſerat vir illuſtris, Io. Lavr. a Mosheim, vno faſce comprehenſas, * Tibi, benivole Lector, traderemus, maiori forte, quam opus erat, loquacitate, principes conſilii huius cauſſas expoſuimus. Dicebam ſcilicet ibi pro me, dicebam pro eo, cuius ſumtibus liber typis deſcribebatur, viro de bonis litteris bene merente. Sunt autem duo omnino iſtius vel defenſionis vel excuſationis capita, quae paucis hic mihi repetenda videntur. Quid enim opus eſt, cauſſam longius perorare, vbi nullus ſit, qui in ius vocet, qui crimi-nis

* Inſcripſi: *Herrn* Io. Lor. *von* Mosheim *teutſche vermiſchte Abhandlungen etc. etc. nebſt einem ausführlichen und vollſtändigen Verzeichniſſe aller übrigen Schriften deſſelben. Hamb.* 1749: *in* 8. 34. *plag.*

nis vllius reos nos agat, quique vllis nos, quantum quidem ſcio, verbis ad pugnam laceſſierit; aut quid quaeſo ad commendandum hoc Συνταγμα proderit, lectores, ſummi MOSHEMII audiendi auidiſſimos quaſi in Poëcilis huius veſtibulo, incomto moleſtoque ſermone morari?

Primum igitur, vt ſum animo tardo et timido, ita verebar, ne peius forſan nonnulli meum hoc omne propoſitum interpretaturi ſint. Ex quo factum eſt, vt non niſi pedetentim, et omnia circumſpectans pericula, in hunc campum deſcenderim. Obuerſabatur ſcilicet ob oculos periculum illorum in litterarum republica ciuium, qui, quum vel naturae, vel ſuo quodam vitio eo ſterili ſint ingenio, vt, cum nullos ad communem vſum ac delectationem efferant fructus, in alienam meſſem inuolent, ac diſtribuendis vndecunque arreptis frugibus, famam nominis, ſudore alieno, redimant, et conſequuturos ſe eſſe, ſibi perſuadeant. * Fauet quidem haud raro dulci errori aliorum iudicium, fauet credula in noſtra ciuitate plebs, fauet et ex parte grata mens eorum, qui, quidquid boni oblatum fuerit, laeti id accipiunt, nec, per quem illud traditum ſit, diu inquirunt. Ego vero cuiquam minus, quam

* Nam
— Pulchrum eſt digito monſtrari, et dicier,
HIC EST. PERS. *Sat.* I.

quam Flacci Celso ſimilis eſſe velim, qui monitus, multumque monendus:

Priuatas vt quaerat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo:
Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum,
Furtiuis nudata coloribus.

Falluntur perſaepe ii inſigniter, qui, quae ipſi probant, quaeque in deliciis habent, ea aeque omnibus accepta fore, exiſtimant. Sunt enim quot capita, tot quoque ſenſus et hominum de eo, quod in quaque re eximium et pulchrum habetur, iudicia. Ineſt vero etiam in foetibus a ſummorum ingeniis virorum editis, neſcio quae natiua et excellens gratia, visque pulchritudinis mirifica, quae allicit ad ſe, quin rapit animum noſtrum, quaeque efficit, vt effliƈtim eos diligamus omnes, et ab eorum leƈtione aeque difficulter, atque ab amicorum ſuauiſſimo complexu, diuellamur. Raram hanc felicitatem, quae poſt veterum Graecorum ac Romanorum monumenta conſequuta ſint, perpauca ex omni aetate nominare licebit. Ego itaque ſi meum tantum in edendis libris conſilium ſequi vellem, eam forte interdum eruditis mercem obtruderem, quam paullo poſt piperis et ſeſami venditoribus iratus emtor traderet. At cum nunc quidem

dem illarum Dissertationum, quae dispersae si occurrant, placent magnopere pluribus, fasciculum eruditis offeram, nullus dubito quin vnita haec doctrinae et pulcritudinis vis ingentes sui sit omnium amores excitatura. Nec vereor, ne quisquam ei liberali industriae vehementius irascatur, quae, quas potuit, diuitias publici iuris fieri omnes voluit.

Caussam meam vtcunque ornaui. Restat nunc, vt pro bibliopola quoque, viro honestissimo, verba faciam. Etsi hoc eo magis superuacaneum multi arbitrabuntur, quo minus ab illius probitate quidquam, exspectauerint, quod, non dicam homine Christiano, sed ne aequi quidem iustique amante ciue, dignum est. Sed dicam tamen: at tribus verbis. Vnam et item alteram Reuerendissimi Moshemii Dissertationem hic et illic dispersam anquirimus, in vnum cohortem cogimus, et iunctam cum sororum aliquibus in publicam lucem denuo prodire iubemus. Reuocamus quasdam ex illis locis, in quibus, quasi in altero illo Poëcili variorum simulacra ingeniorum ad tempus aliquod reponuntur, et, suum artifici opus iterum vindicamus. Praefationes denique aliquas iis comites adiungimus. Sat male? Minime id quidem. Reuocamus enim lectoribus, et quidem multo pluribus et nouis etiam, eas laudes in memoriam, quas aucto

auctor illarum libris istis tribuit, quibus patroni et praecones datae primum illae fuere. Nullo ergo suo ornamento vendibilem mercem priuamus. Nihil, quod alterius est, cuiquam subtrahimus, sed, cuius operis vsus latius patere debet, id cura nostra in plures manus venire volumus. At quid ago? patronum? vbi vero reus, vbi, qui in ius vocet? Cum laruis depugno, quae φιλαιτιῶν ars esse assolet et consuetudo. Conticuère omnes.

His duabus partibus omnis ibi a me caussa tractata fuit. Reliqua imis, quod aiunt, labris tantum attingam. Quod ad *notas* attinet, praeter illas, quas ipse summe venerabilis auctor lucis maioris caussa adiecit, et inde a me sparsas, et nota (M.) distinctas ab illis, videbis.

De iis rebus, quas in me recepi et summaque fide praestare debui, taceo, quod haud satis verecunde atque caute de eo, quod nostra effectum opera est, dissserimus homunculi. Dedi autem omnem, quae iure postulari a me potest, operam, omnesque oculorum neruos intendi, vt typotheta primam formam curate imitando exprimere queat. Vbi vero cunque ab illa lapsus est atque recessit, ibi humanae oscitationis memorem te esse debere, suo exemplo homo docuit. Illud tamen ipsum ne accideret, cauit eruditi hominis vigilantia, qui absente me sphalma-

tum tollendorum onus imponi ſibi paſſus fuit, cuiusque induſtriae *Indicem* quoque debemus, quo aeque incommode liber hicce caruiſſet, atque domus variis multisque rebus inſtructa, clauibus.

Ex conſpectu tuo et ſuaui commercio vt nunc diſcedam, a me impetrare aegre, Lector amice, poſſum. Patere igitur libenti animo, vti me hac felicitate ſponte oblata, non a me extorta aut anxie quaeſita. Vtar, non abutar patientia, diſſeram, non garriam, te arbitro, de re quapiam, quae, quam acriter diu me multumque vexauerit, dicere iam pluribus nil attinet. Cum amicis res mihi eſt, cum veri rectique ſtudioſis bona fide agendum. Quid ergo haeſito? quid tego? quid ambages multas quaero? Pauca tantum, (plura enim excreſcens libri moles non permittit) pauca inquam, in medium proferam, quae ad difficillimum iſtud πρόβλημα ſpectant: *Num pie ſatis ac tuto* MIRACVLA, INTER INFIDELES GENTES *patranda, hodie quoque exſpectari a nobis queant?* Nihil in hac ardua quaeſtione ipſe definiam, conſtituam nihil: interpretem, non iudicem, acturus. Exponam ſcilicet, quanta fieri poterit perſpicuitate, rationes eas, quae in vtramque partem diſputari poſſunt. Producam autem eas tantum in aciem, quae ſponte ſua animo cogitanti hac de re ſeſe,

obtu-

obtulerunt, ab aliis nullas in auxilium vocare potui, cum neminem, qui de ea data opera egerit, ego quidem ſciam. Audaciae, aut rebus nouis placendi prurituí, caue, oro te, tribuas illud, quod bono conſilio feciſſe me, DEVM immortalem teſtor. Omne praeterea penes Eccleſiam hac de re eſto iudicium, cuius vt venerandi doctores quid de re non inani ſtatuant, ſignificent, omnino eſſet optandum. Ab hoc vero loco alienam prorſus hanc tractationem eſſe, is certe non pronuntiabit, qui duas de APOLLONIO TYANAEO Diſſertationes in hac Sylloge conſpexerit. De huius enim varii et mirabilis hominis prodigiis, quotusquisque eſt tam mediocriter in monumentis rerum antiquitus in hoc orbis theatro geſtarum, verſatus, qui non vel vmbram quamdam illius viderit? Aut quis rerum omnium tam ignarus eſt, vt neſciat, portenta eius ab amicis et tutoribus fabularum anilium et impiae fraudis cum ipſis ſanctiſſimi Seruatoris miraculis graui multorum damno collata olim fuiſſe et a multis hodie conferri ſolere. Neque temporis inſtituto meo refragatur ratio. Flagrat enim adhuc de miraculorum poſt Apoſtolorum ex hac vita diſceſſum, fide hiſtorica, exortum in Anglia bellum. Auctorem illius Protobibliothecarium Academiae Cantabrigienſis D. MIDDLETONVM, qui ſuperiori anno ex hac Scena diſceſſit,

 eſſe,

esse, res nota omnibus est ac manifesta. * Ait autem vir doctus commentitia esse miracula, quae contigisse post Apostolos, Patrum fide nixi huc vsque credidimus. Videamus, num vtilitatis aliquid ex hac lite deriuari in rem christianam queat, nec irascamur iis iniquius, qui, si humani aliquid experti fuerint, lapsi non fuissent, nisi ingens diuinae gloriae et sacrae ecclesiae studium eos impediuisset, quo minus maiori vel metu vel cura rem ex omni sua parte spectarent, atque ex lenitate animi sui fratres aestimarent. Dicta iam caussa est, viaque ad lectorum animos munita, praemissa sunt, quae praemittere fas esse ducebam, quo facto, nunc multo quam ante liberius in conspectum vestrum prodeamus. Placet

* Signum pugnae dedit vir acerrimus Libro, quem inscripsit: *An introductory Discourse to to a larger Work, concerning the miraculous Powers, which are supposed to have subsisted in the Christian Church* rel. London 1747. (v. *Biblioth. Raisonnée, Tome* XXXIIX. P. II. p. 236.) Quo cum classicum cecinisset, omni sui ingenii vi collecta in bonos Patres impetum fecit opere: *Dr. Middleton free Inquiry into the miraculous Powers, which are supposed to have subsisted in the Christian Church*, Lond. 1749. 4. Cuius vtriusque libri translationem germanicam, examine et refutatione instructam, acuto Philosopho, Celeb. CHRISTIANO ERNESTO A WINDHEIM acceptam debemus.

cet igitur, quoniam omnis diſputatio de Miraculis futura eſt, ante definire, quid ſit MIRACVLVM, qua in re magna eſt hodie cum Philoſophis Theologorum conſenſio. Quum enim illud inter omnes conſtet, eiusmodi in rebus mutationes, quae citra internam earum vim, quam naturam vocant, accidunt, *ſupernaturales* eſſe, tum ad vnum, quod quidem ſcio, omnes MIRACVLVM *ſupernaturalem in ente quodam*, ſiue corpus illud fuerit ſiue ſpiritus, *mutationem* appellitant. Quum vero nihil ſine cauſſa aliqua oriri aut fieri queat, quaedam vero contingant, quorum nulla a ſagaciſſimis naturae conſultorum in vniuerſa rerum natura probabilis ratio reperiri queat, conſequitur, ad primam rerum omnium cauſſam tum maxime reuertendum eſſe, et in voluntatem, ipſius, quaſi in communem rerum omnium fontem, penetrandum. * Otium hic nobis

b 3 fece-

* Quod ad miracula ſummatim pertinet, id ſummo ſtudio collegit, et expoſuit etiam accurate Ven. WALCHIVS in *Lexico philoſophico* v. WVNDER. p. 2960. ſſ. vbi et flagitia nonnullorum, quales ſibi videntur, philoſophorum recenſet p. 2968. ſ. et quae forte omiſſa ſunt; ea peti poſſunt ex b. BVDDEI *Iſagoge* p. 1205. ſſ. vbi aduerſus SPINOZAM, quem in primis violentas manus miraculis intuliſſe, notum eſt, erudite disputat, adductis in aciem auctoribus, quorum virtute debellatus eſt homo audaciſſimus. In re

fecerunt Philoſophi, quare vberiori de miraculis tractationi nunc quidem ſuperſedebimus.

Illud vero cum extra omnem dubitationis aleam ſit poſitum, miracula a nulla alia proficiſci poſſe natura, quam ab ea, quae ab hac rerum, certis limitibus definitarum ſerie, quam mundum appellamus, ſeparata, et legum earum, quibus tota illius moles continetur, auctor exiſtit, * atque adeo ſine cauſſa-

re vbi vis obuia nolumus multi eſſe. Ceterum vix eſt, quod moneam, veteres, vt non omnino erant feliciſſimi naturae interpretes *miraculi* vocabulo fere luſiſſe, eoque rem quamuis mirandam, nouam, aut excellentem, verbo, *portentum* vel *naturae* vel *artis* miraculi nomine inſigniuiſſe. Narrabant tibi pueri eius notae miracula ex PLINII *epp.* VALERIO MAXIMO, et LIVIO. Numerat vulgus ſeptem mundi miracula, et, qui fabulis delectantur, ſitim facile reſtinguent, IACOBI DE VORAGINE *legendis aureis de vitis* S. S. aut iis, quos laudat FABRICIVS *Biblioth. Gr.* Vol. VI. L. V. p. 509. ſſ. Vellem legerent omnes accurate de euentu naturali et ſupernaturali diſputantem CICERONEM L. II. de *Diuin.*

* Placuit quidem ſummis quibusdam viris, et hos inter nominatim SAM. CLARCKIO, addubitare, num quaedam ex IESV CHRISTI miraculis et Apoſtolorum ipſius *αμεσως*, an vero potius interueniente genii cuiusdam praeclara virtute effecta fuiſſe, commodius dici queat. At ingenue fateor, facilius me capere, qui v. c. is, qui ex nihi-

cauſſarum, quas vocant, ſecundarum et intermediarii concurſu et ope efficere aliquid poteſt; tum et illud quoque clariſſimum eſt, numen eius non niſi grauiſſimis rationibus adductum miraculis patrandis rerum fluentium curſum turbare. Ex illarum enim conſtantia et ſtatis viciſſitudinibus pulchritudinis vis illa emicat, quae rapit extra ſe animos ſapientum. Tum demum ergo DEVM O. M. maius naturae viribus opus patraturum eſſe, credendum eſt, quando ad magnum quemdam ſcopum non niſi noua via perueniri poſſe, perſpexit.

Id ſi cogitemus, in promtu eſt, quid iis reſpondeamus, qui rationes ex nobis quaerent, quare tam parca fuerit in efficiendis miraculis ante MOSIS et CHRISTI tempora DEVS, contra vero ea tam liberalis, cum hos ambos Prophetarum principes ad mortalium genus ablegaret antiquitus. Scilicet,

nihilo omnia fecit, et voce prolata Lazari animam cum corpore ſuo iterum copulauit, qui is, inquam, caecis viſum reddere, aquam in vinum generoſius mutare, et mare pedibus calcare potuerit. Qui autem natura, ab omni concretione libera, corpus tangere, ambulans in fluido ſuſtentare, aut alio illud quocunque modó mutare queat, id hebes ego prorſus non intelligo. Praeterea, vt tandem ad primam cauſſam rerum omnium deueniamus, neceſſe eſt. Breue ergo iter longiori, et adaequatum principium minus perſpicuo ego praeferrem.

(vt ad Domini noſtri ſtatim accedamus tempora,) cum vnicam ſalutis conſequendae rationem et occulta Dei de illa decreta ad mortales perferret filius ομουσιος, idemque is eſſet, per quem omnis haec felicitas vnice impetratur, tum vero neceſſe fuit, vt nouis quibusdam ſignis ſummum Numen teſtaretur, velle ſe atque adeo grauiter iubere, vt cuncti mandatis filii obediant, neceſſe, inquam, fuit, vt hic ipſe την δοξαν αυτου, ως μονογενους παρα Πατρος conſpiendam omnibus praeberet. Io. I, 14. II, 11. Quod enim vniuerſim de natura diuina hominibus ſciendum atque tenendum eſt, id ſana cuiusque mens ex magnifico ipſius opere, rerum hac vniuerſitate, cognoſcere poſſet, niſi vitio ingenii humani aſſiduitate quotidiana et conſuetudine oculorum aſſueſcant animi, neque admirentur, neque requirant rationes earum rerum, quas ſemper videnti perinde quaſi nouitas nos magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendam Dei maieſtatem excitare. * Quum autem eiusmodi quid hominibus perſuadendum eſt Dei verbis,

* Cicero de N. D. L. II. p. m. 62. Bene Avgvstinvs in *Ioh. Tract.* IX.. *Maius miraculum eſt,* inquit, *gubernatio totius mundi, quam ſaturatio* V. *millium hominum de* V. *panibus.— Illud mirantur homines, non quid maius eſt, ſed quia rarum eſt.— Mortuus reſurrexit, mirati ſunt homines: tot quotidie naſcuntur, et nemo miratur.* cet.

bis, quod non modo rationis captum excedit, sed vagas quoque coërcet et laxatas libidines, tum illis opus est argumentis, quae inueteratis his vitiis fortiora sint, quaeque ipsa nouitate sua excitent ex sopore mortales. Digna profecto naturae domino leges suas manifestandi ratio? Augustorum quidem et Regum imbecillitas pretiosam pompam, exercitum, auri, lapidum, argentique splendorem et vere humanam requirit magnificentiam. Instruant sibi similes legatos hisce vel terriculamentis vel ornamentis; Dei ad genus humanum et reges ipsos ablegatos non nisi diuina praesidia ornant.

Quod enim speciatim ad IESV CHRISTI miracula attinet, ea ita exornata erant, vt iis nihil illustrius, tantaque maiestate, Dei praeterea hominumque amore, fieri potuerit dignius. Vt enim copia illorum naturae eum esse αυτοκρατορα iam testabatur abunde; ita omnia, quae in istis spectantur, et vere illa contigisse,* et hominum tantum bono, clarissime euincunt. Salutaria sunt omnia, noxium nullum.** Corpus morbo excrucia-

 tum

* Veritate miraculorum IESV CHRISTI ipsum plus quam Vatinianum Pharisaeorum odium testimonium perhibebat v. e. c. Io. XI, 47. 48. conf. cap. IX, 16. 32. 33.

** Neque ipsa illa ficus, quam emori iussit dulcissimus Seruator Matth. XXI, 19. ex beneficiorum, quo-

tum liberat, incolumitateque priſtina donat, nulla adhibita medicina; at eodem temporis momento vere caeleſtem ſeſe medicum eſſe, demonſtrat: mentem enim immortalem diuina ac placida hac vi emendat, nouaque luce, diſpulſis miraculoſe errorum et vitiorum peſtiferis nebulis, beat, et cum ſummo bono iterum coniungit feliciſſime. Cuius beneficii exemplum D. Iohannes cap. IV. 49. 50. in regio quodam adminiſtro deſcribit.

Rebus dein, quarum cauſſa homo naſci voluit Dei filius, feliciſſime peractis, paternum ſolium victor recepit, et non multo poſt hoc primum recuperatae maieſtatis ſpecimen edidit Gloriosissimvs Servator, vt effuſo in legatos ſuos ſpiritu ſanctiſſimo facultatem illis traderet, res viribus humanis maiores efficiendi. Ex quo tempore factum eſt,

quorum tota ipſius vita vna ſeries erat, temere eximenda eſt. Primo enim cum ligno ſterili actum eſſe iniquius, ſi potentiae ſuae theatrum illud fieri voluiſſet Iesvs, nemo dixerit: dein vero vt notum erat Iudaeis, prophetarum facta inſolita, ipſa iam vaticinia eſſe, ita docere tragico arboris caſu eos voluit Dominus, bonorum operum ſterilitatem diuinae gratiae priuatione puniri. v. Luc. XIII, 6. 7. et Hebr. VI, 8. adeo verum eſt illud pulcherrimum elogium, quo D. Petrvs elegantiſſimum vitae curſum tribus verbis complexus eſt: διηλθεν Ιησυς ευεργετων. Act. X, 38.

eſt, vt miraculorum ab amicis Iesv patratorum perſonarent omnia. Quin immo, quo maiori ii eſſent auctoritate, qui rem Chriſtianam nondum ſatis ſtabilitam moderari debebant, ſoli illi dona iſta miraculoſa rurſus cum aliis, impoſitis ſuis manibus, communicare poterant, Act. IIX, 15. 18. Extraordinaria hac facultate fideles hi Dei oeconomi adeo non abuſi ſunt, vt ne in periculis quidem ſuis ea vterentur, licet excuſationis ibi eſſet plurimum. Concidit quidem Ananias cum vxore, vt ceteris ſcilicet formidines impiarum fraudum atque exempla periculorum proponerentur. Triſte in vno documentum, in ſexcentis aliis ſalubre exſtitit.

De *Charismatibus* nolumus hic poſt Tobiam Pfannervm, virum eruditiſſimum, et alios, agere. Sunt illorum, quod notum eſt, et nomina et genera varia. Alii enim fidelium extraordinarias animi dotes, vno momento, nanciſcebantur; alii facultatem ſtupendos effectus in rebus aut perſonis extra ſe poſitis producendi, diuinitus accipiebant. Recenſentur in iis 1 Cor. XII, 4. 6. haec:

λογος σοφιας.

Diſciplinae moralis accurata ſcientia. Sapientia enim Hebraeis idem eſt, quod doctrina de moribus 1 Sam. XVI. 18. Eccleſ. XLIV. 6. Epheſ. V. 15. Iac. III. 19.

λογος

λόγος γνώσεως.

Facultas fuiſſe videtur dogmata, a chriſtianis credenda, clare et ad perſuadendum accommodate explicare. v. 1 Cor. XIII. 2. XIV. 6. 2 Cor. XI. 6. 2 Petr. I. 5. illuſtre exemplum Apollos Actor. XIIX. 24. 25.

πίστις.

Heroica illa perſuaſio, fore, vt DEVS ſingulari cauſſa permotus, caelum terramque prius moturus ſit, quam cauſſae ſuae gloriam aut deuotas ſibi mentes negligere videretur. Bene noſtri vocant *den Wunderglauben.* v. 1 Cor. XIII. 2.

προφητεία.

Propheta vulgo eſt homo, qui praeſentit et praedicit res futuras, et quidem determinate, licet diuerſimode contingere illae queant. Verius e contrario et magnificentius de diuinis iſtis viris ſi ſentire velimus, nec multos, qui in N. F. tabulis illuſtri hoc titulo ornantur, illo priuare iniquius, vaticinandi munus partem tantum, et quidem extraordinariam, ſanctisſimi prophetarum officii fuiſſe dicemus. Generatim enim Propheta ſacer homo eſt, qui, afflatu diuino gaudens arcana antea et ignota DEI conſilia hominibus explicat, aliasque res magnas DEI verbis peragat. Quod regis eſt legatus extraordinarius in prouincia, id propheta DEI in eccle-

ecclesia. Quid igitur, inquies, hic per προφητειαν intelligis? facultatem mysteria religionis messianae accommodate, praecipue ex V. T. explicata patefaciendi et alia, scitu Christi ciuibus necessaria, iis vero ante hac incognita. (eiusmodi enim res, et dogmata inprimis, stilo N. T. proprie *mysteria* vocantur.) *

διακρισις πνευματων.

i. e. hominum, qui diuino afflatu excitatos agi se perhibebant. 1 Io. IV. 1. Apoc. II. 2.

γενη γλωσσων.

Act. II. 4. ετεραι γλωσσαι, linguae nouae et variae, vt Marc. XVI. 17. ridiculus error eorum, qui statuunt miraculum fuisse in auribus audientium. v. comm. 28. 30. cap. XIV. 2. 4. 5. 6. 9. 13. et seqq.

ερμηνεια γλωσσων.

1 Cor. XIV. 5. 26. memini, (si recte recordor) CAMPEGIVM VITRINGA in eruditissimo opere, *Synagoga vetere*, edit. *Wollii*, hoc munus explicare. Liber enim mihi iam non ad manus est.

χαρι-

* Vide tamen sis Reuerendiss. MOSHEMII Dissert. *de iis, qui Prophetae vocantur in* N. F. exstat illa in *Syntagm. Dissertt. ad Histor. Eccl. pertin.* Vol. II. p. 126. et patrui nostri pie deuenerandi Dissertationem a nobis Vlmae 1745. defensam: *de vero ac recto significatu vocis* Προφητε, ex profanis maxime asserto.

χαρισματα Ιαματων.
Marc. XVI. 18. Luc. X. 9. Iac. V. 14. 15.
ενεργηματα δυναμεων.
Megalander vertit: *Wunder zu thun*, ſcilicet priſtinae valetudinis reſtitutione maiora miracula, aut hominum ſaltim iudicio difficiliora, qualia ſunt illa fere: reuocare mortuum in vitam, daemonem ſedibus ſuis exturbare etc. Miror, GROTIVM vocem latiſſimam, δυναμις, ad facultatem ſontes puniendi, qua apoſtoli tantum, idque rariſſime et non niſi coacti vtebantur, reſtringere. Generatim enim δυναμεις miracula indicant v. v. c. Matth. XI. 21. Marc. VI. 2. 5. cet.

Iam, quotusquisque eſt tam hebes aut tam impius, qui religionem Chriſtianam diuinam eſſe totam, non cernat, eique gentium doctor grauiſſima minatur ſupplicia, qui hanc de ſalute aeterna conſequenda doctrinam negligit aut aſpernatur, eam ſcilicet doctrinam, ητις αρχην λαβουσα λαλεισθαι δια τȣ Κυριȣ, υπο των ακουσαντων εις ημας εβεβαιωθη, συνεπιμαρτυρουντος του Θεου ΣΗΜΕΙΟΙϹ τε και ΤΕΡΑΣΙ, και ΠΟΙΚΙΛΑΙϹ ΔΥΝΑΜΕΣΙ, και ΠΝΕΥΜΑΤΟϹ ΑΓΙΟΥ ΜΕΡΙΣΜΟΙϹ, κατα την αυτου θελησιν. Hebr. II. 3.

Qui enim cogitauerit, nuntios illius paullo ante, quam haec dona communicata cum ipſis fuere, fuiſſe rudes, timidos, variisque erroribus imbutos Io. XIV. 5. 9. 20. XVI.

12. 13.

2. 13. Act. I. 6. mox vero iis acceptis optimos doctores, et eius quidem disciplinae, quae obscura antea erat omnibus; qui felicissimos eos fuisse medicos sine remediis, victores mali genii et impietatis toti vt tum erant tempora orbi imperitantis, sine armis, qui haec inquam et alia secum reputauerit, diuinos fuisse legatos euangelii nuntios fateatur, necesse est.

Quod si vero nunc omnia, quae huc vsque dicta sunt, colligamus, videbimus, MIRACVLA CHRISTIANAE Religionis fuisse eiusmodi *supernaturales* in rebus definitis producti *effectus*, *qui immediata* supremi *numinis* praepotente *virtute ad confirmandam propagandamque veram* IESV CHRISTI *doctrinam perfecti fuerunt.* Attendamus ad tria adhuc momenta.

I. *Miracula doctrinae caelestis confirmandae caussa tantum fieri*, * *nec sine illa quidquam*

* Quaestionem hanc, *num miracula certa sint veritatis signa?* acerrimi iudicii vir SAM. WERENFELS singulari Dissertatione, quae in *Dissertt. theologg.* Basil. 1718. editis, p. 165. legitur, tractauit. Vicina autem huic quaestio est alia, a multis mire implicata, *num malus genius miracula efficere*, erroris propagandi caussa, inque hominum fraudem, *queat, nec ne?* Quod glaucomata, quae miraculorum speciem mentiuntur, credulis oculis obiicere possit, ipse sacer codex ait Deut. XIII. 1. 2. Matth. XXIV. 24. 2 Thess.

quam prodesse, nisi vt nouo suo iucundoqu
spectaculo oculos pascant. Quod quiden
it

2 Theff. II. 9. Apoc. XIII. 13. XIX. 20. conf
Act. IIX. 8. 9. Mentem nostram tribus verbi
aperiemus, ablegantes lectores ad singularem hac de re Dissertationem in *l'histoire de l'Academie des Inscriptions et belles Lettres*, *Tome* IIX. p. 59. et p. 76. Iacob Serces *Abhandlung von den Wunderwerken* et instar omnium Praeceptoris nostri, Reuerendiss. Moshemii *annotatt. ad Cudworthi System. Int.* Cap. V. Sect. I. §. LXXXVII. p. 866. Repetendum est autem ex supra dictis, 1) nullam naturam creatam legibusque vniuersi subiectam et a Deo plene dependentem, ordinem creatoris mutare posse, nisi id permittat Devs certis de caussis. Notandum 2) est, Devm non permittere, vt eiusmodi dolus prius perficiatur, quam vera doctrina clare explicata, et variis miraculis euidentibus confirmata sit, quod ex locis citatis et bonitate sapientiaque Dei clarum est. Quare nihil nocent fraudes hae piis, probatis et electis Dei amicis, qui credita sibi oracula sancte tuentur omniaque ad Lydium S. S. lapidem exigunt. 3) Permittit autem Devs huius furfuris praestigias interdum, partim, vt fides proborum habeat, in quo vires suas exerceat; vt ii, qui excubias pro grege dominico agere debent, metu tantorum periculorum excitati insomnes se praestent; partim denique, vt ii fraudibus puniantur, qui castae veritati inobedientes fuere, quique profanis gentibus peiores sunt, a Satana vt illae, agitentur vexenturque.

ita verum eſt, vt nihil clarius eſſe queat, ſiue ſapientiam diuinam, ſiue expreſſa ſpectes ſacrorum pandectarum oracula. Illa indignum eſſe videtur, ſine grauiori cauſſa naturae turbare ordinem; haec vero teſtatur, α) miracula ad manifeſtandam gloriam IESV CHRISTI maieſtatemque diuinam pertinuiſſe, vt homines cognoſcerent, DEVM feciſſe cum ipſo Io. III. 2. et fiducia in eo collocata vitam aeternam nanciſcerentur. Io. XX. 31. Quare IESVS noua in dies diuinae legationis ſuae argumenta petulantiſſime poſtulantes Iudaeos ad edita a ſe in luce publica miracula ablegat Io. V. 18. ſſ. II. 22. X. 37. 38. conf. VII. 31. Act. X. 36. Hinc neque in iis gentibus edere voluit σημεια, quibus vt illud in mandatis paternis non habebat, ita ipſe Euangelium non annuntiabat Matth. XV. 22. 24., neque coram illis, quorum, qua erant inflexibili peruicacia et omnis medelae impatiente animo, malitioſe affectata απιςια obſtabat, quo minus miraculis fides in ipſis incenderetur Matth. XIII. 58. Marc. XVII. 5. Nec minus apoſtoli eum tantum in finem extraordinariis his remediis prouide ac ſapienter admodum vtebantur, vt diuinam Domini ſui auctoritatem ac doctrinae ſuae αξιοπιςιαν teſtatam facerent, et ad vnum omnes cognoſcerent, DEI eos eſſe oratores. Marc. XVI. 20. Act. XIV. 3. 1 Cor. II. 2. 1 Theſſ. I. 5.

 II. *Mi-*

II. *Miracula ad propagationem disciplinae Christianae tantum fecere, quantum doctoribus illius auctoritatis conciliarunt.* Res in aprico est. Lege tantum acta Apostolorum. Quanta hominum multitudo bone Devs! intra dimidii saeculi spatium in Christi ditionem sine vi, sine armis, sine magnificis praemiis redacta est? Paullus anno post N. C. circiter LXII. iam ad Colossenses scribit cap. I. 6. *Euangelium peruenit ad vos, sicut, et in vniuerso mundo est, et quidem* καρποφορουμενον *fructificans* και αυξανομενον *et crescit.* conf. Rom. I. 8. Atqui vero miraculis suis tantas res homines inopes effecisse nemo dubitat. Marc. XVI. 20. Rom. XV. 19. De dono linguarum, de celerrima praeparatione plurium fidelium ad docendi munus, quin de aliis quoque miraculis hoc facile est ad intelligendum. Primum enim Αποδειξις haec πνευματος και δυναμεως demonstrationis artificiosae onere, magno temporis cari compendio, caelestes oratores leuabat; dein antegressa eos, vt solet, discurrens per orbem fama attentos et sciendi cupidos istos reddebat, ad quos cursum suum dirigebant, ita, vt vidisse θαυματουργους, dimidia fere iam illinc laboris, hinc salutis pars esset. Ita crucem Saluatoris quasi quoddam ad bene sperandum signum vbique locorum breui tempore erectum figebant. Ceterum (vt hoc addam) magnum id

id erat prudentiae apoſtolicae ſpecimen, quod in illuſtribus locis, vbi magna hominum et peregrinorum inprimis eſt frequentia, id maxime facerent, epiſtolasque ſuas ad maximas quasque ciuitates perſcriberent.

Forte et hoc notaſſe ab hoc loco non alienum erit, ſi proprie loqui velimus, *non apoſtolos, ſed* DEVM *per apoſtolos miracula effeciſſe.* Marc. XVI. 20. * Impetrarunt autem ea precibus ſuis, quas ſemper cum χειροϑεσια coniunctas fuiſſe, quamuis illius tantum mentio plerumque fiat, H. GROTIVM alicubi in Euangelicis Commentariis probasſe, memini. Act. IX. 40. 41. Interdum tamen ſingulari ſanctiſſimi Spiritus motu impulſi forte ſine votis praemiſſis, (quamuis nihil ſine his hominem chriſtianum ſuſcipere debere, praecepto et exemplo Domini edocti erant) miracula effecerunt. Succedat

* Tribuunt inprimis CHRISTO maieſtatis diuinae receptae et praeſentiae ſuae illuſtre hoc τεκμηριον, in miraculoſa claudi cuiusdam ſanatione editum, ita enim Act. IV. 10. publice edicunt ac magnifice omnino: *Manifeſtum ſit vobis omnibus, totique Iſraëlis populo, in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos cruci affixiſtis, Deus vero ex mortuis excitauit, per hunc,* inquam, *hic,* qui mox claudus ante erat, παρεστηκεν *conſiſtit coram vobis incolumis.* conf. Act. IV. 30.

III. *Miraculis certum suum et definitum a diuina sapientia tempus est, nec perpetuo ea, nec vbique locorum illucescunt.* Scilicet vbi ingens iam hominum multitudo Christo se deuouit, et religionis christianae diuina origo satis demonstrata est, tum quidem tantum abest, vt nouorum miraculorum insignis aliquis vsus esse possit, vt potius veterum illorum splendorem tegant ex parte, vimque illorum labefactent. Vnicum, quod reuera contigit, miraculum sufficit ad diuinam auctoritatem religionis christianae demonstrandam, quod vero vno plura eius gratia effecta fuerint, id DEVS liberaliter ac magnifice vel imbecillitati dedit hominum, vel necessitati temporum. Quicunque ergo ea aetate viso miraculo semel conuictus erat, is, si nouum rursus postulasset miraculum, haud dubie in DEI liberalitatem peccasset impudentius.

Illi vero ad quos fama tantum miraculorum, non vero ipsa, peruenerant, illi inquam aeque facile, atque testes oculati de veritate miraculorum christianorum certissimi fieri poterunt. Vt enim Christus in media fere terrarum orbis parte diuinam maiestatem suam signis hisce manifestauit, et legati eius in variis et a se inuicem remotis terris locisque nobilissimis, miraculis edendis, fidem dictis suis faciebant; ita nemini

mini veri ſtudioſo ardua res eſſe poterat, ſiue per litteras, ſiue alia quacunque ratione rem totam tam certo comperire, ac ſi ipſe illuſtria haec facta coram ſuis oculis intuitus fuiſſet.

Qui autem poſt haec demum tempora, illuſtribus apoſtolorum rebus geſtis nobilitata, viuebant, aut nunc quoque viuunt, *iis noui* foederis codice edendo diuina conſuluit prouidentia. In eo enim apoſtoli non ſolum diſciplinam chriſtianam clare expoſuerunt, ſed etiam res a ſe geſtas ſumma fide expoſuerunt. Librorum autem horum ἀξιοπιστίαν omni exceptione maiorem eſſe, omnes ii validiſſimis probarunt rationibus, qui magno numero, pro veritate Religionis chriſtianae ſcripſerunt, quos inter laudandi ſunt v. c. ABBADIE, PASCAL, HVETIVS, DITTON aliique. Quod inprimis ad miraculorum fidem attinet, illa ita in ſaluo eſt, vt admiranda ſit omnium, hoſtium quam amicorum amabilis CHRISTI, in hac re magna conſenſio. Vere illa facta eſſe, nobis largitur PORPHYRIVS, non negat IVLIANVS, fatetur CELSVS. * His ergo diui-

* Conſulatur hic WERENFELSII Diſſert. *de Veritate miraculorum in S. Scriptura narratorum.* add. IAQVELOT *de la Verité et de l'Inſpiration des Livres ſacrés*, P. II. ch. XII. p. 393. BVDDEVS Diſſ. de

diuinis sigillis cum satis corroborata sit I. C. doctrina, quid quaeso opus est nouis? Num forte, vt facilius vincatur obstinacia nonnullorum inter nos hominum, qui negant, fidem se tuto satis sacris nostris libris adhibere posse, vsque dum sibi persuadeatur, a Sanctis viris, et quidem diuino afflatu, eos exaratos fuisse. Vt enim exosa illis est simplex, casta et ad pietatem tantum composita I. C. disciplina, ita numquam iis deerunt, quibus neruos miraculorum, quae dari ipsis sumimus, incidant. Tum autem omnis plane, quae inest in miraculis, probandi vis corruat labefactata fide istorum librorum, necesse est. Primis enim istis sua lux, suum decus suaque omnis adimeretur auctoritas; id vero est, quod cuperent hi, quibus turpe videbitur, ingenue fateri, caecos se fuisse antea et iniustos in pias illas mentes, quas leuitatis aut fraudis suspicione consperserint. Ad haec, amato te, quae regia-

de *Verit. Rel. Chr. philosoph. gentil. obtrectat. confirmata.* Prodiit 1746 in Anglia, altera illa Africa, liber GE. WESTONI, Theol. Baccal. in quo in excogitandis rationibus iis, quae christianorum miracula profanis gentibus suspecta reddiderint, valde et vane laborat auctor. v. *Bibliotheque Raisonnée*, *Tome* XXXVI. p. 474. Eleganter AVGVSTINVS: *quisquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum ipse est prodigium, qui mundo credente non credit.*

regiarum litterarum poſtea futura amplius eſſet auctoritas, ſi nouo toties ſigillo identidem ſuam legem muniret princeps, quoties immorigeris ſubiectis fidem prioris ſigni et regiae manus reprobare allubuerit. Vileſcerent tandem penitus miracula: quodſi enim petulantiae cuiusque darentur, neceſſe foret, vt fere quotidie in quouis ignobili vico ea contingerent. Quae cum ita *ſint*, recte omnino ac digna DEO atque CHRISTO ratione ſenſiſſe noſtros certum eſt, qui Romani Pontificis aſſeclis ea negarunt miracula, quae ad demonſtrandum LVTHERI ius reformandi impudenti ore et conuicio, vt curant externum ſplendorem vnice, poſtularunt. Scilicet diuinae maieſtatis regia illa inſignia ludibrio non inſeruiunt. Exercenda videlicet eſt Chriſtianorum pietas, verſandae ſunt ſacrae paginae, alenda piis meditationibus fides eſt eorum, quorum labori tanta praemia propoſita *ſunt*, vt ipſis illis beatiores praedicentur a Domino, qui quidem illa tantum credunt ſine obſtaculis, quae ipſi viderant. Io. XX. 29.

His autem praemiſſis, multo iam quam ante paratior accedo ad grauiſſimam illam, quae in diſceptationem vocatur, quaeſtionem: *num fidenti ſatis animo, et hodie quoque, iterum miracula, in profanis gentibus*

patranda, *a* Deo *exſpectari queant*, *nec ne?* Ex ſupra enim dictis veram mentem lectores intelligent huius diſputationis: Videbunt primo: quaeri tantummodo de miraculis inter *ethnicos*, non vero inter Chriſtianos, aut eos, qui cum Chriſti fidelibus multum verſantur, patrandis: deinde nec illud definiri: *quae*, *quot*, *et quanta* fieri debeant. Fuerunt varia, vt vidimus, in prima eccleſia χαρισματα: Dei eſt, pro varia ſua ſapientia munera haec temporum et hominum rationibus accommodare, non vero libidini. Nec denique tempus, initium aut finem nouae huius gloriae determinari. Haec omnia enim ex eo rerum genere eſſe, tenendum eſt, α ο πατηρ εθετο εν τη ιδια εξουσια. Act. I. 7. Hoc ſibi tantum volunt, nouorum miraculorum patroni (quos compendii cauſſa *Neothaumatophilos* appellabimus,) dignum luminibus ſuis iudicent viri cordati rerumque diuinarum inprimis periti, num ſine grauiori quadam errandi periculo hominibus gloriae I. C. bene cupientibus ſperandum ſit, fore, vt Devs religionis chriſtianae amplificandae et multorum hominum ſalutis promouendae cauſſa, aliquando miracula rurſus effecturus ſit. Ne vero indicta cauſſa iniquius cum illis agamus, euge, ea patientia, quam fratribus, minime de lana caprina certantibus, debemus, argumenta eorum accipiemus.

Arcem

Arcem cauſſae ſuae Neothaumatophili ponunt in eo, quod dicunt, nihil Deo O. M. magis curae cordique eſſe, quam vt caſta I. C. diſciplina terrarum orbi illuceſcat, hominesque in vniuerſum omnes ea ſuſcepta, non modo in his terris piè ac feliciter eum, qui datus ipſis ad viuendum eſt, curſum abſoluant, verum etiam illo expleto aeterna beatitate fruantur. Quid quaeſo, inquiunt, etiamſi S. hac de re litterae tacerent, Dei numine dignius conſilium atque decretum cogitari a nobis poteſt? Sed ſatis perſpicue Devs mentem ſuam explicauit, *velle ſe, vt omnes ſaluentur homines, atque* ea propter *ad cognitionem veritatis* (quae chriſtiana eſt religio) *perueniant* omnes, 1 Timoth. II. 1-4. 2 Petr. III. 9. Abominatur, et quam maxime abominatur, impiam iſtam et nefandam ſuperſtitionem, qua homines, ad imaginem ſuam et gloriam effecti, deformantur, integraeque gentes, atque adeo myriades hominum in perniciem ſuam caeco curſu feruntur. Exoſa eſt ipſi impietas, infelix monſtri illa humani ingenii, ſuperſtitionis, filia. Indigne patitur, Numinis ſui maieſtatem non dicam, minime coli vita ad ſanctitatem ipſius conformata, ſed turpiſſime profanari. Diuinam Iesv Christi, cui omne in genus humanum dominium tradidit, maieſtatem, nec noſſe innumeras gentes, nec reuereri, quis dubitet,

 bitet,

bitet, DEO per moleſtum ac ingratiſſimum accidere. Quid? cuius tenerrimum cor toties miſericordia populi, quem ſine paſtore diſſipatum, aut in deſerta terra eſurientem, aut morbis vexatum conſpexerat, fractum eſt, et paene liquefactum, num eum Seruatorem duriorem iam in maiori calamitate eſſe putabimus? Atqui vero ſparſa haec et graſſantia per populos mala ſola I. C. diſciplina auertere ab eorum ceruicibus et mentibus poteſt. Ad huius ergo pleniorem cognitionem (ἐπίγνωσιν) vt tandem perueniant, optare DEVM, certum eſt; quin et hoc credendum, velle eum, vt huius benefici ſideris radii quam celerrime illuſtrent, illuſtratos vero ex torpore mortifero excitent. Ad hoc vero efficiendum quid quaeſo accommodatius, quid optabilius, quodſi rationem et ſacram hiſtoriam audiamus, miraculis? Haec ſi DEVS precibus noſtris et miſerae gentium calamitati dederit, ſpes eſt non incerta, breui futurum eſſe, vt turbas nationum ad crucem Saluatoris confluere videamus, ac gentes immanitate barbaras et peccandi conſuetudine deperditas homines frugis tam cito factas eſſe, miremur.

Ad haec, quid repoſituri ſint illi, quibus miraculorum repetitio non item probatur, facili coniectura aſſequemur. Pia haec vo-

ta

ta non poterunt non collaudare, at nimium forte miraculis tribui, notabunt. Dicent, non ſatis penſari vim iſtam diuinam, quae cum caeleſti doctrina coniuncta eſt ſemper. Ineſt enim ipſi mirifica quaedam et ſupernaturalis efficacia, quae, niſi ingenii humani prauitas fortius ipſi reſiſtat, mentem emollit humanam, flectitque ſubito, et, neſcio quo diuino ſenſu et rerum diuinarum ſtudio totam perfundit. Pure ergo et accommodate quod ſi illa hominibus applicetur, tum omni humana virtute et cogitatione maiora efficere cernitur. Eſt enim δυναμις Θεȣ εις σωτηριαν Rom. I. 16. et ſecunda illa fiduciae in Chriſtum genitrix Rom. X. 14. neque fructibus efferendis quidquam illa eſſe poteſt vberius. Coloſſ. I. 6. conf. Act. XVIII. 11. Primam cauſſae arcem videtis, qui nouis miraculis locum quaeritis: veſtrae iam eſt virtutis, fortioribus ex iſta nos ſede ſecura deturbare.

Vera ſunt, hi quidem inquiunt, (malumus enim veſtram liberalitatem noſtra prouocare, quam pertinacia depellere,) vera ſunt, quae dicitis, omnia, et nos quantum diſtet diuina ab humana ſapientia bono noſtro didicimus. Sacra illa oracula non ignoramus: at, quod in priori illo τῳ πιϛευοντι, et in poſteriori hoc αφ' ης ημερας ηκουσατε, και επεγνωτε την χαριν του Θεȣ εν αλη-

αληθεια additum ſit, quodque vos, qua eſtis prouidentia omiſiſtis, quaeſo perpendite. Nonne illud primum requiritur, vt attente et diſcendi ſtudio incenſi auſcultent diuinas chriſtianorum litteras docentes, vtque ſemen hoc efficax animis ſuis committi patiantur, nec oculos lucis radiis occludant: hoc autem vix prius ſperandum eſt, quam magnifice de diuini verbi praeconibus et ipſa illorum doctrina ſentire inceperint, quoscunque praua naſcendi ſors alienos a ſacris noſtris efficit. Qua vero re, rogo vos, adducentur, vt homines ſibi plane ignotos, ac eam ſapièntiam, cuius prorſus expertes ſunt, quodammodo venerentur. Num pietate forte eorum, qui ex noſtris ad eos quaeſtus cauſſa commigrant? Hem! ſuſpectam fidem noſtram et prope exoſam Europaeorum gentem (quos *Brangos* corrupte, vt iudico pro *Francos* appellant) factam illis eſſe accepimus. Sed nolumus huic loco diutius immorari, neque enim vos ipſi fructus a terris veſtris niſi ſemen receperint, et ſinu illud foueant, requiritis, et miſſa faciemus haec etiam, quae quorundam culpa noſtrorum hominum obicem emendationi illorum ponunt, et difficiliora mala, quae miſeras nationes premunt, et a ſalute longius remouent, luſtrabimus paullulum. Quae vtinam nullum hic locum inuenirent!

Pri-

?rimum vis illa praeiudicatarum opinio-
m, quae vna cum corpore, vt fieri solet
n naeuis humanae naturae, augetur, ita
occoecat, vt partim non videant, quam
urda sit accepta cum lacte nutricis super-
io, nec vt perspicere queant, curiosi sa-
atque intrepidi veri falsique explorato-
exsistunt. Mystarum vero, numinum
licet metuendorum familiarium, fidem
otusquisque est in ea calamitate tam au-
, vt vel in dubium eam vocasse dignum
culo crimen non iudicet, tantum abest,
ipse eam suspectam aliis reddere sustineat.
blicae porro multis in locis leges et me-
cruciatuum horrendorum animum Chri-
sapientia excitatum deprimunt, et infir-
m adhuc pietatis studium in herba ple-
nque suffocant, si minus penitus exstir-
e illud queant, aut impedire, quo mi-
s sereniori tempestate sensim adolescat.
uuntur opibus suis, qui ditari a CHRISTO
lestibus bonis volunt; honoribus nudan-
et ignominia obruuntur, quibus glorio-
n videtur, diligi a DEO et I. C. sacrum
e mancipium; cum omnibus intoleran-
patientiae humanae cruciatibus laceran-
, quorum mens caelestibus inhiat deli-
. Haec omnia subeunda mala sunt, et
a natura iis vincenda est, qui demum
inis armis animum suum munire vo-
t. Praestanda ipsis esset virtus, cuius
non

non niſi veteranus Chriſtiani exercitus miles capax eſt, et ante id quidem, Chriſtiani facti ſint.

Taceo alia multa impedimenta, (neque enim de cauſſis retardati inter profanas gentes euangelii fluminis ſcribere propoſitum eſt) quae diuerſa ſunt pro gentis, legum ac inſtitutorum ratione et indole varia. Haec vero ſi cum communibus humanae ſalutis hoſtibus ſeſe coniungant, tum illud pro dolor! euenit, vt non niſi incredibili labore moleſtia, et innumeris periculis ſcopulisque ſuperatis diu multumque iactatus animus in ſanctum Chriſti portum penetret. Petent, qui volent, pleniorem harum rerum notitiam ex iis commentariis, qui de Miſſionibus et Miſſionariis, vt vocantur, exponunt. Legant inprimis ea, quae de Sinenſium legibus et auitis moribus, quibus nihil ſanctius genti, euangelii vero nuntiis nihil moleſtius eſt, a multis copioſe expoſità ſunt. Liceat hic vno tantum alteroue exemplo rem illuſtrare, quo intelligant lectores, quare Miſſionariorum noſtrorum incredibilis labor tantam hucusque meſſem nondum viderit in Malabaricis, vt hoc vtar terris, quanta quidem a pietate et pretioſo ſtudio ipſorum ſperanda eſſet.

Est omnis Indorum gens in quatuor tribus tributa, quarum prima est *Braminarum*, quibus religionis et iuris cura mandata est;* secunda, *Raiarum*, f. militum; tertia *Baniamum*, quae mercatorum et nummulariorum, Brittannorum est familia; quarta denique *Parehorum*, seu opificum, hominum maximam partem pauperum et leui quodam ignominiae macula notatorum. Vt vero ciuile hoc omne videtur esse discrimen, ita nihilo tamen minus maxime obstat, quo minus in vnam ciuitatem, CHRISTO sacram, singuli ex hisce ordinibus homines cogi a sacris caduciferis queant. Nulla enim prope inter eos est coniunctio, nullum fere commercium, et a Parehis quidem omnes se sic separant, vt vel contactum eorum, Braminae inprimis, haud secus ac pestem quamdam, refugiant. Vt illis vero sapientia, et rei tam Sacrae quam publicae cura, his vita bellicosa, lucri istis cupido maximo est salutis impedimento, ita Parehorum, in hac gente calamitas reliquis, qui ex meliori sato factos se

* v. omnino S. Rev. IAC. BRVCKERI *Hist. Philos.* *mai.* T. IV. *Part. alt.* L. III. c. II. p. 826. ff. et eos, quorum fidem hic saepe testatur, auctores, inprimis *la* CROCE *Histoire du Christianisme des Indes*, L. VII. p. 577. ff. et CHRISTOPH. ARNOLDI, ICti Bataui, *offene Thür zu dem verborgenen Heydenthum.* Edit. *Norimb.*

ſe eſſe exiſtimant, propriae calamitatis et eius quidem triſtioris cauſſa euadit. Ex hac enim contemtiſſima tribu quum plerique illi ſint, qui in CHRISTI caſtra transeunt, tum illud fit, vt ceteri nomen dare Regi noſtro auerſentur, cui placere tam ſordidi et ſibi exoſi, ſubiecti queant.

Alterum, quod euangelii curſum peſſime moratur, obſtaculum eſt male ſana *illa*, ſuperſtitionis tutorum, ſollertia. Vt enim eſt humana mens infeliciter in perniciem ſuam ingenioſa, ita Braminis iſtis in excogitandis malis artibus, quibus tueantur, quin exornent putitam idolomaniam nihil eſſe poteſt acutius. Commendant noſtri a CHRISTO praeſcriptam colendi DEI rationem: admiratur homo vafer maieſtatem et pulcritudinem huius ſapientiae, laudibusque eam interdum ornat. At, num adoptat propterea illam? Minime id gentium. Accommodatam iudicat Europaeorum terris tantum eſſe et ingeniis, reliquis vero terrarum incolis nec aptam ſatis, nec proficuam eſſe futuram. Delectatur, ex mente philoſophi, rex ille vniuerſi orbis terrarum vario iſto ciuium cultu ſuorum et cuiusque gentis pietatis ad ſenſum ſuum conformatae, cultu. Superſtitionem abominandam damnat I. C. nuntius, et ab omni ratione relictam illam eſſe defendit rationi-

bus.

bus. Non damnat illas impurorum ſacrorum antiſtes, et, non male prorſus, inquit, quae nunc philoſopharis, ſe habent: num enim adeo nos inſanire putas, vt maculas in plebis cultu non animaduertamus et aniles has fabulas abominemur. At quaeſo te, ſenſu non mente, humi repens et indocta multitudo regitur; nos e contrario, qui alta tantum et profunda ſpectamus, quique ea ſumus acie, quae in res ab omni concretione liberas penetret, imagunculas plane non requirimus: at ſellulariorum iſta faex, quod admiretur, quod veneretur, et quod extimeſcat, praeſens numen cernere debet. Ficta noſtra eſſe ex meliori luto praecordia noſtro bono gaudebimus, aliorum vero homuncionum humi adeo eſſe defixa, ſi placet, dolebimus. Quae, cum vt vides, ita ſint, non modo non e re publica eſt, nouas condere leges, ſed res etiam irriti prorſus laboris. *

Sapi-

* Principia horum ratiociniorum ſuppeditat Ven. Iac. Bruckerus d. l. p. 835. eaque teſtimoniis ex *Lettres curieuſes et edifiantes*, et b. Ziegenbalgii *ausführlichen Berichte, wie er nebſt ſeinen Collegen das Amt des Euangelii unter den Heyden und Chriſten führet.* Perpetua rerum a Danicis vt vocantur, Miſſionariis in oris Malabaricis geſtarum hiſtoria, quae exempla ſuppeditabit.

con-

Sapiant, (ita ad haec dicta sermonis vicem referunt, quibus iterandorum spes miraculorum lubrica esse videtur) sapiant suo et caelestis sapientiae praeceptorum commodo. Argumenta illa, quibus euincitur, doctrina CHRISTI verius nihil esse, diuinius nihil, istis explicentur, atque ita accurate ac sapienter, vt, qua elabantur veritatis vi circum circa clausi, non inueniant. Haec enim si recte proponantur, dubitari non potest, quin superior discessura sit veritas. His scilicet patrum memoria et nostra effectum est, vt non pauci eorum, qui caelestem sapientiam esurientium hominum et callidorum commentum multis procacibus scriptis diffamauerunt, eamdem postea non modo diuinis laudibus cumulatam celebrarint, sed iis ipsis ingenii armis, quibus paullo ante eam infestauerant, felicissime defenderint. Quorum ex numero illustres in Anglia et alibi viros nominarem, nisi in omnibus Hist. eccl. libris ipsorum posteris sit commendata memoria.

Audi-

connexum est in *Continuationibus*, quae Halae Saxonum prodeunt in lucem. Quibus vero difficilior tanti operis perlectio videtur, euoluant *Acta Histor. Eccles. Vinariensia.* Pluribus auctoribus onerare paginam nolo. Recenset illos b. FABRICIVS in *salutari Luce euangelii, toti orbi oriente*. Cap. XXXII. p. 550. ff.

Audiamus, quid Neothaumatophilis hac de re videatur. Euinci putant posse commodius, nullam cogere necessitatem, vt in eorum gratiam, qui inter christianos nequiter noua sibi dari specimina postulant, miracula edantur; verum multo aliter pronuntiandum esse cum de iis quaeratur, qui remotioribus in terris, iisdemque barbaris, spurca numina deosculantur. Primum enim, vt rebus, quae sensus tantum mouent, flectuntur quicunque huius tantum vitae rebus sapiunt, ita vix ac ne vix quidem illud obtinebitur, vt attenta docilique mente eos audiant, qui curatius res grauissimas, illisque non parum exosas, (vt Pharisaeis olim et Iudaeorum proceribus) exponere cupiunt. Deinde, vt difficilis et longa iis haec via videbitur, ita etiam nostra colligendi vnum ex altero et ratiocinandi ratio, nasutulis istis insueta, haud parum suspicionis habere fortassis censebitur. Id ipsum vero, ni fallor, est malorum lerna reliquorum omnium. Quod vt pluribus hic palam a me fiat, ideo non necesse duco, quia inter nostros homines, qui a teneris sacra religionis nostrae praecepta cognoscere possent, illud ipsum rerum diuinarum et corpus parum delectantium fastidium in culpa maxime est, quare vix vnus et item alter tot libris, tot sermonibus, tot exemplis denique, pie-

tatem vndicunque ſpirantibus, demulceatur atque excitetur. Deinde, vt difficilis et longa nimis iis haec via videbitur,* ita etiam noſtra verum eliciendi, vnumque ex altero colligendi et ratiocinandi ratio haud parum ſuſpicionis habere cenſebitur. Putabunt hanc artem viſcum quaſi illud eſſe, quo irretire imperitos, male iam ab fallaciis audientes Europaei vellent. Quae formido et

* Refert Louis le Comte in *nouv. Memoires ſur l'etat preſent de la Chine* T. II. p. 196. poſtquam diſputationibus ſuis de veritate religionis chriſtianae parum proficere ſe animaduertiſſet, ad officia pietatis chriſtianae, quae ipſa ſana ratio ipſis commendat, adhortatum fuiſſe, (*apres les avoir convaincu de la neceſſité de pieté et des maximes du S. Evangile, je leur diſois: pratiques ces divines leçons, proſternes vous jaque jour devant la Majeſté de ce Dieu, demandes lui de tout votre ame, qu'il vous eleve à ces ſublimes verités, que la raiſon vous ne decouvre point. Je puis vous aſſurer, que de tout ce, qui s'y ſoumettoient de bonne foy, je ſois trouve diſpoſé de croire ce que la loy nouvelle nous enſeigne de plus dificile* etc. Quo facto ingenia ferociſſima, milites, eruditos, acutosque homines Chriſto ſe ſponte ſua ſubieciſſe, ait. Peruiſis nocturnis alios, alios viciſſim neſcio quo mentis impetu coram ſanctiſſimo Seruatore proſtratos fuiſſe, qui nulla ante arte flecti vincique potuiſſent.

et ipsos heroos nostros inter dialecticos tum fere occupare sueuit, quandocunque ipsis cum veterano quodam ex Iesuitarum cohorte milite congrediendum est, aut cum quocunque alio, qui in scholasticorum arena exercitatus inde a iuuentute fuit.

Sed et his remotis, quae viam obsaepiunt, saxis nouum se obiicit, non aeque ac *illa* quidem, facile e via tollendum. Argumenta nimirum illa, quibus sanctitatem et caelestem originem praeceptorum I. C. tuemur, maximam partem rerum antiquitus gestarum fide nituntur, consequens ergo est, vt historiarum luce vtamur, quam nonnisi ex veterum monumentis accipiemus. Haec vero ignota plane incondito isti est philosophantium agmini. Huic quidem, inquies, penuriae librorum munificentia Europaeorum consulet liberaliter, vel vt vertantur in gentis linguam, vel vt summa eorum breuiter strictimque exponatur. Bene quidem, at parum mihi cogitare videris, illud negotium diurnam nocturnamque requirere industriam et artis quamdam critices, geographiae, praeterea antiquitatum, item et rerum aliarum multarum non leuem omnino notitiam; id vero cum sumis, omnem fidem, nostris philosophastros illos esse adhibituros. Vide, ne plus a nobis postules, quam largiri queamus.

Quid, ſi et illud adiiciamus, argumentum hoc, quo nouorum miraculorum exſpectatio labefactatur, plus probare, atque deberet, (placet enim ex vmbraculis noſtris ſcholaſticis aliquid in lucem adferre et dialecticarum artium laqueis paullulum ſtrepere.) Quis enim eſt tam obtuſus et tam pinguis dialecticus, qui eodem adhibito non ſollerter admodum diſputare queat, num apoſtolorum et aequalium miracula magnopere neceſſaria fuerint? Tanto enim tunc facilius diuina I. C. et doctrinae ſuae auctoritas cognoſci a quocunque poterat, quanto commodius iter Hieroſolymam atque in agrum iudaicum, illuſtre illud ea aetate theatrum, fieri poterat. Nullis libris aliisque teſtibus opus erat, cum eorum erat copia facilis, qui viſum aut totius corporis incolumitatem, immo ipſam vitam diuini medici vel tactu ſolo, vel voce recuperauerant. Quin itineris neceſſitatem et moleſtias tollebant praeter ingentem teſtium aliorum et diuerſorum manum, apoſtoli, indiuulſi illi Medici thaumaturgi comites et viri, ſi qui alii, inprimis probi et fide longe digniſſimi. Quid multa? quae Iudaeorum doctoribus, qui miracula coram facta volebant tantum negare, refellere non poterant, inſtar rationis erat, lucri iactura, haec omnibus, qui omnia ad hanc ſolum vitam referunt, pietatis et ſalutis ſuae impedi-

pedimentum esse semper consueuit. Haec ipsa, inquies, est, doli omnis expers integritas, et testimonii ἀξιοπιστία, quae docenda miraculis erat ac signis corroboranda. Belle in rem nostram philosopharis. Id enim volumus DEVM precibus fatigandum piis *omnibus* esse, vt illustribus aliquot notis testari dignetur, non nisi vera a suis oratoribus dici, quo tandem illam fidem citius reperiant, quam non nisi vitae sanctimonia sensim sibi conciliaturos tandem esse, speramus.

Subtiliter haec disputari iis videbitur, quibus incerta et fallax miraculorum spes audit, at nefas esse putabunt, quidquam sperare, quantacunque etiam vtilitatis specie sese id nobis commendet, nisi DEVS ita clare spoponderit, vt oculis et manibus spes illas, non coniectura modo, teneamus. Vbi vero, amabo te, loca ista, ex quibus spes illa refulget: abi et conquire, hisque armatus ad nos reuertere ocyus (neque enim vnum quemdam ex satellitum DEI numero has delicias e caelo tibi attulisse, dixisti.) Videamus igitur, quid noui secum afferat caussae neutiquam malae propugnator.

En vobis duo loca; verba pro me facientem IOELEM, vt nostis DEI interpretem,

quaeſo patulis auribus attentisque animis attendite: *Et erit*, inquit ille, *poſt haec*, (tempore noui foederis,) *vt effundam Spiritum meum* (dona eius) *ſuper omnem carnem*, (omnes gentes, non Iudaeos ſolum;) *tunc prophetabunt filii veſtri et filiae veſtrae: veſtri ſenes ſomniabunt* (ſomnia diuina) et *iuuenes veſtri viſiones videbunt*, (ſupra naturam obiectas.) Cap. III. 1. (al. II. 28.) Haec autem verba de donis iſtis miraculoſis fidelium accipienda eſſe, nemini dubium eſſe poteſt, qui ipſum ſanctiſſimum Spiritum de illis interpretatum Act. II. 17. coll. X. 44. fuiſſe non ignorat, idque vt moneam, ſcilicet ſpeciem pro toto miraculorum genere poni, vix eſt neceſſe. Alterum meum praeſidium in Seruatoris mandatis, quae legatis ſuis, cum paullo poſt triumphum acturus eſſet, et regale ſuum ſolium, et nunc quidem humano corpore veſtitus, recepturus, dederat: Marcus, diuinus hiſtoricus, ea cap. XVI. perſcripſit, in cuius commate 16, poſtquam Rex humani generis ſummam doctrinae et apoſtolici muneris hiſce inculcaueras legatis ſuis: ο πιϛευσας και βαπτιϑεις σωϑησεται· ο δε απιϛησας κατακριϑησεται. addit v. 17. Σημεια δε τοις πιϛευσασι ταυτα παρακολυϑησει· *Signa autem eos, qui fiduciam in me conceperunt animo, haec* (recenſet autem quaedam ex his donis miraculoſis) *ſequentur*, quaſi quidam comites.

tes. Quid? quod Euergeta mortalium O. M. liberalissime promittit Io. XIV. 12. Αμην, αμην, λεγω υμιν, ο ΠΙΣΤΕΥΩΝ εις εμε, τα εργα, (miracula,) α εγω ποιω, κακεινος ποιησει, και μειζονα τουτων ποιησει· οτι εγω προς τον Πατερα μου πορευομαι. Rationem addit: quia exaltandus vt victor in solium patris sum, et plenam potestatem in genus humanum et vniuersam rerum naturam aditurus, id, ni fallor, et hoc praeterea sibi volunt verba: *quia proficiscor ad Patrem*, qui nunc *pater* iterum est, antea seuerus iudex et laesae suae maiestatis vindex.

Haec loca, victoriae iam paene certus, exclamat Neothaumatophilus, tanta luce radiant, vt aliena non indigeant. Neque eripi prius meum mihi, si ita vobis placet, haeresin, patiar, quam Hvg. Grotio, * aut

* Grotivs ad *Marc.* XVI. 17. in *Criticis Anglic.* T. VI. p. 199. postquam varia testimonia ex patribus, v. c. Iustino Martyre, Tertulliano, Minutio Felice cet. de miraculis illorum temporum adduxerat, ita pergit: *Cum vero multo etiam seriora secula plena sint testimoniis eius rei, nescio qua ratione moti quidam id donum ad prima tantum tempora restringant; quibus vt vberiorem fuisse miraculorum copiam ad iacienda tanti aedificii fundamenta contra vim mundi facile*

aut ipso Megalandro meo, LVTHERO,* acutior interpres, rationibus meis multo grauioribus ostenderit, illustre hoc beneficium ad nullos, nisi Apostolos eorumque discipulos pertinere. Scilicet, num soli illi πιςευοντων, seu in CHRISTVM credentium nomine glorioso digni fuere? Profer, si potes, tabulas huius priuilegii, aut si in verbis haeres,

cile concedo, ita cum illis exspirasse hanc Christi promissionem cur credamus non video. Quare si quis nunc etiam gentibus CHRISTI *ignaris (illis enim proprie miracula inseruiunt* 1 Cor. XIV. 22.) *Christum, ita vt ipse annuntiari voluit, annuntiet, promissionis vim duraturam non dubito. Sunt enim αμεταμελητα του Θεου δωρα. Sed nos cuius rei culpa est in nostra ignauia aut diffidentia, id solemus in* DEVM *reiicere.*

* b. LVTHERI verba in der *Kirchenpostill*, vt b. *Starkius* in *Synopsi Biblioth. Exeg. in* N. T. ad Marc. XVI. 17. T. I. p. 960. adfert, sunt haec: Nachdem das Evangelium nun ausgebreitet, und aller Welt kund worden ist, ist es nicht vonnöthen, Zeichen zu thun, wie zu der Apostel Zeiten. Wenn es aber die Noth erfodern würde, und sie das Evangelium ängsten, und dringen wollten, so müßten wir wahrlich dran, und auch Zeichen thun, ehe wir das Evangelium uns liessen schmähen und unterdrücken. Concedit ergo *ο μακαριτης*, fieri adhuc posse, sub certis conditionibus, miracula et inter ipsos quidem Christianos.

res, exemtionis a lege communi. Negat id certe ea hiſtoria, quae ab illis quoque, qui ab apoſtolorum diſcipulis permoti fuerunt, vt ad CHRISTI clementiam ſe reciperent, munera haec ſplendida impertita fuiſſe affirmat. Act. IIX. 14-17. Poſſem id planius adhuc facere exemplo aliarum eccleſiarum, quas donis Spiritus S. dotatas fuiſſe, quum Chriſto nuberent, nemo negat; non vero harum omnes ab apoſtolis primum ad I. C. adductas eſſe, certum eſt. At quid ſudamus? expreſſis hoc verbis Eph. IV. 7. ſſ. et 1 Cor. XII. 7. ſſ. legitur, in quibus, aliisque locis velim perpendatis egregiam iſtam inter veram eccleſiam, et inter corpus humanum, inter fideles illius, et membra huius inſtitutam a D. Apoſtolo comparationem. Vni ille membrorum cuique ſuas tribuit vires, atque in ſuſtinendo hoc corpore myſtico ac exornando partes.

Paucis me expediam; (mox enim longum iter ad antiqua monumenta faciemus) generatim Chriſtus τῃ ΠΙCΤΕΙ facultatem omnibus humanis viribus ſuperiora et maiora perficiendi et promiſit magnifice et tradidit liberaliſſime. Eſt autem πιςις haec certa illa et inexpugnabilis fiducia, quae, DEVM quidem caelum terramque prius moturum, quam filii cauſſam deſerturum eſſe, perſuaſa eſt. En habes hic Marc. XI. 21. ſſ. quid

quid legis? Quum Petrus ficum illam sterilem CHRISTI mandato protinus exaruisse attonita mente cerneret, Seruator grauiter discipulos adhortatur: εχετε πιςιν Θεου, Αμην γαρ λεγω υμιν, οτι, ος αν ειπη τῳ ορει τουτῳ, αρθητι, και βληθητι εις την θαλασσαν, * και μη διακριθη εν τη καρδια αυτου, αλλα πιςευση, οτι α λεγει, γινεται, εςαι αυτῳ, ο εαν ειπη. conf. Luc. XVII. 6.

Equidem quid ad haec reddituri sitis, etiamsi augur non sim, iam praesentio. Christum haec familiaribus dixisse suis, memorem me esse, iubebitis. Nec istud ego ignoro, nec valde extimesco monitum. Certe nec Herculis mihi lacertos, nec Tullii facundiam valde requiro, vt vobis persuadeam, hanc fiduciam inter peculiaria apostolorum I. C. dona nullo modo referri debere. Vt haec enim post Domini demum in caelesti regia reditum exspectanda apostolis erant, ita e contrario hic iubet, vt nullis precibus, nullique studio parcerent, quo mox, et non demum post ascensionem Domini hoc efficaci fiducia instruerentur. Nec illud negligendum est, Soterem amabilem

* Species miraculi difficillimi pro toto genere hic ponitur, vt indicet Seruator, nihil αδυνατον, esse fidei immotae, et precibus piae fiduciae plenis.

bilem increpare tardam illorum et meticulosam ἀπιστίαν, quae illorum culpa imbecilles eos et ad eiusmodi heroica facinora patranda impares effecerat. Potuissent ergo si minus ignaui fuissent, aeque ac alii, qui eo iam tempore Christi nomine fidenter inuocato, malos genios debellabant, maxima quaeque praestare. Locum illum classicum Matth. XVII. 20. 21. testari sat erit. *Me* vero, quod si eo nomine taxare vobis allubuerit, quod ego quidem id, quod ad apostolos pertinere tantum vobis videtur, latius patere statuam et omnibus CHRISTO subiectis commune ius esse velim, animo iniquo non feretis, si par pari vicissim referens, vice versa vos incusem, quod timidius dicam an iniquius verba Christi arctioribus limitibus circumscribatis, et, quae ipse *suis fidelibus* beneficia indulsit, ipsis e manibus extorqueatis, illudque, quod *euangelii, non XII. hominum caussa* praestitit DEVS, illi adimatis, vt his solis vindicetis.

Quod si vero illud cogitetis, quantum ipse Dominus πίστει eorum, quibus miraculose opem tulerat, virtutem adscripserit, et quot D. PAVLLVS fiduciae ἐνεργήματι recenseat Hebr. XI, nihil me a mente ipsius alieni contendere iudicaretis. En loca, quae sacras paginas versanti sponte sua se mihi offerunt. Matth. IX. 22. Marc. VII. 27. 29.

Illis

Illis videlicet, qui excellenti hac fiducia dotati verbis Christi simplici et pia mente innitebantur, nihil tam arduum tamque diuinum videbatur, quod non superarent mascule et in Christi laudem perficerent. Ita ipsi diuini historici a Iudaeis, nescio quibus, diuina Christi nominis virtute perfecta esse miracula memoriae prodiderunt, quod inexspectatum factum vehementer duodecim demirati leguntur. v. Marc. IX. 38. Luc. IX. 49. Quodsi igitur Thaumaturgi huius infirma fides (videtur enim ex illis fuisse, qui non palam I. C. comitabantur, sed clam deditum ipsi animum seruabant) quid non eorum pietatem effecturam esse putabimus, quibus Christus rebus omnibus maior est, quique gloriae eius se suaque omnia intrepida mente dudum deuouere? Quid non hodie fidelium precibus effici saepe videmus aut accipimus.

Et sane nec ipsis longius ab apostolorum aetate remotis temporibus DEVS hanc indulsit potestatem, quippe quam fiduciae, non hominibus, et religionis vnice commodis dedit Testes requiritis eosdemque locupletes? nec illud immerito. Ecce iam adsunt. Quinam? veteres ecclesiae doctores, aut si sacrum Rom. Ecclesiae vocabulum vos delectat, *Patres*. Apage, sublestae sunt fidei homines, clamatis, quorum in libris pia-

piarum fraudum et religioſorum mendaciorum ſexcenta ſunt veſtigia. Me miſerum! veſtram doleo vicem miracula, vobisque me meliorem promachum optaſſem. At augetur iterum animus. Sint, dabimus id enim aliquantulum, ſint venerandi iſti antiſtites leuis armaturae milites, nos num igitur *id*, quod rationibus iam occupauimus, eorum vitio rurſus amittemus? Non *putarim*. Sed videtis, eos a nobis in extrema acie collocatos, vt iuuarent tantummodo priora argumenta. Sed aberrauerint iſti (ſimus enim erga amicos liberales) plus ſimplici vice a regia veri via, quid inde? Semel iterumque lapſi ſunt in rebus iis, quae mentis acie tantum perſpiciuntur et iudicandi vi ac facultate definiuntur, num ergo ſemper labuntur? Habent enim id cum omnibus hominibus commune, vt ſpecie veri falſi fuerint et praeiudicatis opinionibus abrepti nonnumquam. At vbi ſenſuum iudicio res quaedam conſtat, agreſtis hominis fidem non damnamus, quidni igitur probo eccleſiae doctori fides habetur, cetera ſi ſe recte habeant ſcilicet, nec fraudis clara ſint veſtigia.

Viderit Middletonvs, qui neſcio qua de cauſſa, omnia, quae apoſtolicae aetatis auctoritate ius ſuum non tuentur, miracula, exſulare ex ſacra ciuitate dictatorio

pror-

prorſus ſupercilio iubet: Viderit, inquam, vir ingenio acerrimo, qui nouam hanc Dialecticis legem hancce ſuadeat: *qui ſemel a vero aberrauerit, ei nunquam, etiam vbi rem a ſe viſam narrat, eamdemque valde probabilem, fides habenda eſt.* Maiori circumſpectione eius verba tractanda eſſe, qui ſemel ſpuriam mercem vendidit, nemo non ſapiens dictitat; at viri alioquin probi teſtimonium haud ſecus ac peſſimi nebulonis, reſpuere et pro nihilo ducere, id vero iniquiſſime fieret. Quo autem loco cuiusque habenda ſit fides, ego hic operoſe exquirere nolo. Libri hoc eſſet, non pagellarum aliquot. Et quid iuuaret poſt viros, qui ſumma cum laude hanc occuparunt prouinciam, quaſi poſt Homerum Iliada ſcribere? * Fuerint profecto patres aut leuiſſimi aut impudentiſſimi mortalium, qui tanta conſtantia res magni momenti, diuerſis et temporibus et hominibus, et inter hos quoque magiſtratibus Chriſti gloriae inuiſis, et diſcipulis infeſtis, et ea quidem aetate, qua fraus nulla arte tegi potuiſſet, perſuadere fidenti animo auſi ſunt. Taceo reliqua ἀξιοπιστίας ipſorum indicia, quae ſane, ſi libero animo omnia excutian-

* Indicat praecipuos p. m. BVDDEVS in incomparabili opere et varia eruditione referto *Iſagog.*, L. II. c. III. §. X. p. 523. §. XIII. p. 539.

tiantur, illud nos ingenue fateri cogent, aliquibus eorum narrationibus omnem fidem tribuendam esse. Excitabo ergo praecipuos ex illis, plura qui loca eorum desideret, inueniet in TOBIAE PFANNERI singulari de *donis miraculosis Diatribe.* Adeste igitur testes, et digna professione vestra edite testimonia.

IVSTINVS, qui altero saeculo iam adulto Antoninis ad gubernacula sedentibus floruit, in *Dialogo cum Tryphone* edit. *Colon.* p. 302. 308. *perseuerasse adhuc apud nostros miraculorum dona* affirmat, CHRISTI*que nomine etiam tunc fieri virtutes*, et alibi nominatim memorat, *Prophetiae dona adhuc inter Christianos vigere, daemonia in nomine Iesu adiurata vinxi, et haec aliaque charismata Dei a Spiritu et feminas et viros habere.* Idem *Apologia prima* p. 45. *Complures daemonum intemperiis correptas per totum orbem et in hac ipsa ciuitate Romana multi ex nostris Christianis adiuratos per nomen* IESV CHRISTI *sanarunt*, * *quos*

* Sint inter eos, in quibus daemones habitare veteres christiani putarunt, nonnulli, quos difficilis tantum morbus vexauit et pertinax malum, num minus ergo miraculum erit, diuturnum

quos nec adiuratores alii, nec incantatores expiatoresque sanare potuerant, atque et iam nunc sanant, exarmantes atque exigentes ab hominibus, qui illos obsederunt, daemones. Excipiat hunc IRENAEVS, qui circa secundi saeculi finem suo adhuc et Imper. COMMODI tempore miracula facta fuisse testatur, et disertis verbis *resuscitatos mortuos aliquot, daemoniacos purgatos, et aegrotos sanatos* memorat, *et quosdam prophetiae et visionum dono praeditos fuisse* ait, edit. GRABII *Oxon.* p. 408. 186. 188. L. II. c. 56. et c. 57. L. V. c. 6. confer EVSEBII L. V. c. 7. p. 171. vbi ex IRENAEI scriptis probat, non tantum Christum et Apostolos oratione mortuos excitasse, *sed et saepe inter fratres,* (christianos) *simul vnius loci Ecclesia ob aliquam necessitatem id flagitante, cum ieiuniis multis et orationibus, reuersam esse in corpus animam defuncti, et donatam hominum sanctorum precibus.* et ibid. *Iam etiam, quod diximus, et mortui resurre-*

num morbum, hostem scilicet validissimum inuocato IESV nomine vna voce pellere? At qui vero hoc sexcenties contigisse, loca illa quae GROTIVS ad Marc. XVI. 17. adducit, testatum faciunt.

surrexerunt, *et perseuerarunt nobiscum annis multis*, *et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum*, *quas per vniuersum mundum Ecclesia a Deo accipiens*, *in nomine* IESV CHRISTI *crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* IRENAEI fidem hac in re illud ab omni suspicione liberat, quod L. II. c. 56. Valentinianos refellat, quod caecis non possint reddere visum, surdis auditum, neque debiles et claudos curare, nec mortuos resuscitare, quod tamen inter Christianos saepissime factum esse ait, vbi scilicet quocumque in loco Ecclesia vniuersa per ieiunium et preces id postulauerit. v. IREN. d. l. p. 188.

TERTVLLIANVS in *Apologetico* c. 23. audacter et consulto deastrorum mancipia prouocat: *Edatur*, inquiens, *hic aliquis in tribunalibus vestris*, *quem daemone agi constet. Iussus a quolibet Christiano loqui*, *Spiritus ille tam daemonem confitebitur de vero*, *quam alibi Deum de falso.* Agmen claudat ORIGENES contra *Celsum* edit. *Cantabrig.* L. I. p. 5. Hic vero *miracula*, ad quae, ceu peculiaria religionis christianae argumenta prouocauit in antecedentibus, *miracula haec posse demonstrari ex multis aliis*, *tum ex eo*, *quod vestigia quae-*

dam eorum superſint apud eos, qui ſecundum verbi voluntatem viuunt. Vtramque vero paginam hic faciunt illa, quae L. I. p. 34. et *Verſ. Moshem.* p. 99. profert. Poſtquam enim dixerat, intelligi non poſſe, qui Apoſtoli ſine miraculorum ope tot gentes in ditionem Chriſti redegerint, pergit: *Quin et hodie veſtigia Sancti illius Spiritus, qui columbae ſpecie apparuit, apud Chriſtianos ſuperſunt. Excantant daemones, multas curationes perficiunt, et vident quaedam, ſecundum voluntatem verbi, de futuris.* (wenn es dem Worte gefällt, ihren Geiſt zu erleuchten. Moshem.) *Irrideat licet* Celsvs, *aut introductus ab eo Iudaeus, dicetur, multos paene inuitos attractos eſſe ad religionem Chriſtianam, ſpiritu quodam repente mutante intellectum eorum, ab odio, quo erga verbum detinebantur, ita vt ipſius gratia non cunctarentur, mortem oppetere poſt viſiones oblatas ipſis vel dormientibus vel vigilantibus. Multa enim talia vidimus, quae ſi memoraremus, duntaxat geſta in noſtra*

prae-

praesentia cachinnos tollerent infideles, ra- ti nos quoque, sicut illi, de quibus male suspicantur, fingere. *Testis autem est* DEVS *nostrae conscientiae,* *conari me non falsis narratiunculis, sed variis compertae efficaciae exemplis commendare diuinam Iesu doctrinam, quod sane luculentissimum est testimonium.* Quae quanta in viro probo audacia, quae nisi exemplis firmis et in luce positis suffulta fuisset, ab vno impiorum quoque facile in ruborem data fuisset atque publicae cauillationi exposita. Origenem non possum quin ex manibus abiiciam. Idem enim L. III. contra *Celsum.* *Quidam*, ait, *Christiani in signum acceptae per fidem virtutis mirificae, sanant aegrotos, inuocato saltim super eos* DEO, *qui est super omnia, et nomine* IESV, *addita historia* (euangelica) *de ipso.* *Vidimus enim et nos multos sic liberatos a grauibus malis, mentis alienatione, insania, aliisque innumeris, quibus numquam homines vel daemones opem attulerunt.* confer. L. II. p. 124.

L. VII. p. 334. Priori loco Iudaeos eo vsque a Deo desertos esse ait, vt ne miraculorum inter eos vestigia vlla obuia sint, *inter christianos vero*, pergit, *nondum cessarunt miracula*, *quin maiora* saepe *interdum inter eos fiunt iis*, *quae olim illuxerunt. Si qua nostra hac in re auctoritas, nos ipsos spectatores ipsorum fuisse*, *affirmare possumus.* Vnum adhuc bona vestra venia. De temporibus Gallieni Imp. anno circiter a nato Christo 264. Sozomenvs L. II. *Histor. Eccles.* c. V. haec memoratu digna memoriae prodidit. *Caussae cur omnes fere barbari Christianam religionem amplecti caeperint*, *fuere bella*, *regnante Gallieno gesta*: *multi enim sacerdotes Christi a barbaris captiui abducebantur. Qui quidem homines in illis locis morbis afflictatos sanarunt*, *et a daemonibus occupatos*, Solo Nomine Christi Filii Dei Invocato, *liberarunt*, *et virtutibus obtrectationes superarunt.*

Abeant boni hi viri iterum ad suos et quiescant in pace, nobisque, quibus adhuc

huc certandum eſt, liberam palaeſtram relinquant. In Neothaumatophilum tota acies conuerſa eſt, cum eo ſolo certandum: optabimus ergo ei, vt in extremo hoc actu, (ruit enim tempus ad praefandum nobis datum) boni diſputatoris perſonam non inuerter agat, aut cauſſam ſuam deſerat.

Ille itaque, nolim, inquit, quisquam veſtrum me putet ex his, quae in meam rem huc aduocaui, teſtimoniis hoc extorquere velle, vt, cum proximis a primo ſaeculis viſa fuiſſe miracula conſtet, remotiora etiam multo tempora iisdem neceſſario exſplenduiſſe. Hoc tantum velim mihi detis, *nihil, quod a diuina lege abhorreat, me dicere, ſi ex iisdem euincere ſtudeam, cum graui quadam vrgente neceſſitate, Eccleſia* I. C. *firma fiducia promiſſis Domini inſiſtens flagitaret ab ipſo ſupplex et ieiunio publice caſteque ſeruato miracula, illum precibus ipſius ſplendidum hoc munus dediſſe; atque adeo liberalitatem ſuam nullis temporum limitibus, ſed neceſſitate et vtilitate illius definire ſolere.*

Quare si nos antiquam istam pietatem et heroicam fidem imitemur, si nullis precibus, obsecrationibus, ieiuniis denique aliisque supplicantis humiliter animi et ad Christi normam deprecantis parcamus, Matth. XVII. 21. si ii, quibus apud nos cura ecclesiae mandata publice est, hoc pietatis officium fidelium coetui sedulo commendent, si dominici gregis boni pastores et voce et exemplo suos ad illud excitent, tum probabilius multo amabilissimum χαρισματων inter infideles donum exspectandum est. At num precibus demum, inquies, permouendus est DEVS, vt id largiatur, quod paullo ante lubentissime et suae gloriae caussa facturum esse dixisti? Quid si hoc: Iussit CHRISTVS discipulos suos, exorare patrem, vt operarios in messem mittere Matth. IX. 38. 2 Thess. III. 1. et promissam Spiritus S. effusionem accelerare dignetur Act. I. 4. 14. Io. XVI. 23. ss. scilicet, vt fiduciam, obsequiumque testemur, atque tunc attendisse patrem ad voces filiorum, laeti cognoscamus, nec quidquam casui cuidam fortuito adscribamus, sed omnia beniuolentiae eius,

eius, et I. C. meritis. Io. XIV. 13. 16. 26. 29.

Modo id absit a nobis, vt DEO sapientissimo modum quemdam et tempus praescribamus. Est varia et multa eius in administranda sua gratia, oeconomia. Solus is res cunctas vno obtutu, praeteritas, praesentes et futuras perspicit, consequentia sine omni errore cernit, caussas rerum omnium videt, et earum progressus et effectus non ignorat. Hero igitur optimo omnem hanc rem committemus, at, quod seruorum et proborum est filiorum, in ea speranda gratia, neutiquam negligemus.

Quod si vero quid ab iis, quos nouorum spes demulcet miraculorum et nutrit, peccatum fuerit, id ex fonte minime malo emanasse putemus. Qui enim ex omni Sacra historia didicerunt, DEVM O. M. ingentem semper curam ecclesiae suae egisse, atque gloria I. C. et hominum salute, nihil ipsi prius fuisse ac horum amore omnium

permotum, non legatorum tantum existimatione, miracula indulsisse illum, meminerit; qui ipsum gloriosissimum Seruatorem et felicitatis humanae studiosissimum promisisse meminerit, praesentem se suo numine omnibus diebus ecclesiae futurum vsque ad finem mundi, Matth. XXIIX. 18. 19. 20; qui excitasse eum pios quosdam homines ad hoc munus difficile, nostra aetate, subeundum; qui signa vltimi huius temporis cum istis primae ecclesiae contulerit, magnamque inter vtraque similitudinem animaduerterit; * qui nec illud susque deque habet, illorum pii laboris fructum votis fidelium longe minorem esse, hic aegrius sibi persuadere potest, adeo oeconomiam Dei esse immutatam, vt quum priora illa tempora plena sint diuini auxilii testimoniis, nostra vero, cum istis collata, obscura prope esse; qui promissiones multas et generales quidem sim-

* v. omnino S. Ven. D. Fresenii, Eccles. Francof. Antistitis optime meriti, Differt. Inaugur. *de Signis huius temporis*, nuper admodum Goettingae 1750. editam.

ſimplici humilique fide penſauerit; qui denique in hac nouorum miraculorum ſpe nihil, quod cum clare traditis religionis praeceptis pugnet, offendit; qui haec omnia et alia multa animo ſuo, vt fas eſt, humiliter proponit, hunc non mirandum eſt, facile in hanc cogitationem perſaepe incidere, non abſurdam aut fanaticam hanc ſpem eſſe, ſed ali a piis mentibus et foueri precibus poſſe, quoad intra limites ſe contineant. Noſtrum non eſt inquirere in cauſſas, quare Deus illam nondum impleuerit. Viderit Grotius, qui defendat allatam a ſe (ſupra not. p. LVII.) cauſſam et ex Matth. XVII. 19. 20. 21. tueatur. Metuunt alii non iniuria, ne cum intrepidiores ſint, parum prouidi aliis videantur, et vel inuidiae vel variarum criminationum onus in ſe accerſant. Auertat DEVS modo peſſimum ab eccleſia ſua, malum, inteſtinam diſcordiam et concertationes. Sed quid metuimus? Ipſe ipſi proſpiciet. Vt nihil enim cuiquam bono mali quidquam euenire poteſt, nec vnquam res eius negliguntur a DEO, Rom. IIX. 28. ita illud magis de hoc coetu bonorum ſperandum

dum est. Quae enim ad nostra vsque tempora huic proborum hominum multitudini prima quidem fronte infausto omine accidisse visa sunt, ea omnia, quod ex omni S. Historia constat, ad maxima illius commoda et decus contulerunt plurimum.

Neque illud vehementer extimescamus, fore vt hac ratione Romanensium fraudi et Zinzendorfianae calliditati fortuosae lata porta aperiatur, * perget enim DEVS, per fide-

* Ethnicis Romanenses in fallacibus et fucosis miraculis venditandis minores esse numquam voluisse, testatissimum est. Vt vero illorum fraus facile detegitur (v. HVETII *Demonstr. Christ. Rel. Propos.* 9. c. 147. et c. 39. p. 832. 1035. 1042. CLERICI *Histor. Eccles.* p. 320. 326. 500. 522. 533. 717. 729. ita et horum in aprico est, v. DANNHAVERI Dissertationum nona, quae *de veris falsisque miraculis* inscripta est p. 713. ss. vt, arte fraudem in sanguine ex Ianuario ligneo eliciendo commissum pharmacopola Berolinensis aulae imitatus est;) ita Herrnhuthanorum astutia iam in innumeris libris depicta conspicitur.

fideles ministrorum manus pellem ouinam detrahere istis omnibus, qui non ea quae I. C., sed quae sua sunt, tantum quaerunt, quosque, indignissime fero, amabilissimo SERVATORIS nomine tam turpiter abuti: Sed eo iam res venit, quae DEI est clementia, vt praeter credulas quasdam mentes, aut leues, ad sacra haec infandis flagitiis nobilitata admitti, desideraturum esse neminem, sperandum sit. Certus sum, nihil aduersus veritatem effecturos esse nouae disciplinae architectos, idque vt credamus, irriti conatus mentitorum apostolorum et Thaumaturgorum nos iubent. Vera enim miracula principatum semper obtinuere, suaque apostolis diuina semper mansit auctoritas.

Haec habui B. L. quae, DEVM semel iterumque testor, optimo consilio proferre in medium de difficillima hac quaestione volui. Vt autem nemo hac in re vel dictum quid a me fuisse arrogantius, vel actum audacius putet, ego nunc iterum praedico, proclamo et protestor, nihil me in

in tota hac re definire velle aut certi quid ſtatuere, niſi hoc: 1) *vim promiſſorum diuinorum neque ad certum quoddam tempus reſtringendam eſſe, neque tamen; 2) dies quaſi praefiniendam eſſe fidentius, quae noua miraculorum luce aetatem noſtram illuſtret, ſed* DEI *arbitrio omnia eſſe relinquenda.* 3) *Noſtrum autem eſſe, nihil eorum intermittere, quibus accelerari diuina beneficia cum ex praeceptis S. S., tum vero ex illius exemplis ſat multis videmus.* Iudicent de omni hac quaeſtione, quae non omnino leuis mihi viſa eſt, ii, quorum eſt, nihil negligere, eorum, quae quoquo modo ad eccleſiam et florem illius pertinent. Ego certe illius diſputatione non liti, a qua totus abhorreo, ſed piis aliorum meditationibus et precibus materiam praebere volui. Quodſi vero fuerint, qui aut otioſam hanc tractationem iudicent, aut in enumerandis obſtaculorum eorum, quae curſum euangelii morantur, iuſto longiorem, hi, velim, perpendant, num ea prorſus inutilis habenda ſit diſputatio, ex qua haec et alia cordatus lector cognoſcere queat, pri-

mum:

mum: ſupra quam dici poteſt, humanum ingenium eſſe corruptum, eoque periculoſius proſtratum morbo ſuo epidemico decumbere, quo difficilius remedia exhibita admittit; alterum: Dei fuiſſe legatos duodecim illos, qui nullis armis aut humanis inſtructi praeſidiis, breuiſſimo tempore difficillimam ac illuſtriſſimam victoriam reportarint, profligatis fortiſſimis quibusque hoſtibus: Excuſabunt denique noſtros legatos probi homines omnes, quorum labori ſtrenuo obiecta videbunt mala fere inſuperabilia. Bene ad extremum precemur eccleſiae I. C. quam ferre in medullis noſtrum quemcunque oportet. Obſecremus per communes delicias, IESVM CHRISTVM, ac imploremus DEI fidem, vt, quod tam magnifice de filii imperio cum finibus terrarum orbis exaequando ſpopondit, id, ſi ita commodum ſapientiae ſuae viſum fuerit, prolixe et cumulate facere ocius ac praeſtare dignetur! Atque memores illius praecepti, quod 1 Tim. II. 2. 3. 4. 5. legimus, inprimis ſupplices reges et magiſtratus DEO dies noctesque commendemus, vt per hos

hos victricia euangelii arma longe lateque libere circumferantur. Ah! triumphet fides, floreat casta euangelii pietas: flectantur omnium genua gentium Regi nostro, soli nimirum digno, qui accipiat gloriam et cultum vniuersorum. Huic sit maiestas in secula seculorum, Amen! Scr. in alma Iulia Carol. Domin. Laetare A. O. R. S. CIↃIↃCCLI.



DE

DE

ODIO THEOLOGICO

COMMENTATIO

AVSPICII CAVSSA EDITA

CVM

REVERENDISSIMVS AVCTOR

CANCELLARII MVNVS

IN ALMA GEORGIA AVGVSTA

QVAE GOETTINGAE FLORET

CAPESSERET.

COMMENTATIO
DE
ODIO THEOLOGICO. *

Subiit ſaepe animum meum, diuque tenuit haec cogitatio, unde id ſit, quod, quum vniuerſa Theologorum ratio vitiis et morbis humani generis oppoſita ſit, nulli tamen plurium et grauiorum morborum et vitiorum, nec ab illis tantum, quibus nomen religionis moleſtum eſt, verum etiam a bonis, ſapientibus et ſagacibus viris, arguuntur, quam Theologi. Qui accuſatores ſi hoc ſibi credi vellent, inter rerum diuinarum interpretes non raro apparere homines officii ſui immemores et naturae potius praua ſuadentis, quam diuinae legis et rectae rationis voci obtemperantes, nihil afferrent inopinatum et inſolens, nihil, quod aliquis, niſi ſtulte moroſus, recuſauerit. Ex eodem nimirum, quo reliqui mortales, luto ficti ſunt diuinae ſapientiae doctores, nec omnes in ſe ipſis caſtigandis ſatis diligentes: quare mirum nemini videri debet, nec inter eos deeſſe, in quibus potentior cupido eſt, quam illud boni, rectique ſtudium, quod ipſi Dei verbis vnice commendant. Hoc etiam demus, vti quilibet ordo ſuis ſordet maculis, quas vel inſtitutio, vel vitae lex, vel maiorum mores, vel ipſa denique diſciplina gignit: ita etiam Theologorum pleriſque ineſſe quaedam, non ex toto

* Fuit, neſcio quis, Norimbergae, qui transferenda hac commentatione in linguam vernaculam bene de noſtris hominibus meritus eſt. Num ſermonis vero habitus dignus ſatis ſit Moshemii ingenio, et dicendi vim ac pulcritudinem feliciter expreſſerit fidus interpres, cum illud examinare non licuerit, ego quidem neſcio. M.

quidem mala et virtuti repugnantia, at nec tamen pulcra et laudabilia, si ad illam seueram sapientiae, decori et modestiae normam exigantur, consuetudines quasdam et agendi modos, qui reprehensioni acutiorum loci aliquid relinquant. Verum multo plura poscunt, qui Theologos, eorumque vitia obiurgant et in multitudinis inuidiam vocant. Non iidem nos sumus, si vera narrant, qui ceteri, quos nascendi sors nobiscum iungit, id est, infirmi et fragiles, sub imaginationis et sensuum imperium subiecti, antiqui moris, commodorum, honoris nostri iusto amantiores, victoriae non raro studiosiores, quam veritatis: Haec omnia naturae ad mala propendenti se condonare velle, liberaliter pollicentur aduersarii nostri, aequissimi videlicet, communisque labis non ignari: Sed, quod in Francorum est prouerbiis,* magis ipsis, quam alii, homines esse videmur, gens, quod vir ingeniosus de veterum scholarum magistris canebat,

Gens ratione furens, et mentem pasta chimaeris.

praeter omnem modum inuida, contentiosa, maledica, superba, lucifuga, inexplebili odio et iracundia referta, et si quid his tetrius fieri potest. In quo illud potissimum singulare et portenti non dissimile est, quod, quum aliarum sectarum vitia ex ipsius, quam probant, disciplinae visceribus veluti proficiscantur, eaque re nonnihil excusationis adiunctum habeant, nostra siue vera, siue ficta flagitia prorsus a sanctissimae, quam profitemur, scientiae praeceptis et indole abhorrent, ideoque patrocinium omne ipsa respuunt. Talesne

* Tout homme est homme: mais le Clergè surtout.

lesne igitur ſumus, quales multis putamur, an vero aut obtrectandi libido, aut opinionis error immanem hanc probrorum molem temere nobis impoſuit?

Nolim, vanam aliquis et inutilem hanc quaeſtionem exiſtimet: multum contra ipſius religionis, vt diligentius explicetur, intereſt. Tam deformis enim et vitioſa ſi vniuerſa eſt, paucis demtis, Theologorum natio, tanti mali cauſſae aut in ipſa religione, quam docemus, aut in magiſtris, in educatione, in exemplis, quae nobis proponuntur, in inſtitutis denique a maioribus traditis, lateant neceſſe eſt. Quorum illud ſi ſumas, ſi

Tantum religio potuit ſuadere malorum,

quanta inde vis oriatur conſequutionum perniciosiſſimarum, tam hebes nemo eſt, quin intelligat: Hoc vero ſi magis placeat, id vnum reſtat, vt quae rei ſacrae vel praeſidia, vel ornamenta adhuc duximus, fere omnia repudiemus, et tradendi, agendi, decernendi formam longinquo vſu veluti conſecratam, nec male, vt credimus, conſtitutam, cum alia ſaniori et meliori commutemus. Ad vitia enim quod incitat, eademque enormia, id enorme ipſum et vitioſum eſſe, quis negauerit? In eiusmodi vero diuturni moris abrogatione quantum non dicam difficultatis, verum offenſionis et periculi ſit, quum ſatis pateat, diſſerere nolo.

Proferam potius quae vera mihi viſa ſunt, poſtquam ſapius mente grauiſſimas illas noſtri ordinis accuſationes volui, et conuitia, quibus petimur, omnia ſuis momentis, ſemoto, quantum licuit,

fectae ftudio, ponderaui. Sic ergo ftatuo: Peccat omnino haud leuiter non minima pars eorum, quos parcius ceteris hominibus peccare decebat: addo: turpiter quidam & ignominiofe peccant: atrociora vero et infigniora reliquorum hominum morbis qui noftra iudicant effe dedecora, hi viderint, ne acute nimis cernant, et infectandis aliorum vitiis ipfi vitiofi fiant. Communia habemus, quae in nobis vituperantur, cum illa multitudine, quae turbulentis degeneris naturae motibus obfequitur: Longius vero ceteris aberrare videmur duas maxime propter cauffas. Primum Theologi appellamur: quod vocabulum quoniam arctiorem cum Deo, rebusque diuinis confuetudinem indicat, eos etiam, quibus proprium eft, longius, quam alii, a criminibus et quauis animi turpitudine abeffe debere, fignificat. Deinde in aliorum peruerfitatem, quod muneris lex iubet, diferti fumus, quosque videmus fecus agere, quam ratio fert et diuina voluntas, acriter et libere caftigamus. Sic vero a natura fere comparatum eft, ut tam ea, quae recte et ordine, quam quae perperam fiunt, ab auctoribus fuis pondus quoddam atque aeftimationem accipiant, et vel laude maiori, vel reprehenfione digna pro ftatu et conditione eorum, a quibus committuntur, effe videantur. Quare quod ab illis alienum ab officio proficifcitur, a quibus praeclara quaeuis et egregia exfpectantur, id deteftabile inprimis et fupra omnem modum turpe habetur, mediocre licet fortaffis fit, nec valde a quotidiana confuetudine remotum: Et quod praeceptis fuis contrarium admittit artis cuiusdam magifter, tametfi leue aut modicum, quod cafus forte

ſorte importauit, maximum tamen plerisque videtur eſſe.

Ita ne quis nos imprudentes, cauſſaque parum cognita, pronunciare ſuſpicetur, excerpamus ex longo illo contumeliarum, quibus vulgo afficimur, indice illam, quae caput fere eſt et magnam ceterarum partem complectitur, et vtrum vere illa in nos cadat, an temere ab hominibus ſiue maleuolis, ſiue minus attentis, coniiciatur, enucleata diſputemus. Illud puto ſcelus, quod ODII THEOLOGICI nomine deſignatur. Quod quidem qui commemorant, commemorant vero, hac noſtra praeſertim aetate, innumerabiles, illi omnes capitalem animi morbum, rem veritati aeque funeſtam, atque pietati, malum tanto formidoloſius, quanto aegrius vim eius optimus quisque effugit, at tam alte tamen mentibus noſtris infixum, nullis vt inde conſiliis et laboribus euelli queat, ſeſe deplorare perhibent. Teſtem unum tantum, multis enim in re manifeſta et peruulgata quid opus eſt? vnum, inquam, ſed quo maiorem et locupletiorem nemo deſideret, producam, ipſum Theologum, immo Theologorum coetus noſti, ſi LVTHERVM tollas, principem, PHILIPPVM MELANCHTHONEM. Is vir ſine controuerſia ſummus, nec rigidus nimis, quod notum eſt, alienae ſtultitiae cenſor, adeo exhorreſcebat hoc ODIVM THEOLOGICVM, vt ipſam mortem, terribilium omnium primum, illo tolerabiliorem putaret. Paucis nempe ante ſupremum diebus quum argumenta vndique conquireret ad leuandam imminentis obitus formidinem opportuna, eademque ne memoria elaberentur, litteris conſignaret, liberationem a furo-

re et rabie Theologorum inter praecipua mortis commoda collocabat. *Diſcedes*, ſcribebat bonus ille et lenis MELANCHTHON,* *diſcedes a peccatis, liberaberis ab aerumnis* ET A RABIE THEOLOGORVM. Quam immenſum et horribile malum, bone Deus, quod vir ſapiens, idemque diuturno rerum vſu exercitatus et eruditus, ipſa morte redimere non dubitat? Forte ab hoc egregii hominis ſolatio dictum illud fluxit, quod in ore illorum, qui praeter ceteros vrbani et lepidi videri volunt, crebro verſatur: orandum hodie eſſe Deum, vt a furore et inuidia Theologorum viros pios et ſalutis ſuae ſtudioſos liberet, quemadmodum publicis olim ſupplicationibus rogabatur, vt Normannorum, ferociſſimae et inhumanae prorſus gentis, crudelitatem cohiberet.

Quaenam ſub hoc ODII THEOLOGICI nomine notio ſit ſubiecta, in promptu eſt. Intelligunt, vt arbitror, *vehementem* inprimis, *inſatiabilem* et *modi omnis, finisque neſciam libidinem illis nocendi, qui vel modice ab opinionibus, in quas iurauimus, abeunt, vel fortunis, honoribus et commodis noſtris inſidiantur, aut abire et inſidiari videntur*. Tria ergo inſunt in hoc infami odio, quae illud ſupra vulgare et commune, quod homines agitare ſolet, euehunt. *Primum* Theologi paruas propter cauſſas, quas liberalis et generoſus animus facile contemſerit, inimicitias ſuſcipiunt: iidem *deinde* acrius et animoſius, quos ſibi hoſtes crearunt, oppugnant, quam alii: *poſtremo* nulla re alia, quam aut eius, quem vexandum ſibi ſumſerunt, interitu, aut ſumma ignominia placantur, quum iniuriarum multo citius ceteri

* MELCH. ADAMI in vitis Philoſophor. p. 202.

teri obliuiscantur et celerius in gratiam cum inimicis redeant. Puta, si nil mentiuntur, quos ista delectat accusatio, quod inter animalia ferae sunt, id inter homines esse Theologos.

Iam si ex illis, unde animum ducant tanto nos crimine onerandi, quaeras, infinita omnis generis et aetatis exemplorum multitudine obruimur. Vniuersam enim ciuitatis Christianae Historiam testem aduocant, optimum et sanctissimum quemuis, qui verbis, factisque a regia publicorum doctorum via nonnihil declinauerit, aut tentauerit, egerit, dixerit aliquid rationibus eorum vel ad speciem aduersum, conuitiis et iniuriis exquisitissimis laceratum, oppressum, fortunis omnibus exutum, igne, fune, gladio sublatum esse. Ac ne forte aliquis venenosum illum tantae calamitatis fontem exaruisse, recentioresque magistros maiorum vestigia deseruisse opinetur, ex recentissima maxime memoria viros in primis acutos et venerabiles nominant, qui hunc vnum praestantissimorum consiliorum et laborum fructum ceperint, vt in summum capitis, honoris et dignitatis discrimen a religionum curatoribus adducerentur. Satisne, aiunt, experientia tam diuturna, tam constans, tam late patens probat, sacri ordinis inimicitias suo in genere expletas atque cumulatas esse, ceterorumque mortalium odiis multo perniciosiores? Quibus omnibus copiose, nam facundos iustissima facit indignatio, nec sine querimonia, expositis, aut illo veteris poëtae dicto:

Tantaene animis coelestibus irae?

orationem terminant, aut, si Gallicis elegantiis

magis pascantur, cum Satyrico gentis admirantur, tantum fellis in sanctas sese animas insinuare posse. *

Habemus criminationem, tantam profecto, tamque atrocem, maior et atrocior vt vix alia cogitari queat, si quis munus et mandata eorum, quibus intentatur, attentius inspiciat. Omnes enim quum suo merito stulti videantur, qui aliter ipsi viuunt et agunt, atque aliis auctores sunt, quid in eos dicere conuenit, quos summum Numen tota vita prouidere iussit, vt odiorum et inimicitiarum radices exstirpentur et fraterno amore cuncti coniungantur, si maleficorum et iniustorum ipsi principes sint, nec modo citius, quam alii, exardescant, vero multo etiam tardius ignoscant? Quid in eos, quos Dei filius columbas fellis expertes imitari voluit, si felle ipsi plus, quam ceteri, abundent? Quis publici boni amans genus hominum loco quodam et numero esse in ciuitate patiatur, quod rem publicam bellis et inimicitiis suis turbat, nullosque amat, nisi quos studiis suis et cupiditatibus seruire videt? Fateamur, quod res est: Si tam impotentis animi sunt, vt vulgo feruntur esse, Theologi, neque semel e potestate mentis egressi, ad se redire possunt, caueant necesse est, qui auctoritate et iure imperii valent, ne quid illi dignitatis et opum consequantur, enitantur e contrario, vt quantum fieri potest, depressi et viribus destituti in tenebris contabescant. Tantaene igitur reapse sunt, vt formula in hac caussa familiari utar, tantaene sunt animis coelestibus irae?

Inci-

* BOILEAV Lutrin Chant. I.
Tant de fiel entre-t-il dans l'ame des devots?

Incipiamus a remouendis illis, quae finitima licet huic disputationi sint, in disceptationem tamen haud veniunt, ne soluta nobis vagetur oratio. *Principio* ordinem nostrum, vti reliquos, ex dissimilibus mistum esse, fatemur, alios officio, quod praescriptum est, obtemperare, alios illud negligere: & in his homines esse iracundos, rixosos, implacabiles, quibus iniurias siue veras, siue fictas, ad necem vsque vlcisci, gloriosum et bonorum finis esse videtur. Verum in hoc controuersiae, quam agimus, cardo non vertitur. Ecquae inter homines est familia, ecquis ordo tam purus et integer, suis vt monstris et pestibus careat? Illud vero malum, in quo ODII THEOLOGICI nomen ponitur, singulare est, illisque solis proprium, quibus religionis tutela commissa est.

De sectarum *deinde*, quae ciuitatem Christianam discerpunt et agitant, mutuis discordiis, odiis et funestis litibus, haud quaeritur. Nam et illa

Infidos agitans discordia fratres *

publica est omnium factionum, cuiuscumque generis sint, calamitas, nec minus Rhetorum, Grammaticorum, Poëtarum, Philosophorum, diffidentes inter se scholas obsidet, quam Theologorum. Hic vero morbus tractatur, cuius ipsum nomen indicat, nullis eum metuendum esse, nisi disciplinae sanctioris professoribus.

Ad extremum hoc animaduerti maxime debet, vniuersam eorum, qui diuinis rebus praesident, nationem, non certas eius tribus, immanis cuiusdam

* VIRGILIVS Georg. Lib. II. v. 496.

iusdam odii nomine in crimen vocari: ex quo efficitur, non ex praeceptis nonnullis et ſententiis, quas haec vel illa tantum familia probat, vitium iſtud naſci, verum ex cauſſis per vniuerſam civitatem Chriſtianam manantibus. Illud quidem vt concedamus, haud aegre a nobis aliquis impetraverit, in quorundam Chriſtianorum dogmatibus tantum reſidere ad eiusmodi odium, quale Theologicum eſſe dicitur, producendum potentiae, vt qui adſciſcunt ea, nullo illud modo effugere queant, niſi aut a naturae clementia, aut diuina quadam virtute contineantur. Eſt, quod nemo ignorat, in primis ſcitis populi illius Chriſtiani, qui ſe Romano-Catholicum vocat: ſubiecisse IESVM CHRISTVM totam eorum, qui ab ipſo nominantur, multitudinem unius Romani antiſtitis voluntati, eamdemque non aliis ab hoc legato ſuo legibus gubernari velle, quam illis, quibus ciuitates et imperia reguntur. Sume tibi hanc opinionem, et vide deinceps, num placido tibi et manſueto erga eos eſſe liceat, qui mandatis eius, quem Regem ſacrorum putas, vel ſegniter obediunt, vel aperte aduerſantur. Si pro Chriſto legatione fungitur inter homines Pontifex Maximus, violatae ſine dubio maieſtatis diuinae rei, perduelles, perfidi ſunt, qui ſecus, atque ille vult, ſentire et agere audent: quos ſi tu non dicam diligeres, verum aequo animo ferres, ipſum IESVM CHRISTVM exquiſita iniuria afficeres. Quod ſi porro eamdem eſſe voluit imperii ſacri formam Seruator ſanctiſſimus, quam ciuilis, quod magiſtratibus in ciues improbos et nouarum rerum ſtudioſos, idem ſupremo eccleſiae iudici in homines licebit factioſos et iuſſa ſua detrectantes:

es: nec idcirco iniuste fecerit, si ferro et igne seditiosam turbam exstirpet, aut minis et cruciatibus ad officium reuerti cogat. Quae quum mecum expendo, lenitatem illam et humanitatem, quam solito multo maiorem caput et proceres Romani coetus erga *haereticos*, aut, quod modestiores dicere malunt, *segregatos fratres* prae se ferunt hodie, rebus ipsis parum consentientem et simulatam esse, suspicor. Nimirum dum hanc tenebunt et caute custodient sententiam, regnare aliquem inter homines pro CHRISTO, eumque iisdem vti maiestatis iuribus, quibus populorum rectores: inter quae sine controuersia ius est bello ciues noua molientes et legum auctoritatem spernentes persequendi et suppliciis coërcendi: ipsi sibi omnes fontes aequitatis et amoris in dissentientes obstruent. Verum haec illi viderint, ad quos pertinent: nobis ostendisse satis est, illud, de quo loquimur, odium, quoniam totius sacri ordinis esse fertur, distare ab eo, quod certa quaedam praecepta et dogmata, non ab omnibus recepta, pariunt.

His, quae commemorata sunt, amputatis et a disputatione nostra seclusis, liquet, vt opinor, eos, qui nos omnium hominum biliosissimos esse, perhibent, hoc significatum velle, modo significare aliquid, non maledicere, aut ludere velint, latere in mentibus *omnium* eorum, quibus *Theologorum* nomen inscribitur, igniculos, nescio quos, nec vnde natos, quibus vel tenuissima aura afflatis, ingens irae et odii flamma existat, nullis rebus aliis, quam aut morte, aut humili deprecatione eorum, a quibus deriuata est, exstinguenda. In quo tamen non eo vsque iniqui

sunt,

ſunt, vt negent, quosdam, eos ſcilicet, quibus aut liberale ingenium obtigit, aut mentis acies ſiue Dei ipſius, ſiue rectae rationis beneficio curata eſt, tanti vitii expertes eſſe: quamquam hos ipſos, ſi cum reliquis comparentur, perpaucos eſſe, contendunt. Iam vtrum vere ſic exiſtiment, an vanis et inanibus viſis decipiantur, exploremus.

Ego, vt quod ſentio, ſtatim aperiam, etſi manifeſtis animorum morbis patronus adeſſe nolim, nec in ordine, cui ipſe adſcriptus ſum, iure quaedam a viris perſpicacibus deſiderari, diſſimulare velim, ODIVM illud THEOLOGICVM, de quo tam multus ſermo fluit, non culpae cuiusdam, non inſtitutionis, non ipſius denique diſciplinae noſtrae, ſed *humanae naturae delictum* eſſe, iudico, nec rabioſius nos facere aliquid, quam alios, qui ſibi magis ſtudent, quam Deo, ſtatuo. At quoniam nullos magis dedecent inimicitiae, quam eos, quos diuinus magiſter, idemque religionis princeps et auctor, placabilitatis et caritatis non praecepta ſolum, verum etiam ſpecimina fratribus ſuppeditare iuſſit, ideo grauiſſime omnium aegrotare et fellis vni omnium ditiſſimi eſſe videmur, quum in hoſtes molimur aliquid modeſtiae et aequitati parum congruens. Addant alii, quibus commodum eſt, alias cauſſas: ſunt enim, niſi me fallit opinio, praeter hanc principem aliae: quas quidem, ne illo ipſo, quod profligatum cupio, odio, ardere paulſulum videar, conſulto praetermitto. Vtinam ne hanc ſententiam, in quam non niſi bene ſubducta ratione ingreſſus ſum, aliis fruſtra perſuadere coner! Nam ipſius religionis dignitatem hoc poſtulare arbitror, vt

obſiſtamus,

obſiſtamus, ne tutores eius atri magis eſſe videantur, quam reapſe ſunt, nec malorum et improborum primi putentur, quos vltimos eſſe oportebat.

Primum igitur *de ipſo odio:* deinde *de cauſſis:* poſtremo *de modo.* In quibus omnibus ſi nihil inuenerimus a communi humani generis more alienum, ſic mecum rationem concludent aequi omnes et boni; peccent licet Theologi aduerſarios premendo et inſectando, haud tamen minorem eos ſanitatis partem habere, quam illos, qui aliam vitae rationem ſequuntur.

Principio ſtomachari ſodales meos, illos puto, qui non Deum, non rationem, ſed ſeipſos audiunt, moleſtiis et inſidiis forte orientibus, atque male velle illis, qui aut de auctoritate, qua valent, aut de commodis, quibus fruuntur, aut de diſciplinae, quam profitentur, excellentia detrahunt, tam parum habet admirabilitatis, vt mirabile potius foret, ſi ſe aequo animo contemni et bonis ſuis exui paterentur. Eſt hoc omnibus natura inſitum, vt ſe, ſuamque felicitatem, veramne, an fictam nil refert, diligant: vnde fit, vt ſecunda eos fortuna vti nolint, quos ſuis fortunis inhiare et quae neceſſaria et optabilia putant, eripere ſibi velle, intelligunt. Tales autem ſine dubio ſunt non modo, qui aut hoc dedita opera agunt, vt minus, quam antea, beati et honorati ſint Theologi, aut impediunt, ne quam bonorum, honorum et potentiae acceſſionem adipiſcantur, verum etiam qui quae publice docentur ab illis derident, et populi ſalutem imperitis magiſtris commiſſam eſſe, dolent. Quorum vltimum qui hoſtile ideo negant eſſe, quia ſapientis

et

et honesti viri nomen non statim amittunt, qui a vero nonnullis in rebus desciscere dicuntur, illi non considerant, quantum inter religionis interpretum et aliorum hominum errores intersit. Errant plerumque et sine magno aliorum periculo, et sine sua ipsorum insigniori infamia, qui vitiosas rerum naturalium, ciuilium et litteratarum imagines in animos introducunt, qui vim sententiae aut dogmatis cuiusdam Philosophici non satis assequuntur, qui male narrando factum aliquod imprudentes deprauant, aut alia his cognata committunt: At qui viam salutis aliis monstrare iussi sunt, idque iter vel ipsi ignorant, vel aerumnosum et difficile reddunt, vel denique occultant et obscure designant, illi non iniuria non modo turpissimi, verum etiam in primis noxii et perniciosi putantur. Hoc ergo primum ratum et fixum sit, illud aduersariorum odium, quo magna ordinis nostri portio ducitur, non Theologicum aut sacrum, sed humanum et naturae crimen vocandum esse.

Nunc ad *caussas:* in quibus oratio eorum potissimum exultare solet, qui nos omnium hominum impotentissimos et iniquissimos esse, clamant. Habent, aiunt, placet enim ipsos loquentes inducere, habent hoc a natura mortales, quod illatas sibi iniurias depellunt et rerum suarum hostes inuadunt: Verum hoc habent siue a vecordia, siue ab arrogantia et dominandi libidine, siue ab aliis intestinis vlceribus Theologi, quod hostium suorum nomine omnes comprehendunt, qui paullo aliter, atque ipsi, de re sacra decernunt et immensae indignationis materiam ex leui dissensione eliciunt. Labatur forte aliquis sermonis

sonis errore, aut fecus, quam comminis magistrorum consuetudo fert, de particula quadam religionis loquatur: optet alius distinctionem subtilem magis, quam vtilem tolli: dubitet quidam de veritate dogmatis nec ad beate viuendum, nec ad spem futurae vitae firmandam necessarii: statim ingenia hominum exardescunt et indelebile odium concipiunt.

Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.

Miser ille, etsi non ipsam religionem diuinitus datam, sed formam tantum religionis, hominum studio inuentam et stabilitam, suspensa manu attrectauit, plebis tamen furori, magna conuitiorum mole onustus, lacerandus et fortunis, honore, ipsa, si fieri possit, vita mulctandus, sine misericordia traditur. Haec illi, quod copiosi et eloquentes homines solent, longa oratione explicant et exemplis ex omni Historia accersitis confirmant: nos paucis tantum attingimus, quoniam in omnium manibus libri versantur, quibus inuidiosus hicce locus enodate tractatur. In hoc ergo iniquitas et turpitudo Theologici odii potissimum cernitur, quod palea citius accenditur et minimis ex principiis proficiscitur: nec idcirco male audimus, quia irritamur, ab aliis duriter tacti, sed quia facilius et celerius irritamur, nec probabiles inimicitiae caussas a vanis et futilibus distinguimus.

Contra haec plurima disputare licet homini non prorsus obtuso et tardo: nos pauca tantum quae luculentiora videntur. Accedamus primum ad eos, qui nos mobiliores, quam dici potest, esse, querantur, et longi, maximique odii rationes

parvas, immo nullas, plerumque habere, opinantur. Dato hoc, par erit in vtrisque, et in accusatoribus et in accusatis, culpa. Quid enim? Qui temere rixas ciet et iurgia, hominemque ad arma vocat, quem iracundum et felle plenum esse non ignorat, isne minore sese crimine obligat, quam ille, qui natura procliuis ad iram stomacho, leuiter incitatus, frena laxat et in prouocantem amens irruit? Eccur tu, vir sapiens scilicet et moris nostri gnarus, eccur tu publicae pacis caussa, non parcis generi adeo irritabili et iniurias biliosorum hominum, quas ferre nequis, silentio et modestia declinas? maxime quum te ipso auctore, parum ad beatam vitam momenti habeant, quae in nobis corrigenda esse censes. Non loquimur tibi satis commode: non apte satis animi notiones disterminamus: de nonnullis a summa religionis remotis parum vel euidenter vel caste praecipimus. Quid haec, quaeso, omnia ad te, quum nihil detrimenti afferant illis, in quibus sincerum est salutis obtinendae studium? Sine nos sermone vti minus aperto et facili: sine coniuncta vitiose distrahere, disiuncta male sociare: sine denique, te paullo indoctiores et insipientiores esse. Satiusne est haec omnia, ex quibus tu ipse, si maneant, parum incommodi metuis, si tollantur, parum fructus speras, satiusne est has labeculas moderate ferre et silentio tegere, quam intempestiua reprehensione pugnacissimi generis et tuam et rei publicae tranquillitatem tollere?

Ita litem nobis lite resoluere et quod in nos vibratur telum in hostes retorquere licet. Verum mittamus hanc contendendi rationem, quae non tam purgat nos, quam aduersarios polluit, et propius

ius congrediamur. Pusilla sunt, aiunt, et exigua, quae animos nostros exacerbant et inflammant: non dubitamus, ita illis videri: At quum omnis de quaestionum grauitate et leuitate disceptatio valde anceps sit, idemque aliis magnum, aliis paruum non raro esse videatur, aequitatis lex iubet, vt cognoscatur ante omnia, num quae vilia ipsi putant, pretio reapse careant. Cuius controuersiae iudices si non illi, quorum res agitur, verum extra partes positi et rerum humanarum ac diuinarum periti constituantur, multa forte quae ad vltimum locum male consulta perspicacitas detrusit, ad excelsiorem et honestiorem reuocabuntur. Norunt, vt ea tantum, quae omnium sunt postrema, tangam, viri prudentes et vsu edocti, vnum saepe vocabulum temere aut mutatum, aut proscriptum, periculosas peperisse suspiciones et publicae quietis fundamenta labefactasse: norunt, tradendi rationem temporis diuturnitate consecratam ipsa plurimis religione non inferiorem videri: norunt, maximarum conuersionum tenuissima non raro initia esse: norunt denique, grauissimis tempestatibus fores aperuisse olim nonnullos, qui nubeculas antegressas otiosi spectarunt, rati, fore, vt breui dissiparentur. Quae quum ita sint, veniam esse dandam arbitror religionum curatoribus, si formido futurorum malorum attentos ad illas etiam molitiones eos faciat, quae per se nihil calamitatis portendere videntur. Cui vigilantiae si quid inhonesti et iniqui odii in eos, a quibus sibi metuunt, admiscetur, ego quidem haud intercesserim, ne iniustitiae et acerbitatis poenas dent, quas merentur: hoc tantum pugno, communis naturae modum

 homi-

homines non excedere, nec ſupra ceteros impro-
bitate et malitia eminere. Vulgare nimirum eſt,
cum timore periculi deteſtationem eorum, a qui-
bus excitatur, coniungi.

Excedamus ex hoc loco non ſatis fortaſſis pro-
babili his temporibus noſtris, et ad alium progre-
diamur, magis, ſi quid video, ad ingenium ſae-
culi accommodatum. Accipiant, quod ſibi con-
cedi volunt, Odii Theologici praecones,
exiguis plerumque cauſſis nos in arenam euocari:
haud tamen cauſſa cademus, modo hoc nobis vi-
ciſſim dederint, ſpeciem eas grauitatis apud illos
habere, quos vrunt et fodicant. Quod ſi in ani-
mum inducere nequeunt, ſtatuant neceſſe eſt, id
quod fieri nequit, euentum cauſſa ſua maiorem
eſſe, id eſt, diuturnum et vehementiſſimum odium
aut nulla aut perexigua ex animi moleſtia exſiſte-
re poſſe. At in perturbationibus animorum di-
iudicandis non, quantum illud in ſe ſit, quod mo-
uet homines, ſed quantum videatur illis, qui
mouentur, conſiderari debet. Quare ſi iuſtae
Theologis et arduae putentur eſſe rationes, pro-
pter quas bellum aliis inferunt, quidnam illi ſe-
quantur, haud video, qui aliis eos deteriores eſſe
iudicant, quibus, vt toleranter illatas patiantur
iniurias, perſuaderi non poteſt.

Hoc loco ſi quis occurrat mihi, id ipſum in il-
lis damnari, quod inimicitiarum cauſſas haud di-
iudicant et magna ſibi fingunt et ponderoſa, quae
limatis ingeniis parui aeſtimantur; rudis enim et
incultae mentis id ſignum eſſe: ab hoc ego mon-
ſtrari mihi non ſectam, non ordinem, verum ho-
minem velim huius maculae prorſus neſcium.
Vbinam, obſecro, terrarum degunt, quibus tam
feli-

dicibus esse licet, vt pulcrum nihil et praeclarum existiment praeter ea, quae omnes rectae rationis compotes pulcra et egregia esse sciscunt? Incredibili nimirum in opinionum varietate positi sunt mortales de illis, quae vel anteferri vel postponi debent aliis: vnde fit, vt homo semper hominem leuitatis et temeritatis in iudicando postulet. Turbam certaminum in scholis suis alunt Philosophi, vt de Iureconsultis, de Medicis, de Grammaticis sileam, quorum nullum tam exile volunt *esse*, vt sine veritatis iactura deseri a se possit. Quanta vero vis est hominum minime stultorum, quae hanc totam abstrusarum quaestionum syluam despicit et ingredi recusat? Incauta vox hominis forte haud mali viros magnanimos ita saepe perturbat, vt ensem subito poscant, conuitiumque sanguine expiari velint. Quid ceteri militaris illius gloriae minus appetentes? Mirantur, *verbulum* tantam gignere flammam potuisse, foedoque errore animum fortissimi viri excoecari, iurant. Soline ergo Theologi tam miseri sunt, vt quae natura sua leuia et vana sunt, opinione *sibi* commendent et exaggerent?

Hactenus de caussis ODII, quod THEOLOGICVM nominant: de *modo* nunc, quod postremum est, agamus. Habent suos terminos communes et naturales inimicitiae: nullos vero, vti perhibent, religiosae et sacrae. Trahuntur plerique omnes, qui se laesos arbitrantur, vindictae studio, alius licet alio pro naturae ratione vehementius: at vincunt omnes, qui ab omnibus hac parte vinci debebant, furore et insania. Nulli sic aestuant, nulli tam curiose omnes nocendi vias pertentant, nulli bellandi artes tam acute variant, quam illi,

 quos

quos placidiſſimus Seruator voce et vita pacem et amorem ſuadere voluit. Ceterorum hominum odia ratio, dies, preces et aliae cauſſae paullatim ſedant et diminuunt: hos nihil placat. Magna certe nobis mala, quorum hae voces ſunt, narrant: diſcrepat, vti volunt, odium Theologorum a communi, quod natura dictat, binis rebus: Acerbitate et conſtantia. Expendamus vtrumque. De immanitate primum et incredibili vehementia odii noſtri quod queruntur, metuo, vt ſatis probaturi ſint. Magna quidem in promtu habent exempla, quae ſine ſine teſtantur: verum haec contrariis facile exemplis oppugnari poſſunt. Fuerit vnus item et alter noſtrorum, fuerint plures conſiliis omnibus immoderati et deuii: haud minor tamen eorum numerus laudari poteſt, qui ratione inimicitias, quas ſuſceperant, temperarunt, multoque minus, quam licebat, hoſtibus malorum et incommodorum inferre voluerunt. Motus animorum et perturbationes, ingeniorum corporumque natura et diſciplinae, quam a primis annis accepimus, indole plerumque definiuntur. Quae quum in noſtri ordinis viris, non ſecus ac in aliis hominibus, valde ſint diſparia, conſentaneum eſt, vt non omnes eumdem amoris et odii modum ſeruent, ſed alii aliis molliores vel duriores, aequiores vel iniquiores ſint: niſi forte quis, quod abſurdum foret, ſtatuat, peſtifera quadam aura omnes afflari, qui ſe ſcholis noſtris committunt, vt naturalem lenitatem prorſus deponant et aequaliter omnes rabioſi fiant.

Verum eſto, tales eſſe nos, quales ferimur, homines omnium bellicoſiſſimos et ad hoſtes opprimendos ceteris mortalibus et ingenioſiores, et vio-

violentiores: haud contemnendum tamen praesidium ad amoliendam, qua cumulamur, inuidiam relictum nobis erit. Quis nescit, naturam commotiones suas rerum, ex quibus oriuntur, excellentia et dignitate metiri? Qua nos ratione adducimur, vt plus solito excandescere et laborare eos patiamur, qui eorum, quae summa, quae carissima, quae maxime necessaria ducunt, iacturam metuunt. Excusat odii et irae magnitudinem rei, quam sibi dolent eripi, magnitudo. Religione vero quid vel fieri vel cogitari potest excellentius? quid pulcrius? quid ad omnem vitae statum conducibilius? Nihil saltim maius et praestantius videri potest illis, quorum salus religionis salute continetur. Hoc concesso, cogitemus, sic nobis firmiter esse persuasum, actiones eorum, in quos odium nostrum cadit, cum ipsius religionis diuinitus traditae ignominia, periculo et detrimento coniunctas esse: rectene, an secus, hoc iudicemus, non quaeritur: satis est ad rem, quam in manibus habemus, nos ita iudicare: hoc si cogitemus, quis magnopere odii, quod concipimus et nutrimus, grauitatem admirabitur! Respondet illud grauitati caussae suae, quae nihil languidi, nihil moderati, nisi aut Deus, aut rationis consilium vim eius fregerint, parere potest. Noli arbitrari, ex Theologo prodire insanos illos, qui tantum tibi terroris iniiciunt, in aduersarios impetus, inexhaustam illam circumueniendi, opprimendi, vexandi voluntatem: ex homine prodeunt haec flagitia naturae tecum communitate sociato, cuius tu certe mores, si casus in te similis incurrat, imitaberis.

De perennitate et constantia odii religiosi, quod ultimum est, idem fere quod de eius immanitate et acerbitate dixerim. Liceret mihi, si otiosus essem, exempla, quae ad eam probandam testantur, totidem, immo pluribus et maioribus, exemplis refellere: sed quid opus est isto labore? Habeant sibi, quod volunt, obtrectatores nostri, bellandi et saeuiendi finem non antea facere solere illos nostri ordinis, qui deprauatae naturae obediunt, dum aut is, quem petunt, occumbat; aut calamitatum onere obrutus misericordiam tortorum suorum supplex imploret: verum hunc sibi errorem eximi patiantur, nos vt institutis, ita hac odii pertinacia a reliquo genere humano disiungi. * Tot nobis sunt morbi huius socii, quot homines res sibi carissimas in summo discrimine versari et vindicem idcirco postulare opinantur: neque alia de caussa irae nostrae sunt aeternae, quam quia proh dolor! iisdem eas legibus, quibus alii suas, regimus. Ignauissimi quique mortalium ad arma conuolant, quum violentas illis manus

* Commodum haec scribentis in manus venit scriptor Gallus e recentissimis, qui rem, quam oppugnamus, apte satis et eleganter explicat. *Journal universel Tom. XIII. p. 212. C'est quelque chose d'inconcevable, que la vivacité & la constante opiniatreté des passions dans les Ecclesiastiques! Un homme de monde a-t-il perdu de vûe son Ennemi mortel, sa haine s'evanouit & disparoit avec la personne qui en est l'obiet. Il n'en est pas de même dans le Clergé. Un* (Theologien) *prend, sans aucun fondement de l'aversion pour un homme, qui n'a fait d'autre mal que de ne lui pas obëir, dans des choses que sa conscience lui defend de faire: c'en est assez: cet homme devient son ennemi iuré, & vecut-il deux cens ans, il ne le perdra jamais de vue, ni ne manquera aucune des occasions qu'il pourra trouver pour le perdre tôt ou tard.*

manus iniici videnť, sine quibus se beate viuere posse desperant, nec ad tranquillitatem reuertuntur, nisi fugatis, deletis et omni potestate nocendi priuatis illis, qui contra suam salutem veniebant. Non ante dimittit agricola patrimonii sui vastatores, quam plenam ab iniuriis illorum securitatem nactus sit: nec Philosophi, milites, opifices audacius aliquid et iniquius se agere, verum ius sibi suum tenere arbitrantur, si artium, quas profitentur, importunos contemtores ad incitas redigant. Eodem prorsus modo Theologi: Qui quoniam existimant, quidquid de religionis sanctitate, dignitate et incolumitate deteritur, id de ipsius supremi Numinis gloria, de humani generis salute, de sua denique felicitate deteri, pacem cum illis, qui res tam excelsas et egregias aggrediuntur, constantissime respuunt, eundemque belli et formidinis suae terminum constituunt. Iam quid his omnibus perceptis et accurate pensitatis relinquitur? Quid, nisi hoc, quae hac nostra aetate de Odio quodam Theologorum inusitato, extraordinario, communem naturae modum excedente, accusatorie a multis differuntur, commenta esse hominum aut indolis et ingenii humani insciorum, aut ipso illo animi morbo, quem in nobis reprehendunt, infectorum. Valeant turbulentae animae et alium sibi defensorem quaerant, quae amoris officio desunt et dolorem quantum possunt maximum inurere illis student, quos caritate et mansuetudine, ex diuini magistri praescripto, in viam reuocare debebant; ego hoc tantum conuincere studeo, eos ipsos, qui hoc sese crimine contaminant, non exemplum odii aliis dare, sed a communi natura sumere-

re. Non illud ergo dolendum est, fellis copia coelestes animos abundare magis, quam alios, verum hoc, inter coelestes animos non deficere, qui aeque turpiter et immoderate, atque faex mortalium, insaniant, turbidosque motus sapientia componere nolint. Huius in doloris societatem sponte veniemus, non in opinionis illius, quae Theologi pectus funestissimi odii sentinam quamdam esse perhibet.

Haec nondum mihi, nondum libris, nondum illi mentis serenitati, quam litterae expetunt, redditus inter primas salutationes et consuetas aduenarum molestias, ex tempore veluti effundo, non quo doceam, qualis quantusque ingenio et doctrina sim, nec enim hoc requirebatur, sed quo pignus quasi quoddam voluntatis, quam in hanc illustrem omnium disciplinarum et artium sedem mecum affero, exhibeam. Vitiorum osor et inimicus inexorabilis, at idem cautus illorum et religiosus aestimator aduenio: ipse ne grauiores culpas contraham et peccandi audaciam aliis subiiciam, sancte cauebo: idem si qua in aliis iure vel iniuria desiderari sensero, ea suis modeste momentis examinabo, ne temere accusando ipse apertum aduersario latus obiiciam. Felicem me, si promisso huic, quod latissime patet, et vniuersum fere officium meum continet, satis fecero! Miserum vero, ingratum et vecordem, si aliam vitae et actionis normam sequar! Neque enim vllam earum rerum abesse sentio, quae hominem non vel stupidum, vel improbum a violanda, quam publice dedit, fide auocare et ad partes suas pro viribus agendas cohortari valent.

Ipse

Ipse primum locus, quo me POTENTISSIMI ET SAPIENTISSIMI REGIS clementia posuit, quotidie, si sanus sim, monebit, omnes, quibus valeo, animi et ingenii vires intendendas esse, ne tanto munere indignus prorsus esse videar. Immortali enim maximi scholae huius parentis et altoris beneficio affectus, qua ratione gratum animum, quod inprimis volo, declarare possum, quam omni opere studendo, vt, si fieri possit, bene, si hoc per meam infirmitatem fieri non potest, non male saltim de ea merear? Succedunt quos pro salute prouinciarum Germanicarum excubare PATER PATRIAE OPTIMVS iussit, viri aeque genere et dignitate, atque inexhausto publicorum commodorum amore, totque aliis virtutibus et dotibus eminentissimi: inter quos illum, honoris caussa, nominare fas est, IMMORTALEM PATRONVM NOSTRVM, in cuius tamquam Genii Custodis sinu alma GEORGIA AVGVSTA, casuum secura, requiescit et noua in dies ornamenta acquirit. Quorum heroum siue beneficia, siue exempla, nam vtrisque licet vti, si nihil apud me virium haberent ad animum honestae cuiusdam laudis desiderio incendendum, non rationis, sed sensus inops prorsus forem. Ab his si ad eos oculos conuerto, quorum in collegium adscitus his diebus sum, venerandos et illustres viros, et iudicio famae, benignissimo licet, maiores et nobiliores, chorum quemdam auctorum praeclare et laudabiliter agendi cernere mihi videor. Nullus certe in illis est, in cuius me disciplinam sine eximio fructu dederim, nullus, cuius imitatio segnem et remissum me sinet esse ad ea, quae DEO, quae REGI MAXIMO, quae patriae, quae

quae iuuentuti bonis et ingenuis artibus deditae, debeo, praestanda. Ipsi denique Academiae huius ciues, si animum aduertam, ad officium rite obeundum me adhortabuntur. Quorum quidem pars longe maxima, quod non assentandi studium, sed veritas scribere iubet, quum omne dedecus fugiat et modestiae, diligentiae, probitatis, omnisque recti moris exemplum aliis praeire queat, hoc mihi quotidie arcanam in aurem dictabit: Boni gregis malum ducem rei publicae pestem esse, faciliusque prauis eorum exemplis, qui altiori loco collocati sunt, corrumpi animos, quam sanctissimis praeceptis emendari.

Ad extremum quantum ad me excitandum non minus, quam continendum, conferre possit frequens consideratio admirabilis illius prouidentiae diuinae, quae adhuc vitae meae cursum gubernauit, copiose exponerem, si de me, rebusque meis commode aliquid et decore a me commemorari posse, considerem. Dicam paucis, quae sine vitio et inuidia dici, et vix sine reprehensione omitti posse arbitror. Sentio me in voraginem quamdam variarum cogitationum abripi, quum attentus fatorum meorum a primis aetatis meae annis ordinem mecum repeto: e qua numquam, nisi coelesti quodam igne, si hoc dictu fas est, accensus, nisi plenus gratissimae erga supremum Numen voluntatis redeo. Id vero potissimum mihi euenit ea commentanti, quae ingressum mihi in prouinciam, cui nuper impositus sum, aperuerunt. Latebam inter libros, minutasque diuersi generis curas abditus, fabulaeque meae non tam nouum actum, quam exitum, composita mente exspectabam: iamque tumulum mi-

hi ipſe conſtruxeram, cui animae exuuiae, membra multorum annorum continuis laboribus feſſa et attrita, inferrentur: latebam, inquam, tranquillus et ſorte mea contentus, quum me nec opinata vox diuina excedere domicilio, in quo mori decreueram, et alio proficiſci iubet. Diuinam enim quidni appellem vocem nec ſperatam, nec precibus et votis expetitam? Haereo primum et quid facto opus ſit, lentus circumſpicio: paullo poſt ſequendum et parendum eſſe iudico. Verum procedentem haud pauca morantur et interpellant, hinc publica, illinc priuata: terrebat inter alia nonnihil ſplendor theatri, in quod euocabar, ampliſſimumque illud magnorum virorum concilium, cui adſcribendus eram, homo ſeneſcens iam et ingenii robore, ſi modo umquam habui aliquid ingenii, paullatim deficiens: nec liquebat ſtatim, quid Sereniſſimus, idemque Clementiſſimus Herus meus, cuius nutum et voluntatem me reuereri vnice oportebat, a me vel fieri, vel omitti vellet. Ex his difficultatibus exitum quaerenti praeter omnem opinionem quae aſpera et implicata videbantur, plana et expedita apparent omnia: Diffluunt ſubito, quae ſuſpenſum tenebant animum: Et quod primum erat omnium, Princeps immortalitate digniſſimus facultatem diſcedendi primum clementiſſime promittit, poſtea verbis perhonorificis et magnanimitati TANTI HEROIS congruentibus concedit. Igitur deliberare deſino, Deusne, an caſus et fortuna viam mihi monſtrent, et diuino fretus auxilio certus et alacris quo iubeor, proficiſcor. Haec et alia, quae prudens ſileo, ſaepius, quod et volo et debeo, mente verſantem, quaenam vota facere,

cere, quid cogitare, quid agere, quid moliri, oportebit? Hoc, nisi vel impius, vel infans sim, vt maximo et munificentissimo REGI, cuius senectutem viridem, longam et gloriosam supremus rerum humanarum arbiter esse iubeat, fidem datam sancte et inviolate praestem, vt sapientissimis rerum eius et populorum in Germania administris, et in his MAECENATI NOSTRO prouidentissimo et liberalissimo, promtum, obsequiosum et gratum me praebeam, vt quod mihi restat virium pro incolumitate et gloria litteratae huius ciuitatis hilaris expendam, vt studii huius socios, viros inclytos, fulcra et ornamenta nostra, merito honore afficiam et ad tolerandam infirmitatem meam quouis officiorum genere inducam, vt denique Illustrissimae, Generosissimae et Nobilissimae iuuentuti, quae ad hunc liberalium et bonarum artium mercatum confluxit et maiori in dies numero confluit, illi maxime, quae in spem ecclesiae adolescit, sanctimoniae, probitatis, humanitatis, modestiae lucem praeferam. Spero, futurum, vt ipse, a quo omnis bene agendi voluntas proficiscitur et successus, Deus Optimus Maximus, rectis meis consiliis, propitius faueat: neque fallet haec spes, nisi, quod abominor, efficacissimam ipsius voluntatem iuuandi per me hanc bonarum rerum omnium officinam, vltro ipse destituam. In Acad. Georgia Augusta Kal. Nouembr. A. O. R. MDCCXLVII.



MEDI-

MEDITATIO
DE
DIE CHRISTI
AB
ABRAHAMO VISA

AD LOCVM
Ioh. IIX, 56. coll. Ebr. XI, 19.

AD
VIRVM
DVM VIVERET
MAXIME REVERENDVM ATQVE
SPECTATISSIMVM
FRID. ADOLPH. LAMPIVM
ORACVL. SACR. APVD BREMENSES
INTERPRETEM.

MEDITATIO
DE
DIE CHRISTI
AB
ABRAHAMO VISA. *

Argumentum.

Occasio scriptionis §. I. De voce ἀγαλλιάσεως observ. §. II. Quid sit *dies martyrum* §. III. Variae de hoc loco praecipue Cl. LAMPII sententiae examinantur §. IV-XIV. De phrasi *videre diem* alicuius §. V. VI. Nexus et scopus sermonis I. C. §. X-XIV. Comma si illustratur et confertur cum Levit. XVIII. 5. §. XII. Auctoris de hoc loco sententia proponitur §. XIV. XV. Dies resurrectionis est dies natalis et vocatur παλιγγενεσία Loca Coloss. I. 18. Ebr. I. 6. Matth. XIX. 28. illustrantur §. XVI. Dies resurrectionis Christi vocatur Dies domini; κυριακή §. XVII. In Isaaco fuit resurrectionis dominicae typus §. XIIX. Locus Ebr. XI. 19. illustratur §. XIX-XXIV. Παραβολή §. XIX. Examinatur sententia Braunii §. XX. Hombergii παραβολον notat periculum §. XXI. Bossii §. XXII. Raphelii παραβόλως. Locus Polybii tentatur §. XXIII. Prosperi et Irenaei de hoc loco cogitationes §. XXV. Conclusio §. XXVI.

§. I.

Non sine quadam voluptate legi, *vir eruditissime*, quae tum *tu*, tum celeb. HEVMANNVS de illustri Abrahami visione, ab ipso Seruatore Ioh. VIII. 56. commemorata, nuperrime disseruistis. Cum enim, quae ad arcanos

* Inserta primum fuit Bibliothecae Bremens. Class. II. Fascic. I. p. 209. sqq.

nos oraculorum diuinorum ſenſus eruendos viri docti adferunt, mirifice animum meum paſcant, non potui ſane, quin his veſtris meditationibus delectarer, quibus memorabilis maxime quaeſtio inuſitata prope eruditione excutitur. Vterque certe veſtrum, quam ſuſcepit, ſpartam tam dextre ornat, vt non meum tantum, quem leuis eſſe ponderis ſentio, ſed orbis totius eruditi calculum ex merito reportauerit. Vterque diſpari licet animo, pari tamen ingenio et induſtria rem fere deſperatam aggreditur, vt neutrum ex eorum eſſe numero, qui praeeuntium turbam coeco conſilio ſequi ſolent, ſatis adpareat. Nil itaque nobis, qui pugnae fuimus ſpectatores, relictum videbatur, quam vt alteram ſententiarum, quas Cl. HEVMANNVS, *tuque* defendiſtis, adoptaremus. Quod enim, quaeſo, poſt tot curas ſupereſſe poterat, in quo noſtrum aliquis, longe vobis inferior ſeſe exerceret? Sed tamen, *vir celeberrime*, nouum ecce vobis commilitonem, qui utrique palmam reddere dubiam non vereatur! nouum interpretem, qui relictis omnium ſemitis nouam ſibi viam munire cupit! Sua cuique veſtrum eſt ſententia, alterius oppoſita: mihi mea quoque, a veſtris diuerſiſſima; quam quidem hic exponere, pace *Tua*, conabor. Non ſatis quidem decorum videtur veteranorum proeliis tironem ſeſe immiſcere, obſcurum hominem celeberrimos impugnare. At vero, vt mearum imbecillitatem virium agnoſco, ita minime omnium rudiorum conatus vobis diſplicere intelligo. Nec enim is ſum, quem rixandi vexat pruritus, nec is, qui acutiora vobis proferre poſſe, ſibi perſuadeat. Noſti, *Vir Ampliſſime*, quam illorum

...m mores, qui vbiuis litigandi reperiunt locum, ...tester. Ipse vero scio, quam leuis armaturae ...iles sim. Quapropter non sententiam, sed in re praecipue difficillima coniecturam quandam me vobis proponere existimato. Tu praesertim Cl. LAMPI, pro ea, quae inter nos ab aliquo tempore viguit amicitia, eo, quo meas soles nugas, adfectu has quoque suscipe. Non *Tibi* me aduersarium finge, sed amicum veritatis studiosum, qui discendi cupidus est. *Tibi* ergo non molestum sit, de meis benigne iudicare cogitationibus; mihi a *Te* in viam, sicubi errauero, reduci, gloriosum putabitur.

§. II.

Quod ad explicationem attinet vocum earumque significatus, otia mihi tecum Cl. HEVMANNVS fecit, cuius obseruationibus, vix quidquam addi poterit. Verbum tamen ηγαλλιασατο CLEMENTIS ALEXANDRINI locum in memoriam mihi reuocat, qui ad gaudii illius, quod vocabulum hoc exprimit, naturam perspiciendam quodammodo facit, εξιν γνωστικην, *habitum cognitionis*, parere ait:[1] ηδονας αβλαβεις και αγαλλιασιν. Huius vero αγαλλιασεως ex cognitione ortae hanc, ex mente, puto philosophorum, finitionem exhibet: την δε αγαλλιασιν ευφροσυνην ειτε φασιν, επιλογισμον ουσαν της κατα την αληθειαν αρετης, δια τινος εξιασεως, και δια χυσεως ψυχικης. *Exultationem autem dicunt esse laetitiam, ortam ex reputatione verae virtutis per quandam exhilarationem et diffusionem animi.* Tanti haec vox habebatur, vt ad eam solum vere laetitiam accommodari

 posse

[1] Libro VI. Stromat. c. XII. p. 789. Tom. II. opp. edit. praestant. Potterianae.

posse putaretur, quae in piis Domini sectatoribus ex viua cognitione praestantiae praeceptorum, quae sequebantur, existeret. Quam egregie itaque ad illud credentium patris gaudium quadrat, quod summi boni aliquando exspectandi repraesentatio in eo excitabat? Huic certe αγαλλιασις esse poterat, qui non tantum desiderio domino suo in omnibus obtemperandi ducebatur, verum etiam omnis salutis fundamentum mente cernebat.

§. III.

Quae de notione vocis ημερα vir egregius adnotauit sua satis venustate et copia se commendant. Nec est mihi quod adiungam, nisi forte hoc vnicum; priscis temporibus illum diem, quo pro seruatore sancti homines, mortem oppetierant, absolute *diem eorum* dictum fuisse: Locus mihi nunc succurrit PRVDENTII, vbi, posteaquam *candidae illius massae*, ad obeundam *pro* Domino mortem alacritatem commemorauerat, CYPRIANI iam captiui gaudium inde natum sic describit.[2]

Laetior interea iam Thascius ob Diem suorum
Sistitur indomiti Pro-Consulis eminus furori.[3]

Alia nonnulla, quae monere possem, horum quidem similia, hoc est, satis leuia, praetereo, ac ipsi potius rei me accingo.

§. IV.

[2] περι στεφων. Hymn. XIII. de passione Cypriani p. 157. edit. Heinsii.

[3] Liceat iis adiungere Eusebium de vita Constant. L. IV. c. 23. vbi de praefectis ab imperatore constitutis scribit. τω νευματι βασιλεως μαρτυρων ημερας ετιμων. Ex nutu Regis MARTYRVM DIES (i. e. vt recte interpretatur Christophorsonus; *consecratos martyribus dies*) honore prosequebantur T. d. H.

§. IV.

Placuit mihi olim prae caeteris acutissimi viri, SAMVEL WERENFELSII, de hac visione suspicio [4] quam an fortiter satis *V. C.* IAC. BASNAGIVS [5] reiecerit, alii iudicent. Nulla vero minus sese mihi probauit, quam peruulgata illa, quae omnibus fere arridet postillatoribus de apparitione illa *Genes.* XVIII. memorata. Nunc omnes pari apud me habentur loco, cum in qualibet difficultatum aliquid reperiam. Non eas quidem omnes *hic* exponere vacat. Mea enim si aliquem locum inueniat opinio, per se cuiuis patebunt. De *Tua* tantum, *Vir Amplissime* sententia, quam tu vnus omnium ingeniose exornasti, pauca pace *Tua* animaduertam. Quae quidem non ea repetent, quibus a Celeb. Viris obiectis magna cum doctrinae laude respondisti, neque ea quae Celeb. BASNAGIVS hanc ferire suspicionem putauit [6] a *Te* forte, quod exigua putares, neglecta. *Alia* mihi tuis obesse rationibus videntur, quae num alicuius roboris sint, *Tibi* expendendum relinquo.

§. V.

Locutionis illius: *Diem alicuius videre*, vim erudite vrges, quae haec apud omnes scriptores sit; *Tempus aliquod viuendo attingere*. Mihi vero *vir eruditissime*, huius conclusionis virtus non adeo perspecta est: Non alio sensu quantum nouimus, has voces boni auctores adhibuere: hinc non aliter in hoc praecipue loco, possunt accipi. Eximios esse eorum conatus fateor, qui formulas for-

[4] Sylloge Differt. Theol. p. 443.
[5] Antiquitez Iudaiques Tom. II. p. 469.
[6] l. c. Tom. II. p. 468.

formulis illuſtrare tentant. Magis vero eſſent laudandi, ſi, quod ſaepenumero fieri video, haec duo non confunderent: quid factum ſit? et quid fieri poſſit? vt tertium nunc omittam: quo loco et occaſione factum ſit? Circumſpectos certe vel circa primum illud nos eſſe decet. Quis enim noſtrum, omnes adeo cognitos habet ſcriptores, vt de perpetua eorum conſuetudine certi quidquam ſtatuere poſſit? periere quoque multi: delitescunt alii. Vnde ergo certitudo noſtra? Vt vero hanc perſaepe poſſe exiſtere, concedam, male tamen ſtatim ad alterum illud progredimur. Plura non fiunt aut facta ſunt, quae poſſunt aut potuere fieri. Non hoc agitur *viri celeberrimi*, an omnes ita locuti ſint? Hoc quaeritur: an indoles linguae aut aliud quidquam prohibeant, quo minus eo ſenſu quis loqui poſſit? Hoc niſi oſtendatur nihil certi de vera cuiusdam formulae notione ex aliis locis concludi poteſt. Qui huic loco non ſatis probe conuenit, ſignificatus, alteri forte aliter conſtituto apte conuenire poteſt. Quodſi tibi itaque, *vir celeberrime*, concederem, formulae huius non aliam occurrere notionem, de quo tamen adhuc diſputari poteſt: num inde viceris? vix credo. Ille enim, quem alii ſubſternunt, ſenſus nullius linguae repugnet indoli; quin potius communi loquendi ratione confirmatur. Omnes, quos adfers, loci de veris corporalibusque viſionibus temporis cuiusdam agunt, cedo vero alium, quo vates quidam futurum quoddam mentis ſeſe iam videre oculis ait, et oſtende, iſtud illum loquendi genus ſedulo euitaſſe, et primus ero, qui herbam *Tibi* porrigat. *Tu* ne, *vir egregie*, negabis, euenturae cuius-

dam

dam calamitatis praescium, se tenebricosum et miserabilem illum diem iam videre, dicere posse? Nonne potius istiusmodi locutiones diuinis vatibus admodum familiares sunt, quo certitudinem praedictionum suarum doceant? Vidit Ieremias luctuosam populi in alias sedes deportationem, quid si dixisset: Conspicio iam illum diem, viri, quo vos colonos veteres Babyloniorum Rex migrare iubebit? Num peccasset? De PETRO LOTICHIO SECVNDO, poëta celeberrimo, accepimus [7] obsidionem Magdeburgensem diu ab eo

[7] Memoratu certe dignissimi sunt versus, qui in opusculis eius Lipsiae 1586. (quam editionem possideo) impressis atque elegantiam Ouidianorum carminum omnino spirantibus lib. II. El. 4. ad Ioachimum Camerarium scripta leguntur sub lemmate: *De obsidione vrbis Magdeburgensis.* Iis enim miserabile illud vrbis excidium quod LXX. circiter annis postea a. 1631. d. X. Maii contigit, viuis paene coloribus depingi videas. Inter alia haec verba praesertim notanda sunt.

Hei mihi qualis erit (quod abominor) exitus vrbis
Concidet hostili si reserata manu!
Quis tenerum pauidae latus hauriet ense puellae
Virginitas cuius praeda latronis erit?
Haec oculi, quaecunque vident, cinis omnia fient,
Vtraque dicetur flebile ripa solum etc.
Quid grauius victore Geta, miseranda tulissem
Caesare quam magno bella gerente fero?

Si somnium illud, quo illum vrbis interitum sibi repraesentatum commemorat, ei accidit anno 1550. quo annum aetatis agebat secundum supra vicesimum, facile potuit fieri, vt tristes illas imagines obiecerit, atque in somno, vti fit, excitauerit frequens vrbis, tum a copiis Caesaris obsidione cincta recordatio. Interea ipso illo πανολεθρίας Parthenopolitanae tempore, carmen hoc Lotichianum, tamquam rem singularem adnotatam fuisse ex germanica eius versione, incerti auctoris quae tum temporis Bremae typis Villerianis excusa meoque exemplari latini adiuncta est, disco. T. d. H.

eo fuiſſe praeuiſam. An male *Tibi* locutus videtur, ſi ita de hoc dicerem: vidit LOTICHIVS miſerum illum diem, qua Parthenopolis expugnata eſt? Sed quid haec longius diſputo quorum *Tu* minime omnium ignarus es imo vero, ſi vacuus tam eſſem, quam occupatus innumeras huius generis locutiones ex ſacris et profanis petitas huc tranſcribere poſſem: [8] quo nunc quidem labore ſuperſedeo, cum meo maius requiratur otium, quae menti obuerſantur et memoriae, loca inueſtigandi.

§. VI.

Alia nunc proponam, quae non ſatis in hoc argumento expedita eſſe arbitror. Nonne vides *vir ampliſſime*, ea, quae adducis loca, non eam, quam *Tu* in hoc loco, formulae illi notionem ſubdere? *Tu* de ea viſione, quae animae Abrahae extra corpus conſtitutae, ſingulari modo contigit; non vero viuo adhuc ſancto huic homini? quid vero illa? Eam innuunt viſionem, quae a mortalibus hic degentibus corporis fit oculis. Nonne haec omnia diuerſiſſima ſunt? *Diem videre, tempus* tibi eſt *viuendo attingere*. At num Abraham diem illam viuendo vulgari ſenſu et apud ſcriptores recepto attigit? Minime; in aeternis iam tunc ſedibus collocatus, atque adeo vita iam defunctus erat. Infirmum hoc eſſe putas. Equidem non diffiteor. Patere vero feriis ac grauibus leuia quaedam interponi. Paullo iam *tecum* liberius loquar. Igno-

[8] Ebr. XI. 13. *Κατα πιστιν απεθανον ουτοι παντες, μη λαβοντες τας επαγγελιας, αλλα πορρωθεν αυτας* ΙΔΟΝΤΕΣ Cicero orat. IV. Catil. Tom. II. opp. p. 251. a. Cerno animo ſepulta in patria, miſeros atque inſepultos aceruos ciuium: verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi et furor in veſtra caede bacchantis.

Ignofce, quaefo, temeritati meae, quod omnem circa hanc formulam laborem gratis a *Te* impenfum effe, moneam. Nullam enim *Tibi* hac in re cum doctiffimis aduerfariis tuis diffenfionem effe opinor. Quod num ingenii mei vitio, an vero curate fiat, *tute* videris. De notione vocis *videre* nulla certe inter vos lis effe poterit. Illi typicam, aut fi mauis, talis, quae vatibus contigebat, vifionem intelligunt. *Tu* non multum ab hac remotam. Abrahamo fcilicet non gloriam Seruatoris oculis fuiffe vifam, exiftimas, fed innotuiffe tantum inter beatos verfanti per patefactionem quamdam. Non quidem hoc, quoad vocem, male. Satis enim fcio, etiam de iis rebus, quae abfentibus nobis narrantur: vocem *videndi* vfurpari. Omnium inftar vnicus fit CICERO teftis [9] qui ad TERENTIAM fuam ita: *Mihi ante oculos dies noctesque verfaris: omnes labores Te excipere video: timeo, vt fuftineas: fed video in Te effe omnia.* Idem alio loco: [10] *Mihi ante oculos dies noctesque verfatur fqualor vefter et moeror et infirmitas valetudinis Tuae.* Eo tamen hoc valet, vt intelligatur, eodem fere, vtramque partem fenfu, improprio faltem, hanc vocem adhibere, nullamque adeo hac in parte pugnam effe. Sed neque de formula illa. *Diem videre*, fi fapiunt, quidquam mouebunt. Efto eam: *tempus viuendo attingere*, denotare. Per me certe femper licebit. Non enim inficior, eo tempore, quo Seruatoris diem vidit, in viuis fuiffe Abrahamum. Omnis itaque controuerfia ab illa phrafi in voces

[9] Lib. I. ad famil Epp. VII. p. m. 12. edit. *Siberi*.

[10] l. c. Ep. IX. p. 16. f. Alia infinita huius generis loca apud eund. exftant.

Dies Seruatoris delabetur. At enim vero si huc ventum est, hoc *tibi* quoque concedi potest, significari per eas tempus manifestationis Domini in his terris. Hoc tantum disputationis restabit: An si tempus hoc in figura quadam aut visione vatum cuidam olim fuerit exhibitum, illud dies Christi appellari non possit? aut: An de sancto quodam homine, cuius menti labores et perpessiones Domini repraesentati sunt, dici nequeat, illum diem iam vidisse Domini? Vides, *vir amplissime*, quid in quaestione versetur, et in quo *Tibi* praecipue elaborandum sit; Vides, nisi omnibus modis decipior, ea quae de vocum vsu egregie alias disseruisti, aegre causam tuam adiuuare posse?

§. VII.

Quae de ipsa re in medium profers a me minime tangenda sunt. Non enim argumenti loco pro sententia tua esse possunt, sed hoc tantum ostendunt, nil absurdi in ea contineri. Ipsemet quoque pie *tecum* credo, peruenisse ad caelites, rerum, quae in terris a Seruatore gererentur, notitiam. Omne ergo opinionis *Tuae* robur in scopo et nexu verborum situm erit. Et haec quidem ita sunt comparata, vt, si *tecum* facerent, non aliis indigeres argumentis. Quapropter meum foret, ea hic statim, in quibus cardo controuersiae vertitur, examinare. At permitte tamen, *vir celeberrime* vt in alium locum eumque commodiorem, hanc de scopo et nexu disceptationem differam, antea vero alia quaedam, quibus tuam premi sententiam existimo, depromam.

§. VIII.

Si quid iudicare possum, statuendum in his ante

te omnia est, Deum Abrahamo patefecisse, quod diem Seruatoris visurus esset. Non enim desiderio tantum, sed et singulari plane gaudio accensum fuisse sanctissimum virum, Dominus ipse refert. Illud in eo esse poterat, etiamsi laetifero hocce nuntio caruisset. Hoc vero necessario cognitionem quamdam obtinendi a se aliquando boni non sperati requirit. *Tu* vero rerum diuinarum imperitum adeo sanctum hominem fuisse existimas, vt, se licet mortuo, inchoatae et absolutae redemtionis notitiam nihilominus se accepturum esse, ignoraret? Quaenam haec, quaeso *te*, singularis promissio: Bono animo, mi vir! Humanis quidem rebus dudum eris exemtus, cum haec ipsa contingent. Omnium vero suo tempore ad *te* modo quodam nuntius perferetur. Quid adtinebat, de iis Abrahamum commoneri, quae diuino collustratus spiritu per se nosse poterat, se actionum Christi non omnino ignarum futurum? Vnde illud insolitum gaudium, quo repletus fuisse narratur? Aut credebat Abrahamus Deo, qui diem domini adfuturum esse praenuntiauerat; aut non credebat. Si credebat; quid noua opus erat confirmatione illi, qui si quidquam hoc certe coniicere imo scire poterat, tunc temporis se, cui bona haec promissa erant, ea non esse latitura? Si non credebat; qui fons in Abrahamo gaudii ex hoc nuntio percepti esse poterat?

§. IX.

Quae hic excepturus sis, *Vir Amplissime*, satis intelligo. Aut opus fuisse dices, vt haec Abrahamo significarentur, aut non esse necessarium, vt singularem huius visionis patefactionem credamus.

mus. Solam enim, quae in Abrahamo erat, huius visionis scientiam, tantum excitare gaudium potuisse, vt ii, qui coelestium bonorum sensu hic tanguntur, exsultare et triumphos agere solent. Non morose hic rixabor. Eligas quamcunque velis, sententiam, non repugnabo. Sed de rei iam disquirendum est magnitudine, an tantum illa gaudium et desiderium producere potuerit? Intelligit, aut vero percipit Abrahamus, relatum sibi aliquando iri Christi in terris gesta. Satisne in hoc caussae, cur tam incredibili desiderio exardesceret, cur tanto abundaret gaudio? Haereo hic, *vir celeberrime*, se primum post aliquod interuallum corpore exuendum esse, dein longissimum tempus elapsurum ad illam visionem, cernebat. At proh dolor! quam vel praestantissimarum rerum pretium miseris vilescit mortalibus, si longius remotae sunt! Quam infirmos sentiunt igniculos, vbi felicitatem post hanc vitam euenturam, commodaque longinqua ob oculos sibi ponunt? Surdis canebat EPICVRVS, qui dolores leuari, imo tolli imminentium ac futurarum voluptatum repraesentatione debere, praecipiebat. Homines sumus, etiam qui credimus, et ex bonorum praesentia eorum dignitatem metimur. Quid ergo Abrahamus? Hicne solus erat, cuius mentem res, quam post tot saeculorum decursus euenturam nouerat adeo commouere poterat? Quantuscunque vir erat, humanis tamen infirmitatibus, obnoxium fuisse, legimus. Qui difficulter adducebatur, vt de semine ex se venturo promissioni crederet, is sui vix fuisset compos, aliam longe minorem, longeque remotiorem audiens? Quid de ipsa vero re dicam? Re-

Reputabat secum vir diuinus: Completis temporum ordinibus ego quoque cognitionem actionum Domini accepturus sum. Hinc αγαλλιασις tanta? Hinc non gaudium quoddam, sed exuberans et infinita prope laetitia? Ignosce, quaeso, *stoicorum* notionibus, quibus vt hic vtar necessitas fere imperat. Non omnia quae hic a me dici poterant, referam: paucis plura complectendi animus est. Si quae alia, maxima fuit haec Abrahamo laetandi caussa, quod ex semine suo orbis terrarum Seruatorem proditurum esse, intelligeret. Non poterat profecto, quin, si de hac certus erat promissione, ingens maxime gaudium animo conciperet. Multum ei vero cedit altera illa, qua, se suo modo diem illum aliquando visurum esse, percipiebat. Non comparationem, quam sapientes fugiendam monent, hic instituam, ne *tibi* quoque molestus sim. Hoc apertum tamen ac liquidum est, longe maius illud esse, de perenni quadam suarum felicitate ac gloria ita certiorem fieri, vt nulla ratione dubitare possit, quam hoc, scire, rem illam ad suam aliquando notitiam quoque peruenturam esse. Cui nulla de priore dubitatio est, vel mente eam iam felicitatem adeo cernit, vt posterius vix adpetat; tantum abest, vt propterea, si de eo quoque instruatur, singulari ac maiori laetitiae genere efferatur. Magnus ille, si quid iudico, gaudendi fons minorem hunc veluti obstruit, vt erumpere nequeat. Num ergo credibile est, Abrahamum, cuius mentem longe maximum iam occupauerat gaudium, minori de caussa maius denuo sensisse, ac tale quidem, quod αγαλλιασεως voce denotandum ac praecipue commemoran-

randum iudicaret Dominus? Et quid rei erat, cur, quam insigniorem fuisse ratio docet, laetitiam negligeret Seruator, cuius eadem aut fortasse firmior adhuc, in demonstratione vis esse poterat, alteram viri posteris obiiceret, quam ex obiectorum rationibus inferiorem illa fuisse, certum est? Aut eximio quodam stupore laboro, aut illa αγαλλιασεως et flagrantis desiderii mentio hoc indicant, de die Domini, dum adhuc in viuis esset, videndo promissionem sancto viro factam esse? Iste quidem mortalium mos esse solet. Exhilaramur, vbi nouimus, egregiis posteros nostros commodis vsuros esse? Laetamur vbi certi sumus, splendidas familiae nostrae res fore: Iidem tamen, quibus omnia occulta adeo esse dolendum est, vehementiori adhuc adfectu commouemur, si nobis constet, aut initia illius felicitatis, aut adumbrationem quamdam nobis superstitibus exhibendam esse. Parua componantur magnis, caelestia terrenis, et lux aliqua huic Seruatoris dicto adfulgebit. Exemplo, ne quid obscuritatis restet negotium illustrabo. Fines imperii Seruatoris nostri amplificandos esse ac egregie dilatandos, tot ex oraculis discimus. Quis adeo a probitate relictus, si quidem vere Christi nomen profitetur, vt non, quotiescunque haec sibi tempora ob oculos ponit, gaudio quodam ac desiderio repleri se sentiat? Anxie sane omnibus exoptamus votis, vt illustris ille dies tandem elucescat, quo maxima hominem pars, Domini praeceptis obtemperatura est. Quae vero animi in nobis commotio oritur, cum nos iam coelo redditos non inscios plane eius futuros esse, recordamur? Aut ex meo male ingenio alios iudico,

co, aut longe minor haec eſt illa, imo vere exigua. Ac dubium mihi eſt, ſi coeleſtis quaedam mens Numinis iuſſu viſionis illius nuntius nobis eſſet, dubito, inquam, an tantopere exultaturi ſimus?

§. X.

Verbum non addo. *Te* tantum, *vir doctiſſime*, rogatum volo, vt, quis ſenſus dicti Seruatoris ex *Tua* ſententia ſit, *Tecum* perpendas. Hic, ni fallor: *parens veſter, Iudaei, incredibili deſiderio ferebatur et laetitia, quod mentem ſuam in coelis miracula mea, doctrinam et vitam modo quodam percepturam eſſe, nouerat: Et ſane ea iam, quae a me geſta ſunt, cognouit, atque hinc gaudio quodam perfuſa eſt.* Fallor, *Vir Ampliſſime*, aut haec Tibi ipſi explicatio, ieiunior paullo, ignoſcas, quaeſo, voci, aut ſterilior videtur. Vide vero, an non haec, quam meam tamen ex omni parte eſſe, non addo, luculentior ſit: *Egregii genitoris peſſimi filii! quam a pietate Abrahae, quem in ore ſemper geritis, quam ab eius erga me amore et obſequio deflexiſtis! Me malis artibus inſtructum eſſe et genii cuiusdam maligni viribus vti perfricta fronte garritis. Quid vero parens veſter Abraham? Huius omne in me ſolatium repoſitum erat. Hic quotiescunque me cogitabat, in coelis ſibi videbatur eſſe. Ille accepto nuntio, vmbram quandam meorum dierum ſibi repraeſentatum iri, gaudio prope ac deſiderio deficiebat: iſta vero viſa, praeſentiſſima fruebatur animi voluptate. At vos degeneres filii, ne commouemini quidem, etiamſi non adumbratus vobis, ſed verus ſiſtar. Illum vmbra quaedam mei extra ſe rapiebat: Quid feciſſet, ſi me propius carne indutum conſpicere licuiſſet?*

Vos

Vos ne mea quidem praeſentia excitat, vt in meos amplexus ruatis, ac laetemini; quin, neſcio quae vos veſania praecipites agit, vt omni conuiciorum ac iniuriarum me adſiciatis genere. Videte, quam patris veſtri diſſimillimi ſitis. Argumentationem quamdam Domini a minori ad maius intelligis, quam, ſi per importunam Iudaeorum garrulitatem, qui Domini obſtrepebant ſermonibus, potuiſſet, perfeciſſet forte.

§. XI.

Aliud mihi iam incidit, *Vir Ampliſſime*, quod *Tuae* quoque opinioni obeſſe puto. Aduerſarii Seruatoris, audita Domini promiſſione v. 51. ſectatores ſuos a mortis lege liberos eſſe non Abrahamum tantum, ſed et reliquos in reſponſione ſua vates producunt, qui, licet ſanctiſſimi fuerint, nihilominus tamen deceſſerint. Generatim hanc obiectionem diluere poterat Dominus, niſi in Abrahamo, quem prae ceteris magni faciebant, ſingulare quoddam reperiſſet, quod ad alios non aeque pertineret. Miſſis itaque ceteris vatibus, quo fortius Iudaeos conſtringeret, ad ſolum prouocat Abrahamum, cuius vnico exemplo omnes eorum machinationes euerti poſſe, videbat. *Tua*, quam propugnas, ſententia ſi menti Domini fuiſſet obuerſata, ſic perapte reſpondiſſet ac egregie. Abraham omneſque Prophetae deſiderio flagrarunt diem meum videndi: iam vero vident et laetantur. Nec enim ceteris diuinis hominibus iſtam cupiditatem et viſionem obtigiſſe negas. Solius vero Abrahami cum meminit, abunde hoc ipſo docet, de re ſibi ſermonem eſſe, quae cum reliquis ipſi non communis ſit ac fuerit. Hinc ergo concluditur, beatorum ac coeleſti-

lesium statum hic indicari. Ne verbosior sim, enunc refellere nolo, quae *te* huic collectioni oppositurum esse, perspicio. *Tu* pro eo, quod possides, acumine facile intelligis, non mihi responsiones esse defuturas. Neque obscuritatem sermonis Domini, si tua valeat opinio, nunc vrgebo, licet mihi profecto minime mirum videretur, Iudaeos sic minime sensum verborum cepisse. Id potius agam, vt, quid mihi in obscura hac re veritati proximum habeatur, candide et perspicue exponam; Noli vero id, quod denuo repeto, existimare, *Vir Amplissime*, nouaturiendi quamdam libidinem, aut praeposteram de ingenii mei viribus opinionem eo me, vt dissentirem, impulisse. Valeant, qui illotis adeo manibus rebus sacris operantur. Ego quidem non alio consilio, quam vt confirmatior in veritatis cognitione reddar, relictis tantisper aliorum commentationibus, sacras litteras scrutari soleo. Aliorum non inuideo laudibus; mei tamen officii quoque esse arbitror, eruendae studere veritati. Rixandi quoque me non vexat pruritus; satis mihi cum intestino hoste bellorum est, vt litigandi extra me caussas temere non quaeram. Quem si rite ex praecepto Domini debellauero, innumeris hoc mihi triumphis potius erit. Neque vero quisquam omni exceptione maiorem a me demonstrationem exspectet. In obscuris rebus et sententiis, qualis haec certe ob concisum disputandi genus est, coniecturarum esse sedem, Rhetores monent. Nostras itaque si non adspernaris suspiciones, *celeberrime Lampi*, ad sequentia, quaeso, attende.

§. XII.

Incipiendum erit a v. 51. quo praestantiam doctrinae suae inde probat Dominus, *quod veri illius sectatores mortem non visuri essent.* Non illustrandis hisce verbis diu immorabor: nulla mihi tamen dubitatio, quin his ipsis ad Mosis verba respexerit Lev. XVIII. 5. vbi de praeceptis Domini dicitur אשר יעשה אתם האדם וחי בהם Illud itaque dicere volebat, diuina esse sua monita; eamdem enim eorum esse virtutem, quam supremum olim numen suis per Mosen latis legibus tribuerit, nimirum, quod praestatione illarum a morte immunes fiant homines. Directe adeo Iudaeorum feriebat hoc dictum conuicia, qui v. 48 impudenter a maligno genio praecepta eius emanasse, affirmauerant: Sensum egregiae huius promissionis hunc vulgo existimant: aeterna morte non periturum, sed coelestis gaudii participem fore Christi discipulum. Bene quidem: sed liberum mihi esto, paulo strictius haec verba capere, ac sic interpretari: Quicunque praeceptis meis morem gesserit, is in statu mortis non permanebit, sed resuscitatus aliquando mea virtute vna cum corpore coelestibus potietur sedibus. Ratio huius explicationis mox patebit, quam in paritate ac aequo Christi ac discipulorum iure positam esse sentio. Nec offendere cuiusquam poterit animum, me verba *εἰς τὸν αἰῶνα* simplicissime *in aeternum*, vertere, non vero: *numquam*. Eo itaque, si Domini sermonem directe Iudaei impugnare voluissent, disputatio omnis conuertenda fuisset: An diuinitus accepisset Seruator quaecunque traderet, vt a morte legum instar per Mosen traditarum homines liberare possent.

Is

Hi vero, quod in hoc negotio probe obseruandum puto, imperiti dicam, an maleuoli homines, controuersiae, quem vocant statum plane immutant atque detorquent. Ita nimirum concludunt disputatores lepidi: cuiuscunque doctrina mortem ab hominibus arcere potest, ille necessario ipse vim mortis non sentiet. Misera profecto argumentatio, quam variis modis labefactari posse, omnes vident. Vt taceam adeo diuinorum oraculorum expertes aut fuisse, aut esse voluisse, vt ne caperent quidem, quale mortis genus Dominus intelligeret: Nihilo tamen minus sic in Seruatorem inuehuntur: si ista praeceptorum tuorum vis est, vt discipuli tui metu supremae horae carere possint? tu certe tantus doctor primus omnium immortalis eris. Tunc vero ignoras, maximos viros, Abrahamum vnde genus nostrum ducimus, totque alios vates summe venerandos, licet ipsa Dei eloquia proposuerint, fatis occubuisse v. 53. Quid itaque? Nonne te hoc pacto illis hominibus, quorum vix terrarum orbis pares vidit, impudenter admodum praefers? Concedamus aliquantisper, concredita a supremo numine tibi esse, quae profers. Num idcirco morti subiectus non eris? Isti quoque diuina tractabant oracula, Deique ad populum responsa referebant. Nil tamen hic ad eos hac in parte commodi redundauit. Mortui sunt, familiares licet ac amici numinis fuerint. Quem te itaque putas? Quem nobis fingis? Deum aut hominem? Vix Abrahamo nostro maiorem te esse, quicquid dicas, credimus. Manifestum hinc est, quam stupidas, quam insulsas obiectiones, quibus Seruatoris verba refellerent, fabricauerint:

hoc vero manifestius, aliam plane disputationis iam esse formam. Hoc quaeritur iam: an Seruator immortalis futurus sit, cum tamen sanctissimi homines diem suum obierint? Ac, si morti non sit obnoxius, quae caussa, quae ratio tam insolitae rei sit aut esse possit? Huic ergo quaestioni, missis reliquis, apte ac egregie Seruator respondet. Generatim quidem primum calumniam Iudaeorum vltimo loco prolatam refellit: τινα σεαυτον συ ποιεις? simulque indirecte priorem quaestionem: An diuinae originis sit, quam profiteretur et inculcaret doctrina? tangit. Si nullo alio, ait, firmamento istud ius niteretur, quod meis praeceptis mihique prae tot aliis competere adfirmo, quam verbis meis, iusti essetis reprehensores et nullius gloriatio haec mea momenti esset. At εστιν ο πατηρ μου ο δοξαζων με. *Alius est, qui in eo me collocauit fastigio, vt omnibus, qui vmquam fuerunt,* sanctis *longe potior sim; isque pater meus,* non malus genius, vt inepte conuiciamini, sed illud ipsum numen, cui vos tam strenue seruire vobis videmini. Paullo fortasse concinnius mens Domini, quam minus recte nonnulli capiunt, hoc modo exprimi potest: Misere erratis, qui arrogantiae vitium ac superbiae in me coniicitis. Genus meum ignoratis, quod male humanum ducitis. Deo sum patre natus adeoque cum nullo comparandus. Homines nudi erant, quos ambitiose nominatis. Non ego. Non itaque, quod vos dicitis, maiorem me ipsum illis sanctissimis viris facio, sed ration[e] originis longe ipsis maior sum. Non mihi dubi[-] um est, quin iis sese, qui curatius Domini verb[a] intuentur, haec probatura sit explicatio. Qua[e]

qu

quidem, si id res meae ferrent, locutionibus aliis e sacris et profanis commode illustrare possem. Sed aliud nunc ago: nec vacat iam, quae HVGO GROTIVS: HENR. HAMMONDVS, totque alii hic excogitarunt, sub examen vocare. Ne quid vero, vnde rursus conuiciandi possent occasionem capere, Iudaeis superesset, eum ipsum sibi genitorem esse addit, quem Dominum suum dicerent: Ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι Θεὸς ὑμῶν ἐστι, καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτόν. Foederalis haec est formula, qua, cum pactum iniret Deus cum Abrahamo Iudaeorum patre vtebatur, Genes. XVII. 7. Cuius foederis haec summa est, velle Deum Abrahami posterorumque eius Deum esse. Alii, quae vis promissionis istius sit egregie exposuerunt: mihi Domini nostri verba ex his paulo luculentiora reddere sufficit. Id Dominus nimirum volebat: Iudaeos ad pactum illud, quod Deum inter et Abrahamum sancitum olim fuisset, semper prouocare seque eos esse, ad quos promissiones maximae foederis adiectae pertinerent, contendere. Hinc quoque quis sensus sit exprobrationis adiectae, apparet, eos Deum non nosse; videlicet, licet multa de foedere cum Deo magnifice loquantur, eos tamen conditiones, quas sibi vicissim supremum numen postulauerit, nec scire nec intelligere.

§. XIII.

Hisce in genere commemoratis peculiarem iam addit Seruator rationem, cur sibi non, quae ceteris sanctissimis hominibus, mors subeunda sit. Ostendit itaque se propterea immortalem fore, quod Deum noscat, id est: foederi se inter et patrem constituto satisfaciat, praeceptaque su-

premi Numinis seruet. Quae si obseruantur, quam elegans, quam amica horum verborum cum v. 51. conspiratio? Moriendum erat amicis familiaribusque Dei, eo quod, quantumuis pii essent, Domini tamen praeceptis omni ex parte obtemperare non poterant. Iesus Seruator noster, vnus erat omnium, qui leges perfecta impleret obedientia. Hinc morti nihil in ipsum potestatis. Et licet moreretur, fieri tamen non poterat, quin vinculis leti mox solueretur, ουκ ην δυνατον κρατεισθαι αυτον υπ' αυτου. Act. II. 24. Aequum cum principe suo ius sectatoribus Christi competit. Numinis sunt, quas dedit, leges Seruator noster. Hisce in redemtore redemti morem gerunt. Non ergo mortis in eos imperium esse poterit, sed vt Domini sui exemplo vitae reddantur aeternae, necesse est. Atque ex communi hocce Christi seruorumque eius iure, horumque cum illo comparatione, obscurum esse nequit, cur verba illa v. 51. quibus a morte immunes discipuli Seruatoris pronuntiantur, de resuscitatione ad vitam aeternam cumprimis ceperim. Vt Iesus enim ob seruatas Domini leges sepulcro contineri non poterat; ita nec illi, qui eius ad exemplum sese componunt; moriuntur, at vi meritorum Seruatoris sui, non in aeternum. Quam suum Deum diligentibus hinc solatium? quanta spes credentium? Fluctuaret animus, nisi principis nostri confirmaretur exemplo. At quae iam dubitatio, nos dicto numinis audientes ex sepulcris denuo prodituros esse? vidimus in magno ouium pastore dulcissimae promissionis impletionem. Viuit Iesus, qui legibus morem gesserat. Quid ni et nos membra ipsius, aeternum victuri simus, si praecepta ipsius obseruauerimus.

§. XIV.

§. XIV.

Vix vero opus esse arbitror, *Vir Amplissime*, dictis comprobare sacri codicis hancce meam interpretationem, qua rationem, cur mori non possit, Seruatorem verbis illis reddidisse, puto. Nexus rei, conspiratio cum v. 51. aliaque satis pro me loquuntur. Et quid denique notius ex sacris litteris, gloriam Domini nostri post sustentatos labores ipsius perfectissimae transcribi obedientiae? *υπηκοος* erat *μεχρι θανατου*, *θανατου δε σταυρου. Διο και ο θεος αυτον υπερυψωσε, και εχαρισατο αυτω ονομα υπερ παν ονομα.* Phil. II. v. 9. Mitto reliqua, ne in re manifesta nimis *tibi* laboriosus videar. Neque vero in iis, quae ad collustrandam hanc cum hostibus Christi disputationem huc usque attuli, *Te* mihi aduersaturum esse, existimo. Fortassis non a meis adeo abhorrent, quae de ordine et nexu *Tu* pro insigni *Tua* eruditione monuisti. De principiis itaque inter nos non erit controuersia, sed de conclusionibus inde ductis. Ad caput enim caussae iam ventum est; vbi, quid de Die Christi ab Abrahamo visa statui debere censeam, ex iis quae praemisi mihi exponendum est. Quod quidem, quoad potero perspicue, iam facturus sum.

§. XV.

Resurrectionis suae caussam in proxime praecedentibus Seruator dederat, ac, cur morti non obnoxius, vt Abrahamus, ac caeteri, esse possit, declarauerat. *De quo* itaque *die* in proxime sequentibus ipsi sermonem esse credibile est? Fallor, an de die illo, quo superata morte resurgens nil huic in se iuris esse omnibus esset demonstraturus. Miraris sententiam, *vir celeberrime!* quae

vel

vel propter nouitatem suspecta esse poterit? Ego vero nil miror, omnibus prima fronte non satis dilucidam illam videri! percipe vero iam eum, quem cum superioribus hisce verbis nexum esse arbitror, et emerget, credo paullulum illis ex tenebris. Haec erat, vt opinor, Domini mens: *vobisne vero, miserrimi mortalium, incredibile videtur, me victorem fore mortis dolorumque eius? quae vos tenet dementia, vt putetis, cum Abraham aliique homines sanctissimi decesserint, me quoque non superfuturum esse? Maior animi persuasio vel in genitore vestro, quem semper crepatis, de veritate verborum Domini erat, licet a meis longissime remotus esset temporibus. Tam certo credebat Domino, cuius ex patefactione didicerat, ab inferis me rediturum, ac ius vitae meis acquisiturum esse, vt illum resurrectionis et victoriae meae diem videndi desiderio vix conficeretur, maximoque, quoties illum cogitaret gaudio, exultaret. Vos malitiose quouis me conuiciorum genere contaminatis, quod mortis me non subiectum esse legibus, adfirmauerim! Quid Abraham? Is non modo mortis me Dominum futurum esse non dubitabat; verum etiam omnibus expetebat votis, quo vel in vmbra laetum illum diem conspiceret. Quo quidem Numen desiderio commotum, voti istius eum fecit compotem, ita vt diem illum videret summoque hinc adficeretur gaudio. Sectatores meos quod a morte immunes fore dixerim, vix expiandum facinus vobis videtur. At ille tam de hac persuasus erat veritate, vt vel spes videndi illius diei, quo ex mea resuscitatione hac ad meos peruentura esset libertas, ingens laetandi ipsi fuerit materia.*

§. XVI.

§. XVI.

Intelligis ex hisce, quae, quo clariora fierent, pluribus enarraui verbis, quae mea circa hunc locum sit opinio. Vides, quam ex nexu totius disputationis insigne sibi firmamentum promittat. Reliquum est, vt et diem resurrectionis Christi, *diem Domini* dici posse, et *quemadmodum hunc diem viderit Abrahamus*, ostendam.

Quod ad prius adtinet, neutiquam *Te*, *venerande vir*, fugit, quod ipsum vel *Cl.* HEVMANNVS luculentis commonstrauit praeter alios [11] exemplis natalem diem absolute apud bonos auctores *diem* vocari: Quid vero resurrectio? Dies quidam natalis, quo amissa recuperatur vita, et nos denuo quasi nascimur. Optimis scriptoribus haec familiaris est locutio, vt res istas, quae pristinum decus suum, posteaquam perditae fuerant habitae, recipiunt, *nasci* dicant. *Sol* demergit et *nascitur*, ait MINVCIVS FELIX [12]: et qui non alii simili vtuntur dicendi genere, quorum loca cumulare superuacaneum duco? Immo, aut omni hodie memoria destituor, aut non raro dies ille, quo fortunae nostrae, aut imperium quoddam, aut aliud in melius restituitur *dies natalis* [13] apud

[11] Vid. et Cl. viri LAMB. BOSII Myster. Ellips. Graecae p. 21. edit. secundae Franeck. addere plura possem huius generis loca, si per otium liceret.

[12] In Octauio p. m. 371.

[13] Haec sane ratio est, quod *dies emortualis* martyrum in veteri ecclesia a vetustissimis temporibus frequentissime dictus sit, eorum *Natalis*, siue ἡμέραι γενεθλίων, quod videlicet eos per mortem aeternae gloriae et vere felici vitae restitui indicarent. Ostendit id cumulatis veterum locis CASP. SAGITTARIVS in elegantissima differt. de *Natalitiis Martyrum* c. 1. §. 4-7. T. d. H.

bonae notae auctores dicitur. De corporum praecipue resurrectione haud pauci eiuscemodi loquendi modi exstant. Sacer codex eam, quae Seruatori contigit, velut nouam quamdam generationem describere solet. Diserte PAVLVS Coloss. I. 18. ὀς ἐστιν ἀρχη πρωτότοκος ἐκ των νεκρων. Quo et locum refero Ebr. I. 6. qui, si πρωτότοκος de resuscitatione Domini sumatur, nulla amplius difficultate laborat. Futuram vero corporum nostrorum resurrectionem non vnus [14] veterum παλιγγενεσιαν et nouam dixit generationem. [15] En locum ex celeberrima Lugdunensium epistola: [16] Testium Christi cineres in Rhodani alueum a gentibus proiectos esse aiunt. Ὡς δυναμενοις νικησαι θεον και ἀφελεσθαι αυτων την ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΝ, ἱνα, ὡς ἐλεγον ἐκεινοι, μη δε ἐλπιδα σχωσι της ἀναστασεως. *Quasi Deo superiores esse,* vt VALESIVS vertit, *et resurrectionem illis adimere possent, vt quemadmodum ipsi dicebant,*

[14] Immo tam vulgariter haec sententia apud veteres recepta fuit, vt AVGVSTINVS in Epistola ad Pelag. lib. III. c. 3. ausus sit scribere: *Regenerationem illo loco* Matth. XIX. 28. NVLLO AMBIGENTE *nouissimam resurrectionem vocari.* sicut et ipsemet eandem inculcat de ciuitate Dei lib. 20. c. 5. vt et de pecc. mer. et rem. lib. 2. c. 7. vide plura in hanc rem patrum testimonia congerentem THOM. GATACKERVM, aduers. post. c. 33. et qui sua maximam partem ex Gatackero exscripsit SVICERVM in Thes. Eccles. in voce παλιγγενεσια. T. d. H.

[15] PROSPER AQVITANICVS exposit. in Ps. CXLIII. et CXLIV. p. 518. opp. ex edit. Paris. 1711. fol. ad verba Ps. CXLIII. 4. *potest,* ait, *per vnam generationem, prima significari vita mortalium, per alteram vero generationem, resurrectio accipi: quia et ipsa regeneratio nuncupatur.* Mox ad Matth. XIX. 28. prouocat.

[16] Apud EVSEBIVM Histor. Eccles. lib. V. c. II. p. 165. edit. Mogunt.

bent, ne spes quidem resurrectionis illis relinqueretur. ALEXANDRINVS CLEMENS de sapientibus Indiae, quos Brachmanes vocant: [17] *καταφρονουσι δε θανατου και παρ' ουδεν ηγουνται το ζην, πειθονται γαρ ειναι παλιγγενεσιαν. Mortem autem contemnunt et viuere nihili faciunt, credunt enim esse regenerationem.* Nec in memoriam *Tibi* reuocem, quae circa celeberrimum Matth. XIX. 28. Seruatoris dictum quam plurimi priscorum disputarunt. [18] Si dies itaque resurrectionis alter natalis dies, hic vero absolute *ημερα* dicitur, quidni ille quoque vocabulo hoc appellatur?

§. XVII.

Sed quid multis? Fieri id omnino posse optimi rerum aestimatores, Christianorum primi, videbant. Quo circa nihil apud eos vsitatius erat, quam diem resurrectionis Domini *ημεραν κυριου* aut *κυριακην* nominare. Omnium instar esse potest celebris Iohannis locus Apoc. I. 10. *Εγενομην εν πνευματι εν τη κυριακη ημερα.* Cui IGNATII, sed interpolati, luculenta addo verba, qui postquam dixerat, *επιφανισκουσης κυριακης* Dominum a mortuis

[17] *Stromatum* lib. III. c. VIII. p. 539. Tom. I. opp. edit. *Potteri.* Capiatur hoc loco vox ista, quo quisque velit, sensu. Meam nihilo secius firmabit sententiam. De Stoicorum ceterum *παλιγγενεσια* verba facere nil attinet.

[18] Constitutum mihi est, alio loco de huc dicto disserere, eaque simul, quae vir magnus GODFR. OLEARIVS in *Obseru. ad Matth.* p. 535. huc attulit, excutere. Nunc quidem verba CLEMENTIS ALEXANDR. sucurrunt. *Paedagogi* L. II. c. IX. p. 219. Tom. I. opp. quibus noui foederis tempus *regenerationis* vocat *oeconomiam.* *Παραπεμπομαι,* ait, *γαρ νυν της παλιγγενεσιας οικονομιας εξηγησιν.* *Regenerationis enim Oeconomiae in praesentia mitto expositionem.* Num ab aliis locus notatus sit et ad illustrationem verborum Domini faciat, eruditi viderint.

tuis resurrexisse; mox pergit *περιεχει ἡ μεν παρασκευη, το παθος, το σαββατον, την ταφην ἡ κυριακη την αναστασιν. Continet ergo dies parasceue passionem eius, sabbatum vero sepulturam et requiem Dominica autem resurrectionem.*[19] Non aliter Latini, qvibus *dies Domini* et absolute *Dominicus*, dies ille est, qvo e sepulcro rediisse Dominum constabat. Cyprianus de Aurelio, qui lector constitutus erat:[20] *Dominico legit interim nobis, id est, auspicatus est pacem.* Alibi idem:[21] *Dominicum celebrare te credis, quae corbonam plane non respicis*[22]. Ipsum illum diem resurrectionis Christi, quem pascha nominamus, *ἡμεραν κυριακην* a Chrysostomo dici observavit Colomesius[23]. Plurima alia praetermitto, qui iam fere nimius fui in re nullo modo dubia[24].

§. XVIII.

De voce vidimus. Iam *qua ratione credentium princeps desiderio suo potitus fuerit; Diem illum victo-*

[19] Epist. ad Trallianos, §. IX. p. 275. edit. *Ittigii*.
[20] Epist. XXXVIII. p. 75. edit. *Brem.*
[21] De opere et eleemosynis p. 203.
[22] Appellationis illius *dominici*, Diei ad resurrectionem I. C. retulit Avgvstinvs de verbis Apost. serm. 15. *Domini resurrectio conseruauit nobis Dominicum diem, et ipse videtur ad Dominum pertinere.* T. d. H. H.
[23] Obseru. sacris. Opp. p. 627.
[24] Equidem non deesse memini, qui id nominis Constantini M temporibus primum fuisse natum contendunt quam inuita vero viritate, Svicervs voce *κυριακη* aliique iam ostenderunt, et vel ea, qui ex Cypriano adtuli ostendunt. Ne quid vero dissimulem Ignatii locus, quo potissimum magni viri nituntur ex Ep. ad Trollianos §. IX, p. 50. edit Ittig. non ex omni parte mihi videtur, qui negotium hocce conficere possit. Emendationis enim fortassis indiget, et praeterea admodum est ambiguus.

victoriae Christi intuendi, dispiciam. Omnes vero facile animaduertent, me non alio, quam ad *Isaacum*, ex praesentissimo mortis periculo ereptum, hic respicere posse. Vita functus is ab eo tempore Abrahamo videbatur, quod ad montem immolationi destinatum iter incipiebat. Die vero tertia (Genes. XXII. 4.) qua numinis praecepto ex fati ferme faucibus liberabatur, natus denuo ac vitae restitutus. Eo itaque pacto Iesum resurgentem et mortis imperium frangentem *in vmbra* videbat Abrahamus, ac ingens propterea gaudium animo concipiebat. Quod quidem mirifice augebatur, cum et vnice dilectum filium, quem iam mortuum crediderat, incolumem reciperet, et iterum ex ore Domini de Messia promissionem audiret. Hoc sane tam certum, fata Isaaci, Domini adumbrasse perpessiones vt, qui aliter sentire velit, aut ab ipsis Iudaeis, erudiendum, quorum maiores ingens in Isaaci Historia arcanum quaerere, satis nosti, aut ad atlantes ablegandum esse censeam, quo innocentiores noctes ducere possit. Eius quoque interceptam immolationem ac e morte quasi reditum Christi suo modo repraesentasse resurrectionem, diemque natalem alterum, verissimum iudico. Constans haec erat veterum doctorum opinio. Audiatur CLEMENS ALEXANDRINVS.[25] *αλλα και τȣ κυριȣ την θεοτητα, αἰνιττεται, μη σφαγεις, ανεϛη γαρ μετα την κηδειαν, ο Ιησȣς μη παθων* (scil. quoad *την θεοτητα*, de qua clementi sermo est) *καταπερ ιερȣργιας αφειμενος ο Ισαακ.* Quin etiam sic vertit HERVETVS ab illustriss. POTTERO emaculatus, *significat Domini diuinitatem, dum non fuit occisus. sur-*

[25] Paedagogi l. I. C. V. p. 112. T. I. opp. 3.

surrexit enim post iusta facta funeris Iesus non passus, quemadmodum Isaacus dimissus est é sacrificio. Interpretatur hinc THEOPHYLACTVS verba Paulli 1 Cor. XV. 4. quibus Christum resurrexisse ait. *κατα τας γραφας:*[26] *και πȣ* ait, *αι γραφαι φασιν, οτι τη τριτη ἡμερα εγηγερται? δια τȣ κατα τον* Ιωναν *τυπȣ, καὶ προ τȣτȣ, τȣ κατα τον* Ισαακ *εν τρισιν ημεραις αποσωθεντος ζωντος τη μητρι καὶ μη σφαγεντος, at ubi scripturae loquuntur, quod tertia die resurrexit? per Ionae prophetae figuram et ante hunc ex eo, quod Isaac tertio die matri sit viuus, conseruatus nec immolatus* PROSPERI aut potius alius, mox adscribam locum. Reliquos praetereo, ne iusto sim diffusior, neue illud ab aliis petere videar, quod ipsae mihi sanctiores litterae offerunt.

Est nimirum in Epistola ad Ebraeos decantatus locus Ebr. XI. 19. quo et hanc sententiam et meam de die Christi opinionem optime confirmari puto. *λογισαμενος* scriptor inquit, de Abrahamo filium morti traditurο, *οτι καὶ εκ νεκρων εγειρειν δυνατος ο θεος, οθεν αυτον καὶ εν παραβολη εκομισατο.* Non ignoro, , quot sibi nodos eruditi in vltimis istis verbis, quae mihi fauere credo, quaesiuerint, at quod pace tantorum hominum dixerim, in scirpo quaesiuerunt, cum nihil clarius esse possit. Haerent circa verba *εν παραβολη.* Et quo quisque est ingeniosior, eo acutiorem proferre solet explicationem. Ego simplicissime, quod res ipsa scopusque verborum postulat, reddo: *Quapropter et in similitudinem* (*εν παραβολη* enim pro *εις παραβολην,* ut saepius posi-

[26] Comm. in Ep. Pauli ad Rom. C. p. 243. edit. *Augustini Lindselii* Episc. Hereford. Lond. 1636. Fol.

positum) *eum recepit.* Rhetoribus familiare est vocabulum παραβολη, qui vbi dicendi tradunt praecepta περι παραβολων quoque και εικονων commentari solent [27] quas dilucidandae rei caussa non nunquam adhibendas esse monent. Strictiori vero sensu hi vocem capere consueuere, latiori sacri scriptores, quibus omnis diuersarum rerum comparatio ita dicitur. Quin libri Sapientiae auctori παραβολη idem est, ac prouerbium, seu παροιμια. Haec enim mea opinione mens ipsius est C. V. 3. ουτος ην, ον εχομεν ποτε εις γελωτα και εις παραβολην ονειδισμου. *Hic ille est, qui risui nobis erat et perpetuum malecidendi prouerbium,* seu, *hic ille, qui in communibus apud nos prouerbiis versabatur, et fabula nobis factus erat.* Hinc non raro fit, ut in sacris παραβολη idem sit, ac τυπος, και ομοιωσις, seu rerum quarundam, futurarum praecipue adumbratio quo sensu et hoc loco exstare, tam ipsa res quam alius eiusdem scriptoris locus, vbi eodem occurrit significatu nimirum Ebr. XI, 9. ostendit. Nec accepit aliter non ineptus interpres THEOPHYLACTVS: [28] qui sic eleganter loquitur: τι εστι το, εν παραβολη; αντι του, εν τυπω εις ενδειξιν μυστηριου του κατα χριστου. *Quid est, quod ait in parabola? Id est in figura, ad demonstrationem mysterii, quod in Christo erat.* Cui celeberrimos quosuis interpretes, paucis exceptis, iungere possem. Similitudo ergo quaedam patri

[27] DION LONGINVS περι υψους c. XXXVII. p. 200. edit. *Tollii* ARISTOTELES lib. III. Rhetor. C. IV. Illi nimirum ab imaginibus distinguebant similitudines. Non ita scriptores sacri, qui sub generali παραβολης voce et illas comprehendunt.

[28] Comm. ad hunc locum p. 996. edit. *Londin.*

tri Isaacus resuscitatus quasi erat? sed cuius quaeso rei? ἀναστασεως των νεκρων? Ita quidem longe plurimi interpretum iidemque eruditissimi DAN. HEINSIVS, HUGO GROTIVS aliique, quin ipse PHIL. LIMBORCHIVS[29] bene, nec me repugnante. Omnes circumstantiae eiusmodi efflagitant explicationem. Ecquid vero probabilius, vnigenitum Abrahami filium, qui unigeniti Dei filii referebat imaginem, omnium resurrectionem, an peculiarem servatoris exemplo suo expressisse? Ecquid vero similius, credentium parenti, cui tot praeclara de Messia ex semine Isaaci proditure, promissa erant, vniuersalem, an eius redemtoris, cuius se patrem fore nouerat, resuscitationem fuisse exhibitam. Equidem posterius arbitror, nec in eo quemquam mihi repugnaturum puto. In similitudinem ergo Iesu e sepulcro aliquando reuocandi filium, de cuius iam salute conclamatum erat Abrahamus recepit. Parabolas crebro vsurpandas esse, vt imbecillitatis nostrae adminicula sint, scripsit SENECA.[30] Eo plane consilio perpetuum in Isaaco monumentum Deus Abrahamo constituebat, quo ipsius de Messia mentis persuasio semper renouari, corroborarique posset. Me ne vero iam conclusiones hinc pro sententia mea ducere, cupis, *vir venerande!* Beneficii istud dominum in Abrahamum collaturum fuisse, censes, nisi ingenti eius desiderio inflammatum cognouisset? At enim silebo. *Tibi* scribo, iisque qui res aestimare didicerunt. Non ergo necessarium, quas sine monitore percipiunt omnes consecutiones, verborum quodam apparatu recensere.

§. XX

29 Comm. ad h. l. p. 687. a.
30 Epist. LIX. p. 149. Tom. II. opp. edit. *Gronouii.*

§. XX.

Satius erit paucis, quae magni viri de loco illo ad Ebraos haud ita pridem mouerunt, discutere, quo meliorem nostra interpretationem vix dari posse, intelligatur. IOH. BRAVNIVS V. C.[a] ἐν παραβολῇ hic idem esse vult, ac *ad similitudinem plurium, quos Deus ex mortuis* temporibus. V. *et* N. T. *suscitauerit*, aut potius, vt mox addit, *ad similitudinem eorum, qui iam ante Abrahamum aut e morte revocati, aut magnis ex calamitatibus, prout Noachus, erepti fuerint.* Tantum virum istas quaesiuisse ambages, vbi nullis spinis obsita sese via offerebat! De vocibus nil moneo; quae tamen, alicubi sic capiantur, aut capi possint, dubito. Nec ea tango, quae de quorundam reditu ab inferis ante Noachum, quibus et Enochum connumerat, in medium profert. Ipsa explicatione frigidius quidquam non excogitari posse, puto. Adeone mortalium intererat, scire, fuisse quamdam inter Isaacum caeterosque, qui e magnis euaserunt calamitatibus, similitudinem, vt tam obscuris illud exponere verbis e re nostra Apostolus duceret? Quis tam stupidus, vt eos, qui communi vtuntur in subeundis fortunae insultibus sorte, pares, sibi ratione quadam esse, nesciat? Quae haec interpretatio, *recepit Abrahamus filium suum non secus, ac alii, quibus sui, quos pro mortuis iam habuerunt, redditi sunt?* vel vulgaris loquendi ratio, eiusmodi dicendi genus spernit.

§. XXI.

Maius quidquam pollicetur ingeniosissimus παραβ-

[a] Comm. ad Ebr. p. 761

παρεργων sacrorum auctor, qui graecis παραβολη discrimen seu periculum esse notat, atque ει παραβολη exponit *in praesentissimo periculo*. Digna certe tanti viri interpretatio licet minus solida, ut vir graece doctissimus, LAMBERTVS BOS [32] iam ostendit, magis omnibus sese commendaret, si Apostolus εκ παραβολης pro εν παραβολη scripsisset; verum ne tunc quidem firmiter consistere posset. Iudicet ipse vir magnus, vter nostrum fortius colligat. Ipse, qui sic instituit; est apud Hesychium locus, quo παραβολη exponitur per παρακινδυνευμα. Ergo, licet nulla cogat necessitas, is huius vocabuli significatus hoc etiam loco adstruendus est, praeter scriptoris ipsius aliorumque graecorum consuetudinem? An vero nos, qui sic concludimus; non alio, quam similitudinis sensu apud sacros, omnesque fere exteros scriptores vox παραβολη occurrit, eodem a nostro alio loco adhibetur; commodam praeterea admittit, et elegantem explicationem, quae cum instituto auctoris cui vmbras cum corpore componere moris est, conuenit. Ergo vsitata ista notio neutiquam hic est deserenda.

Equidem nullus dubito, quin, qua est aequitate vir egregius, nobis potius, quam sibi sit adsensurus. Caeterum, non enim diffiteor quod *Cl.* Bos negat, potest aliquando vox ista pericul notione venire. Graecis παραβολον non rarc *periculosum* est. PLINIVS iunior; [33] *sunt enim maxime mirabilia, quae maxime insperata maxime periculosa atque graecis magis exprimunt*, παραβολα

Eoden

[32] Exercit. ad Nou. Test. p. 247. edit. secundae.
[33] Lib. IX. ep. XXVI.

Eodem sensu Dion Longinvs [34] aliiqui adhibent. Quidni ergo et παραβολη periculum esse possit?

§ XXII.

Succedant eius, quem modo nominaui *viri Cl.* Lamb. Bos de hoc ipso loco cogitationes, οθεν ipsi est *vnde*, et ad mortuos refertur, εκομισατο vertit per *acceperat*, εν παραβολη, per *quasi*. sic haecce esset sacri scriptoris mens; *vnde et illum* Qvasi, i. e. ex emortuis corporibus, *acceperat*. Stupidus essem, nisi vel hinc curatam viri industriamque mirum semper in modum mihi placuit, agnoscerem. At enim vero, quis hoc quoque non sentit, quam contorta et dura omnia sint in hac explicatione? vellem ipse non commisisset, quae in παρεργων auctore carpit vir doctus: quis unquam aut sacrorum aut aliorum, vocibus εν παραβολη ita usus est, vt *quasi* denotent? Nullum produxit, nullum producere potuit exemplum; ad eum, qui voculae οθεν potest esse, significatum reliqua refingere, placuit. Nescio vero, an audaciae careat nota, novas fabricare significationes, quae nulla defendi possint auctoritate? et quis crederet, cum alia non deessent verba, inter omnes recepta, Apostolum inusitatam hic locutionem usurpare voluisse?

§. XXIII.

Aliam ingressus est viam V. C. Georg Raphelivs [35]. Εν παραβολη is putat pro παραβολως hic accipiendum esse, ut saepius εν αληθεια pro αλη-

[34] περι υψους, C: XXXII. p. 174

[35] Annot. in N. T. ex Polybio et Arriano p. 676. sqq.

αληθως, εν ταχει pro ταχεως ponitur παραβολω vero interdum apud POLYBIVM esse *insperati*. Igno scat mihi vir non male de sacris litteris meritus quod haec alia cogitanti excidisse existimem. Quic αληθεια quid aliae voces in eiuscemodi constructi onibus sint, non ignoro. Quid παραβολη, me latet, an *improuidentia*, an *insperabilitas* (noua enim vocabulo opus erit, quod Ciceroniana Len tulitate forsan excusari poterit,) an aliud aliquid Melius disputabimus, si vir doctus de hoc men tem suam aperire, simulque apud quos hac notio ne vox illa reperiatur, indicare voluerit. Mih enim alias semper dubitandi erit locus. Nequ vero de isto, quem praecipue in partes vocat POLYBII loco, certum est, quod παραβολως *in sperato* ibi verti debeat. Lexica compellat Cl. vi Maneat istis laus sua. Mihi vero libertas errore eorum castigandi. CASAVBONVS sane *audacter* ve tit. Nec male, viderint vero, ut quid sentian demum profitear, critici, annon medicina lo cus iste polybianus indigeat. ου μην αλλ, a ωσπερ αγαθος βραβευτης η τυχη μεταβιβασας ΠΑΡΑΒΟΛΩΣ αυτους εκ του προειρημενου τοπου και του προυπαρχοντος αθληματος εις παραβολωτερ αγωνισμα, και τοπον ελαττον συνεκλεισεν. [Vni litterae mutatione pro παραβολως legatur παρα βολους αυτους *audaces istos*, sic omnis de aduerbi isto inconcinne alias hic collocato disceptatio e spirabit, nihilque porro in hoc loco diffici erit.

Sufficiant haec, vidimus quam sese torquea maximi homines, quibus nostra non arridet i terpretatio. Ex qnibus omnibus concludendu

ha

hanc ob facilitatem aliasque caussas amplectendam, caeteras esse repudiandas, quibus tamen ingenii laudes inuidere nolim.

§. XXIV.

Vltimo iam loco *vir amplissime* auxiliares aliorum copiae in aciem essent educendae, quibus meae iam placuissent partes, sed nescio quo fato solus hic milito. Perii, nisi veritatem experior amicam: consensus me destituit. Vnicus est tamen sed ignotus, qui mihi non penitus videtur aduersari. Auctor libri *de promissionibus et praedictionibus Dei* [36] in appendice operum PROSPERI legitur. Is, dum filii Dei perpessiones ab Abrahamo in filio visas esse, vult, eoque verba nostra diserte trahit, resurrectionis quoque diem non excludit, diem *scilicet*, ait, [37] *passionis filii Dei in suo filio figuratum vidit Abraham quod unico filio non pepercerit, quod velut ad aram crucis triduo cum insonti victima conuolauit, quod patiens ac sine voce similis agno coram tondente se filius patri ut percuteret, pia colla praebuit. Quod se ligno quod portauerat, ipse suspendi Isaac non reluctatus est; quod aries cornibus in vepre detentus, spinis coronatum Christum ostendens, pro Isaac immolandus apparuit; quod* NB. *ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio filii Dei seruata est Haec omnia credens Abraham videre meruit per figuram quae nos per gratiam impleta esse cognoscimus.* Ita auctor hicce, qui sane non adeo inep-

 tus-

[36] Editores in admonitione libro huic praemissa satis antiquum esse hunc auctorem et secl. III. floruisse, ostenduntur.

[37] L. c. XVII. p. 103. edit. Paris.

tus est, diem Christi ab Abrahamo visum explicat.

§ XXV.

Patere denique *venerande vir* vt IRENAEI singulares in hoc dictum meditationes ab aliis neglectas his omnibus adiiciam, qui si quis alius monstri quiddam alere videtur. Verborum vero eius obscuritas forsitan effecit, quo minus ab aliis sententia illa notaretur. Diem Christi tempus ipsius esse confitetur. Duplici vero modo Abrahamum illud vidisse existimat. Primum, dum in terris degeret, eo modo, quo diuini vates futura perspiciebant. Deinde in filiis suis, posterisque Simeone, Hanna, Maria, aliisque, qui viuendo Domini tempus attigerunt, ac ex eius conspectu non leue gaudium perceperunt. Sic ego quidem subobscura sancti viri verba capio, quae interpretes ad unum omnes intacta dimisere. Sed iste plerumque hominum illorum mos est, vt in facilibus occupatissimos sese ostendant. Vnde, si quidem non plane nulla, exigua certe in rem sacram et eruditam utilitas proficiscitur. In iis, quae ad dignoscendas veras aetatis istius rationes, eruendasque genuinas sacros scriptores interpretando regulas; quibus aeui illius doctores insistebant, pertinent, segnes sunt ac remissi; quo tamen dum caremus labore, interiori destituti sumus rerum Christianarum cognitione. Quidquid vero est, non ab iis, quas IRENAEVS sequebatur regulis in sacris oraculis explicandis ista, quam dedi, expositio remota est. Num a vera ipsius mente aberrauerim, ex verbis, quae iam subiiciam, diiudicandum

er

ait[38] *Abraham* inquit - - *doctus repraesentatione, quod inter homines homo futurus esset filius Dei - - concupiuit eam diem videre, vti et ipse complecteretur Christum; et per spiritum prophetiae videns eam, exultauit.* Haec prima Abrahami visio et gaudium. Posteaquam commemorasset Simeonis et pastorum adfectum ob natum seruatorem, rursus pergit; *sed et Maria ait: magnificat anima mea Dominum - - descendente quidem exultatione Abrahae, in eos, qui erant ex semine eius, vigilantes et videntes Christum et credentes ei; reciproca autem rursus et regrediente exultatione a filiis in Abraham, qui et concupierat diem aduentus Christi videre. Bene igitur Dominus noster testimonium reddebat ei, dicens: Abraham, pater vester exultauit* et reliqua. En alteram visionem: vereor, vt tibi placitura sit haec commentandi ratio. Me quidem non delectat. Bene tamen illi cum interpretatione, primis doctoribus, consueta, convenire; alio loco docebo.

§. XXVI.

Atque haec sunt, *vir amplissime,* quae in mentem, cogitanti de *die Christi,* venere, *quam Abrahamus vidit.* Tuae erit humanitatis, quae forsitan minus eleganter dicta, benigne interpretari, dictionisque sordes festinationi nimiae, quam morbi auxit impetus, tribuere. Acutissimi dolores, qui me scribentem excruciarunt, vix rationis ferunt imperium: tantum abest, ut ad Latii venustatem me componere potuerim. Omnes implesse mihi numeros videbor, si ita saltim

 scrip-

[38] Lib. IV. adu. Haeres. c. XV. p. 302. 303. edit. *Grabii.*

ſcripſerim, ut non frigidum plane Sabini ſomnium Te legere, exiſtimes. Vale. Kiliae, ex Muſeo, d. XIV. Sept. MDCCXVIII.[39].

[39] Perpauca ſunt, quae ad epiſtolam hanc regeſſit *των εν αγιοις* LAMPIVS c. l. p. 256. Agit auctori illius gratias, quod *doctiſſimis iuxta et politiſſimis obſeruationibus de re ardua preſſius cogitandi anſam ſibi ſubminiſtrare voluerit.* Pugnam vero redintegrare cum ipſi non allubuerit, lectores, penes quos omne vult eſſe iudicium, ad Commentarium ſuum in Iohannis Euangelium ablegat, qua in via vt b. WOLFII *Curas* in Ioh. HX. 56. Tom. I. p. inuiſere haud grauentur, rogamus.



COGI

COGITATIONES
DE
IVSTIFICATIONE ABRAHAMI
AD
ILLVSTRANDA
LOCA QVAEDAM
EPISTOLAE D. PAVLLI
AD
ROMANOS.

DE IVSTIFICATIONE ABRAHAMI COGITATIONES. *

LECTORIBVS
S. P. D.
IOH. LAVR. MOSHEMIVS.

Si, quod nemo negat, verum est, principem inter auctores locum illis deberi, qui quos scribendo erudiunt, eosdem et delectare student, meo quidem iudicio multis aliis praeferri et in primis commendari debent, qui selectas varii generis obseruationes, quas diuturna et multiplex lectio et meditatio ipsis suggessit, vno volumine comprehensas exhibent, nitidaque et amoena oratione vestiunt. Si vsquam; in eiusmodi certe libris vtilitati honestissima iungitur voluptas. Breuitas animaduersionum fastidium pellit: varietas iucunditatem affert. Est, quod omnes suauiter afficiat et iuuet, in quibus sensus quidam pulchritudinis est, styli nempe dignitas et

* Occasionem illas chartae mandandi Reuerendiss. auctori dederunt opuscula Clariss. BIDERMANNI, quae his nundinis cum erudito orbe communicare viro doctissimo placuit. Optabunt lectores mecum, vti tam felicibus nobis esse contingat, integram messem Commentarii in auream Epistolam ad Romanos, cito citius videre. Haec enim cum Theologiae Christianae diuinum sit compendium, illustratione illius optime omnium consultum iri ecclesiae videtur. Est, est e re sacra diuinos libros facili et accommodata tempori ratione explicatos in manus mortalium tradere, atque eos diuinis armis instruere, ne decipiente impietatis specie illusi et inducti misere capiantur.

et venuſtas, rerumque nouitas et inopinata inuentio: Eſt etiam, quod certarum artium et ſcientiarum profeſſoribus praeter ceteros et lucis, et commodi, et ſuauitatis aliquid pariat. Diſcent hoc, qui nondum ſatis ſciunt, vt ego, dudum licet aliunde doctus, iterum didici, ex praeſenti, viri excellenti doctrina et ingenio, M. Ioh. Gottl. Bidermanni, Libro, in quem commentariola ſua ex variis humanae eruditionis partibus, antea ſeparatim edita, congeſſit, omni quidem ratione perfecta et multa meditatione et cura limata. Nulla harum diſputationum triti eſt ac quotidiani argumenti: omnes noui aliquid et inſoliti non per indices tantum ſuos, quamquam et in his amoenitatis et elegantiae aliquid non communis eſt, verum etiam res ipſas offerunt. Nulla eſt, quae vanam tantum et ludicram oblectationem commouere valeat: omnes continent aliquid, quod in rem ſuam viri docti et litterarum ſtudioſi conuertere poſſint: viciſſim nulla eſt, in qua ſola regnet vtilitas: omnes animum etiam voluptate quadam paſcunt. Atque haec voluptas non ex rebus tantum naſcitur, verum etiam ex verbis, puris, apte cadentibus, propriis, ſcienter inter ſe colligatis, et ad Romanae vetuſtatis prima exempla compoſitis. Igitur miratus ſum, quum vir longe doctiſſimus libro per ſe vendibili addi aliquid a me cuperet, qui nec ingenium eius et doctrinam aſſequor, neque ita mihi faueo, vt auctoritatis nonnihil et dignitatis virorum eruditorum ſcriptis comparari a me poſſe confidam: At voluntati tamen eius, ne amici officium defugiſſe viderer, re bene putata, repugnare nolui.

Co-

Cogitanti, quanam de re cum lectoribus in limine opusculi variis optimae monetae animaduersionibus referti agerem, non alienum visum est, pauca quaedam ex illis proponere, quae attentius his diebus diuinam S. PAVLI ad Romanos epistolam legens animaduerti ab interpretibus, quos tractaui, aut seposita prorsus, aut minus luculenter explicata. Sciunt rerum sacrarum consulti, restare in hac codicis diuinitus nobis traditi parte nonnulla, quae sagacem et ingeniosam operam desiderent: ex quibus num illa sint, quae iam attingere placet, intelligentibus existimandum committo.

Postquam vir diuinus dogma id, quod epistolae ad Romanos caput est, de iustitia et salute, per fidem in merita Seruatoris, vnice consequenda, grauiter et luculenter exposuerat, cap. III. v. 21-26. consectaria quaedam ex eo elicit cognitu illis, quos erudiebat, in primis necessaria v. 27. s. Horum primum his verbis effert: ποῦ οὖν ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη. *Vbi igitur est gloriatio?* (hominum nimirum apud Deum?) *Exclusa est*, intellige, a negotio salutis, seu a ratione et via salutis obtinendae. In his nihil est, quod diu nos detinere queat. Nam ornatum Rhetoricum si remoueas, haec inest in verbis Sancti hominis sententia: Ex dogmate, quod iam tradidi, hoc primum sequitur, homines omnes, et in his Iudaeos, de meritis et virtutibus suis apud Deum gloriari nullo modo posse, atque omnem iactantiam, quum res iustitiae et salutis in foro diuino agitur, abiiciendam esse. Plus vero, nisi forte fallit opinio, dif-

ficul-

ficultatis est in altero consectario, quod haec verba exprimunt: Διὰ ποίου νόμου? τῶν ἔργων? Οὐχί. Ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως. *Qua lege aut per quam legem? Num per legem operum? Minime. Sed per legem fidei.* Praecise S. PAVLVM hic loqui, atque verbis: Διὰ ποίου νόμου? *Per quam legem?* addendum esse aliquid, quo sensus orationis perficiatur, omni caret controuersia. Id vero non longe quaerunt interpretes, quos inspexi, ad vnum omnes, sed ex proximo sumunt. Repetenda nempe statuunt esse praecedentia verba: ἡ καύχησις ἐξεκλείσθη, quaestionemque S. PAVLI ita formandam: *Per quamnam igitur legem illa hominum gloriatio sublata aut exclusa est? Num per legem, quae praecipit opera?* Ad eam quaestionem ipse respondet vir diuinus: Neutiquam. *Lex fidei omnem illam gloriationem sustulit.* Fatendum nobis est, sponte veluti hoc supplementum nasci, nec aliud facile in mentem legentibus venire potuisse. At me tamen sententiam, quam gignit, mente diligentius voluentem dubitatio repente inuasit, num facile locum, quem facillime occupauit, tueri possit.

Constat, quod omnes vident, dictum PAVLI binis enuntiatis, altero negante, altero praecipiente seu affirmante: quorum illud ex vulgari expositione hoc erit: *Facultas apud Deum gloriandi seu virtutes et merita sua praedicandi ademta non est hominibus per legem a* MOSE *latam, quae actiones et opera praescribit.* Hoc ita sese habebit: *E contrario lex fidei seu lex, quae fidem in* IESVM CHRISTVM *iubet, illam hominum iactantiam vnice*

exstin-

exstinxit et sustulit. Posterius enuntiatum per se clarum et euidens est: non item, vti ego quidem existimo, prius. PAVLVS haut dubie nihil temere scripsit. Caussam vero si habuit, cur Romanos moneret, hominum gloriationem non per legem Mosaicam deletam et sublatam esse, existimandum nobis est, fuisse tum temporis Romae, qui arbitrarentur, esse in lege Mosis vim quamdam ab omni iactantia homines auocandi, aut fieri saltim potuisse, vt in eam opinionem aliqui delaberentur. Hoccine credibile est? Eratne aliquis vel Iudaeus, vel Deorum cultor, qui sibi aut persuaderet ant persuadere posset, legem Mosis potestate praeditam esse, omnem arrogantiam et gloriationem ex animis hominum extrahendi? Iudaei certe tam longe ab hac opinione aberant, vt potius legem Mosis sibi iustam gloriandi et semet efferendi rationem suppeditare, crederent. Fac vero, fuisse, qui putarent, legem operum a MOSE rogatam, humanae arrogantiae obicem ponere atque ad misericordiam Dei implorandam inuitare, digna ne erat haec sententia, quam vir diuinus refelleret et eradicaret? Ego eam potius fouendam fuisse arbitror, quoniam instituto S. PAVLI egregie conueniebat, neque vana et falsa erat. Nonne PAVLVS ipse hoc docebat, legem, humanis viribus maiora exigentem, tacite homines admonere, nullum iactationi apud Deum locum esse? Nonne hoc alte suorum mentibus infixum esse volebat, *legem paedagogum nostrum ad Iesum Christum esse*, seu manu veluti nos ad Christum ducere? *Gal. III.* 24. Credemusne igitur, virum diuinitus actum hoc loco id ipsum euertere,

re, quod alias stabilire studet, per ipsa legis a Deo datae praecepta, quippe quibus nemo satisfacere possit mortalium, tumorem et vanitatem generis nostri deiici? Quo diutius haec mecum considero, eo certiorem me fieri sentio, paullo altius adscendendum esse, quam solent viri docti, ad id; quod mente retinuit S. PAVLVS, inueniendum. Ego quidem id, quod v. 21. scriptum legitur: δικαιοσύνη θεῦ πεφανέρωται, libenter cum verbis eius iunxerim, quaestionemque, quam Romanis suis proponit, sic esse concipiendam existimauerim: Διὰ ποίε νόμε ἡ δικαιοσύνη θεῦ πεφανέρωται? *Per quam igitur legem hominibus vera ratio iustitiam seu veniam peccatorum apud Deum obtinendi patefacta est?* Non certe, respondet, per illam legem, cui vos omnia tribuitis, per illam, quam a MOSE traditam accepistis. Sed per illam, quam nos diuino iussu explicamus, *per legem fidei.* Atque huic declarationi verborum viri diuini praeclare respondet conclusio, quae continuo subiicitur: λογιζόμεθα ἦν πίςει δικαιῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμε. *Quae quum ita sint, sic quidem censemus, hominem iustum a Deo pronuntiari propter fidem in Iesum Christum, exclusis legis operibus.* Belle ratiocinatur S. PAVLVS: Quoniam, quod vidimus, lex fidei vnice viam salutis monstrat, ideo censeamus oportet, fide, non operibus, salutem vnice impetrari posse. Non aeque concinna et euidens est eius argumentatio, si sic eum rationem subduxisse arbitremur: Quoniam non lex operum, sed lex fidei hominum gloriationem destruit, ideo fidei virtute, non per opera, ad salutem peruenire homines iudicemus.

Habe-

Habebit, nisi fallor, quod ad hanc rationem excipiat homo malo suo ingeniosus. Certum scilicet esse negabit, quod hominum aperit miseriam, id ipsum etiam miseriam eius vnice tollere posse.

Ceterum nescio, an intelligant omnes, tametsi, meo quidem sensu, non difficile intellectu est, in verbis viri diuini, de quibus egimus, vocabulum νόμος consuetam potestatem suam non habere, sed idem esse, quod *disciplina*, διδασκαλίαν, μάθησις, παιδεία. Νόμος regula est proprie, per quam liberae hominum actiones ad certum finem determinantur. Eam vero notionem hoc vocabulum non admittit, siue cum vocabulo ἔργων, siue cum vocabulo πίστεως copuletur. Inane et superuacaneum est additamentum ἔργων, si νόμος natiuo sensu suo ponatur, quoniam ipsum vocabulum iam normam operum seu actionum significat: vis vero vocabuli πίστις potestati vocabuli νόμος plane repugnat, vt haec duo vocabula sic, vti hoc in loco, iungi nequeant. Plana sunt omnia et difficultate vacua, si Scriptorem diuinum mutasse hic potestatem vocabuli νόμος animaduertamus, atque verba eius sic reddamus: *Illa institutio seu Disciplina Dei, quae opera exigit ab hominibus, non, qua ratione iustus fieri possit aliquis, ostendit: hoc vnice docet illa disciplina seu eruditio Dei, cuius summa est fides in Christum Iesum.* Dilatat ergo S. PAVLVS, quod et alios Scriptores Graecorum facere memini, exempla licet nunc non su[...]urrant, paullulum communem potestatem voca[...]li νόμος, omnemque

que regulam et normam siue intellectui, siue voluntati hominis data sit, legem vocat. Et quid obsecro, impedit, ne dogmata omnia, quae hominem gubernant et instituunt, hoc nomine appellentur?

Caput quartum epistolae ad Romanos datae his verbis Dei legatus inchoat: *Quid ergo dicemus Abrahamum, patrem nostrum, consequutum esse quoad carnem?* v. 1. Quam quaestionem ita soluit: εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ᾽ οὐ πρὸς τὸν Θεόν. *Si Abrahamus propter opera iustus est redditus, gloriari quidem potest, sed non apud Deum.* Quaestionem mitto, etsi in ea quoque sit, de quo inter se non conuenerint interpretes: In responsione verbis: ἔχει καύχημα, addendum esse aliquid, omnes consentiunt: neque disputatur valde, quale illud sit. Deo homines saepissime opponuntur, et hoc quidem in loco nihil occurrit, quod opponi Deo possit, si ab hominibus discesseris. Itaque viri doctissimi adiicere nos iubent: πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, atque PAVLVM hoc dicere, censent: *Abrabamum habere quidem, de quo gloriatur apud homines, nihil vero prorsus, de quo apud Deum se praedicet.* Difficile est, interpretationem repudiare multorum eximiorum virorum consensu firmatam: Verum non contemnenda me cogit, vt hoc audeam, ratio. Manifestum est, verbum: ἐδικαιώθη, ad Deum referri debere, PAVLVMque sic intelligendum esse, ac si scripsisset: ἐδικαιώθη ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Receptam igitur si adoptem explicationem, haec S. PAVLO tribuen-

d

da erit sententia: *Si Deus Abrahamum propter opera iustum pronuntiauit, apud homines ille quidem se laudare et efferre potest, non autem apud Deum.* Hoccine verum est? Hoccine S. Pavlvm literis mandasse, verisimile? Quicunque a Deo propter opera sua insons et iustus iudicatus est, is non modo apud homines, verum etiam apud Deum gloriari iustissime potest. Quidni enim ipsi Deo sua merita, suas virtutes, suam sanctimoniam ostentet, quem Deus, propter illam sanctimoniam, merita, et virtutes, purum omnis sceleris et innocentem iudicauit? Quidni apud iudicem glorietur, qui virtute sua candidam iudicis sententiam obtinuit?

Ego circumspectis omnibus, quae lucem his verbis afferre possunt, in eam venio sententiam, verba: πρὸς τὸν Θεὸν, ad vtrumque membrum dicti Paulini pertinere, Sanctumque virum, quem nemo nescit compendio sermonis saepissime vti, si quae menti eius praesentia erant, omnia verbis exprimere voluisset, sic loquuturum fuisse: ἔχει καύχημα πρὸς τὸν Θεὸν, ἀλλ' οὐ ἔχει καύχημα πρὸς τὸν Θεόν. *Si Abrahamus propter opera iustus a Deo pronuntiatus fuisset, omnino caussam haberet coram Deo gloriandi: verum non habebat ille hanc caussam apud Deum gloriandi: Sacer enim codex disertissime tradit, eum non propter opera, sed fidei nomine iustum a Deo iudicatum esse.* Nihil est in hac interpretatione, quod a ratione et forma orationis Paulinae abhorreat. Verum aliam tamen adiungam explicationem optionem viris doctis relinquens, vtram praeferre velint.

Quid si primum incisi, de quo agitur, membrum in quaestionem mutemus et orationem viri diuini hoc modo partiamur: Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη? ἔχει καύχημα, ἀλλ᾽ οὐ πρὸς τὸν θεόν. *Num enim Abrahamus propter opera iustus est dictus? Habet ille quidem suam laudem*: (nolo ego eum laude sua priuare: sanctius enim ceteris hominibus et diuinae voluntati conuenientius vixit) *verum hac laude apud Deum vti non potest.* (Qui nimirum acrius videt hominibus, et reconditos mentium recessus scrutatur). Ipse ego priorem interpretationem simpliciorem duxerim: at nec posterior tamen, vt puto, eius est generis, vt difficilis et nimis ingeniosa videri debeat. Ecquid enim obsistit, ne credamus, diuinum virum in priori membro incisi secundi pergere in quaestione, quam inciso primo coeperat?

Demonstrata caussa, quae Deum mouit, vt iustitiam patri Iudaeorum impertiret, magnificam subiungit S. PAVLVS commendationem fidei, cui suam felicitatem debebat Abrahamus v. 17-22. Qua commendatione finita quae dixerat, ad Romanorum eruditionem his verbis v. 23. transfert: Οὐκ ἐγράφη δὲ δι᾽ αὐτὸν μόνον, ὅτι ἐλογίσθη αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ δι᾽ ἡμᾶς. *Haec vero* (quae de fide Abrahami Moses narrat) *non propter eum solum scripta sunt, sed etiam propter nos.* Num quid est in his, quod morari aliquem possit? Est, vt arbitror. S. PAVLVS dicit primum, propter ipsum Abrahamum, historiam fidei eius exaratam esse ...

tinde et propter posteros. At quomodo Moses Abrahami caussa scribere potuit, qui diu fato suo functus erat, quum Moses opus suum componeret? Num Abrahamus iamdudum inter coelicolas degens, quum Moses exarandae Historiae suae manum admoueret, fructus aliquid ex eius lectione capere potuit? Difficultatem hanc haut aliter remoueri posse puto, quam si sumamus, patrem quidem Iudaeorum Abrahamum hic nominari, at gentem ex eo natam Iudaeorum intelligi debere. Haec igitur fuerit mens diuini auctoris: Moses non tantum ea, quae de fide Abrahami narrat, propterea in literas retulit, vt posteros eius, in quibus ipse quodammodo viuebat, erudiret, verum etiam, vt omnes omnino gentes, quae aliquando credituræ essent tempore Iesu Christi, certas redderet, non nouam salutis rationem illis proponi, sed veterem illam, per quam ipse Abrahamus seruatus est. Non insolens et inusitatum est in diuinis, humanisque scriptoribus, caput et progenitorem populi cuiusdam, loco populi ex ipso procreati, poni.

Alia quaedam addere molientem occupationes interpellant, quibus deesse diutius non licet. Hoc igitur nobis vnum relinquitur, vt pereruditis his opusculis secundissimam virorum literatorum voluntatem et eruditi populi suffragia precemur, doctissimo eorum parenti partam per ea doctrinae multifariae et elegantis ingenii laudem gratulemur. Denique eumdem

vera omnis generis felicitate ad vltimam senectutem frui, resque bonarum artium et litterarum aeque diu prosperrime et optime agere iubeamus. Scripsi Göttingae d. III. mens. Iulii A. MDCCL.



DE

DE

DIVERSIS RATIONIBVS

QVAS SEQVVTI SVNT

QVI

IVRIS SACRI CORRIGENDI NEGOTIVM

IN SE SVSCEPERVNT

PRAEFATIO.

DE

DIVERSIS RATIONIBVS
QVAS SEQVVTI SVNT
QVI
IVRIS SACRI CORRIGENDI NEGOTIVM IN SE SVSCEPERVNT*

PRAEFATIO.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. LAVR. MOSHEMIVS.

Sacri iuris, quod innumerabiles contraxerat deformitates, eodem tempore susceptam fuisse emendationem, quo doctrinae coelestis purgationem, magno animo LVTHERVS aggressus est, illi demum ignorare possunt, quos omnia fugiunt, recentioris ecclesiae Christianae fata. Corruptissima enim doctrina quum in iure, quod ecclesia sibi arrogabat, non vltimum collocatum haberet praesidium, illius nemo poterat vlcera tangere, quin hoc etiam sanandum sibi sumeret. Atque si LVTHERO licuisset, quae commentatus erat, perficere, non esset hodie, opinor, cur impeditam iuris ecclesiastici disciplinam conquererentur, qui ceteris spectant altius, aut sese superstitionum, nondum prorsus exstinctarum medicos profiterentur. Verum fata obstiterunt, vel potius homines, qui nunc plebem inscitam, nunc commoda sua dolebant eripi. Iureconsulti,

* Cernitur ea in fronte *Elementorum Iurisprudentiae ecclesiasticae*, Viri Celeb. GEORG. GODOF. KEVFELII Prof. Helmstad.

ti, quam in decretis Pontificum et Conciliorum ediſcendis poſuerant multorum annorum induſtriam, vanitatis atque levitatis condemnari, moleſtiſſime ferebant, viamque ideo ſequi malebant difficiliorem, ſed notam, quam faciliorem, at nulli antea calcatam, et a Theologo praeterea monſtratam.

Sunt qui nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt.
Sunt, qui turpe putant, parere minoribus, et quae
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.[1]

Theologorum plurimos inane fallebat antiquitatis nomen. Quumque multarum rerum, quae tum legum inſtar vigebant, aut expreſſa veſtigia, aut leuiter adumbrata ſimulacra in priſcis Chriſtianorum coetibus animaduerterent, neque tamen cauſſas rite perſpicerent antiquioris diſciplinae, hanc primis Christi ſectatoribus reuerentiam deberi iudicabant, ne ab inſtitutis illorum recentiores temere deflecterent. Nota ſunt Erasmi, Cassandri, Wicelii, aliorumque conſilia, a quibus nec ego Calvinvm, tametſi epiſcopos odio habebat, neque ipſum Melanchthonem noſtrum, prorſus fuiſſe alienos, ſi vellem, demonſtrare poſſem: *Quantum fieri poteſt*, inquit Franc. Baldvinvs, nobilis in primis aetate illa Iureconſultus, et Cassandri deditus ſententiis[2] *valde velim, rem reuocari ad ſua initia, primamque veluti formam et inſtitutionem. Quid multis? Lex illa Nicaena, quae tantopere Conſtantino placuit, nobis quoque placeat, et oraculi etiam cuiusdam loco ſit*, ΤΑ ΑΡΧΑΙΑ ΕΘΗ ΚΡΑΘΕΙΤΩ.

Haec

[1] Horativs ep. Lib. II. Ep. 1.
[2] In Conſtantino C. de Legibus Conſtantini M. lib. I. p. 79.

Haec nimis honesta videbatur plurimis oratio, quam vt ei resisti posse putarent. Itaque nonnulla remanserunt in ipso puriori coetu, quae legum auctoritate priuanda putarunt esse sapientes viri, antequam sacrae ciuitatis formam, ex omni parte perfectam dicere liceat.

Vidit aetas posterior majorum hac in re siue negligentiam, siue leuitatem, atque de tollendis sacri iuris morbis curiose non minus, quam erudite, deliberauit. Verum nostra sibi tempora hoc institutum ita arrogarunt, vt, qui ante nos idem tentarunt negotium, nihil prope fecisse, aut potius mala vetustate robusta non tam sedasse, quam leuiter tetigisse, multis hodie videantur. Vtinam! quibus hoc versare saxum placuit, parem semper adhibuissent eruditionem atque prudentiam, neque fidem veteri fecissent dicto: esse, quae deteriora curando fiant vlcera. Sed miserum est, plerosque omnes, qui emendandis aliorum student vitiis, suae ipsos naturae obliuisci, idque, vt alii sine indignatione perferant, postulare, quod ipsimet exquisitam interpretarentur iniuriam. Miserum, qui modum statuere volunt inscitiae, raro ipsos seruare modum posse, idque temeritati dare interdum, quod alii consuetudini. Miserum denique, quum nullos magis lenitas et moderatio deceat, quam eos, qui in aliorum inquirunt vitia, ita multos tamen agere, ac si consulto exacerbare vellent animos, quamque spondent magnifice, correctionem interuertere. Equidem sic sentio, vsu non minus, quam ratione edoctus, Medicos imitari debere, qui vel sacrae, vel litterariae rei commodis inseruire, sordibusque vtramque purgare cupiunt: Qui si aegros,

aegros, quos accedunt, conuiciis inuaderent, aut nil in toto corpore esse dicerent, quod vel vllo modo ferri posset, nescio, an multis emotae mentis viderentur. Quod si reputassent doctissimi homines, qui ad sacrum ius castigandum animum aetate nostra appulerunt, parcior, credo, in scriptis eorum contumeliarum messis esset, quibus moris recepti studiosi excipiantur, neque omnium rerum origines a Pontifice Romano repeterentur, quarum fortassis non minimam partem aut vtilitas, aut necessitas, aut ipsum denique ius consecrauit. Verum haec alias: nunc pauca *de diuersis rationibus, quas secuti sunt, qui negotium hoc corrigendi iuris sacri susceperunt*, differere statui.

Multi nunquam melius fore rebus Christianis arbitrantur, quam si omnia ad priscos mores, veterumque saeculorum instituta reuocarentur. Nihil ego hic requiro, si per prisca instituta eas leges intelligant, quas seruator noster, eiusque amici, eo sanxerunt consilio, vt sempiternae essent, nec vnquam obliterarentur. Verum, quae reduci flagitant vetera instituta, ea, vel ad tempus tantum a sanctis viris constituta sunt, vt ecclesiae consuleretur necessitati, vel etiam, secundo atque tertio saeculo, quum simplicitati minor haberetur, quam antea, honos, certis de caussis introducta sunt. Quibus quod alligari nolunt illi, quos veteris aeui rationes non praetereunt, id ego minime demirandum iudico. Si quis alius, ego vetustatis Christianae amantissimus sum, in cuius rationibus explorandis non mediocrem vitae meae partem consumtam esse,

non

non inficior: idem pios homines, quorum praeclara extant alioquin in rem Christianum merita, temere hodie irrideri moleste fero ab illis, qui interdum ne attigerunt quidem Patres, vt vocantur, saepe quoque tam infirmo sunt ingenio, vt se cogitatione in heroica illa tempora transferre nequeant; id quod facere tamen oportet eos, qui, quid deceat antiquos Patres, quid dedeceat, perspectum sibi cupiunt esse. Sed idcirco tamen nemo a me impetrauerit, vt iis omnino legibus rem Christianorum publicam regendam esse credam, quibus ea per aliquot olim saecula salua stetit ac incolumis.

Video, atque suo, si vixero, tempore declarabo, non vnam fuisse omnibus in Coetibus, vetustissimis etiam temporibus, sacri iuris normam. Interim qui legibus et institutis diffidebant, ipsos tamen Seruatoris legatos, disciplinae, quam seruabant, auctores esse, utrique contendebant. Sunt, qui alteram partem, mendacii postulant, vire longe doctissimi: Quibus quidnam caussae putem esse, cur sic sentiant, vix equidem constituo: mihi secus videtur, et vtrosque vera dixisse, non sine caussa iudico. Namque amici Seruatoris nostri, quod varia esse populorum perspiciebant ingenia, neque omnes commode intelligebant paribus viuere posse moribus, facile legibus et institutis diffidere patiebantur, quos vna sanctaque coniungebat doctrina. Quod vnum, si nihil esset aliud, satis eos refelleret, qui cum CLAVD. SALMASIO [3] *quae ab Apostolis constituta sunt, aeque ius diuinum facere* censent, *ac si ipsius Christi ore*

[3] WALO MESSALINVS de Episcop. et presbyter. p. 422.

sti ore dicta essent, et praecipue quae ad disciplinam spectant. Multa temporibus dederunt, multa etiam hominibus, sanctissimi viri: quae si omnia retinere vellemus, in ipsos eorum auctores peccaremus.

Quod si ab eorum discedamus temporibus, quos ipsemet Seruator erudiuerat, incertum videtur, vtrum ipsa rituum multitudo, quae necopinato priscae simplicitatis sedem occupabat, an inhonestae saepius et inficetae eorum rationes molestius ferendae sint? Sacrum ius Philosophus interdum rogabat, cuius decreta nulli probabant, nisi, quibus ipsam rationem attentius consulere, molestiae plenum videbatur. Nec difficile demonstratu est, quae de daemonum natura, et potestate Graeculi semisapientes somniauerant, plus valuisse interdum, ad leges nouas ecclesiasticas sanciendas, quam sacri codicis effata, aut limatae rationis iudicium. Mitto alia, quae diligenter persequi statui, si per munerum, quibus Devs, summique Principes, me praeter opinionem praefecerunt, molestias, vitam, atque valetudinem, sacrarum antiquitatum commentarios perficere, licuerit atque emittere, in quibus construendis tantum mihi fere otii perit, quantum necessariis eripere possum negotiis. Quamobrem, etsi multa sapienter olim esse constituta non diffitear, quum iniusta Tyrannis immineret ecclesiae, hi tamen, qui vetera sibi reddi volunt instituta; id secum ante omnia deliberent necesse est, an vetera quoque nobis tempora possint reddere, aut antiquas leges, non sine legum rationibus, id quod iustum est, velint recipere.

His

His multo sapientiores, sibi videntur esse, qui ecclesiam sibimet ipsi, id quod olim ea fecerit, iura scribere debere disputant, tantumque putant veritati decedere, quantum ei potestatis atque libertatis eripitur.

Non haec illis tantum sententia placet, qui splendido *ecclesiae* vocabulo Romanum legunt antistitem, aut episcoporum mensas consectantur. Sunt et inter illos, qui nihil ceteroquin sibi rei volunt esse, cum Italorum flagitiis, quorum tam alte haec animis infixa est opinio, vt, si possent, facibus aliter sentientium temeritatem vicifcerentur. Quid in Anglia vulgo sentiant hac de re, et quid ibi, non ita pridem gestum sit, sciunt, quos aetatis nostrae rationes non fugiunt. Nam quum BENIAMIN HOADLACVS vir ingenio et eloquentia maximus, iura IESV CHRISTI sibi sumeret adserenda, eumque vnum esse Christianorum legislatorem, quo consilio, nunc non inquiro, contenderet, grauiter hoc multis propositum displicuit, qui ecclesiam vice hodie Seruatoris esse censebant. Itaque acris exarsit contentio, in qua *illi* pro CHRISTI, hi pro ecclesiae propugnabant auctoritate atque iuribus, vtrisque sic dimicantibus, vt modestioribus et sanioribus veritatis, vt fit inter homines, interdum migrasse fines videantur. Esse sua ecclesiae, sua etiam ecclesiae praefectis iura, nescio an negare queat aliquis? Atque tali si nos hodie vteremur ecclesia, qualem Christus esse voluit, casta, pura, omnisque labis et maculae experte Eph. v. 27. cur hanc sacri iuris emendatricem sapientes ferre nollent, nihil omnino caussae esset. Sed his moribus

bus et temporibus, quibus ipſa Chriſti ciuitas prolapſa eſt, vt omnium opibus refrenanda atque coërcenda ſit, viderint, qui ab ea correctionem diſciplinae poſtulant, ne vel imperitae multitudini facem ad nefaria quaeuis audenda praeferant, aut ſcintillas incendii diſſeminent, non, niſi multorum ſanguine ac pernicie, extinguendi. CROMWELLI tempora in memoriam ſibi reuocent, quibus hoc obſcurius videtur, eaque legant, quae accurate et prudenter GILB. BVRNETVS, de illis in *Hiſtoria temporum ſuorum* commentatus eſt. Sed iuuabit de his paullo explicatius diſſerre.

Siue ipſam eorum, qui pro eccleſia verba tam argute faciunt, mentem, ſiue argumenta, quibus eam tuentur, ſpectes, multum habent, quod in eis acutiores reprehendunt. Dudum eſt, quod eos obſeruatum eſt, qui eccleſiam ſine modo crepant, non tam populum Chriſtianum, quam doctores eius atque moderatores, intelligere. Neque fieri aliter poſſe, quin ſumma rerum ad eos poſtremo deuoluatur, qui docendi gaudent iure, ſi in eccleſiam poteſtas omnis ferendi leges conferatur, perſpicaciores ſine negotio intelligunt. Mos hic vero tametſi peruetuſtus eſt, primisque rei Chriſtianae ſaeculis iam valuit, per ſe tamen ſatis, quo loco haec habenda ſit ſententia, declarat. Vt ad ſpeciem niteat, atque eleganti ſeſe commendet amictu, tot triſtiſſimas tamen reipublicae conuerſiones, tamque immenſum ſuperſtitionem examen, in quibus excitandis et fouendis antiſtitum elaborauit amentia, ſapientibus obducit, vt aut pacis atque ſalutis rei publicae ſtudium deſerendum, aut hanc totam ſibi repudiandam cenſeant.

Feren-

Ferenda tamen foret haec opinio; si modo certis cincta esset firmamentis ac praesidiis, quibus eam omnino destitutam videmus. Nam in sacris litteris, quod eam communire possit, nescio, an exstet aliquid. *Doctoribus obtemperare iubentur sancti*; Ebr. XIII, 17. Sed cautissime additum est, *eo quod animarum curare salutem iussi sint.* Qvod si perpendisset FRANC HARE et alii, qui hoc in praecepto iura sibi videntur ecclesiae deprehendisse, sensissent, nisi fallor, de illis rebus hoc esse mandatum intelligendum, quae ad animi salutem pertinent. Prisci autem aeui mores tum demum apud sapientes valent, quando diuinis eos praeceptis conuenire sentiunt. Inanem sibi vero laborem sumet, qui, quae secundo iam, tertioque saeculo, de ecclesiae natura et potestate, scripta sunt et disputata, ad oracula diuina accommodare studeat. Vtinam SOCRATES aliquis saeculo post natum Seruatorem tertio inter Christianos exstitisset, quaerendoque et identidem interrogando, sensus doctorum de ecclesiae iuribus et indole, vel inuitis illis, in lucem protraxisset! Nunc haeremus saepe numero, atque, magnum licet afferamus erga optimos viros studium, vix tamen, quo illos coërceamus, cogitando consequimur, qui neque sibi, neque diuinis legibus conuenienter ac constanter docuisse eos, contendunt. Sed vtcumque est: dixerint nihil *Patres* praeter id, quod probabile sit et rectum: temporum tamen semper testabuntur variam rationem, qui antiqua ecclesiae hodie iura restitui posse, negant.

Confugiunt alii ad Summos magistratus, atque

 horum

horum ad ſententiam et voluntatem, ſacrum iu
vnice refingendum eſſe, exiſtimant. Longam hi
attingo litem: quam ſic pauci tractarunt, vt ni
hil inde inuidiae ſibi conflauerint. Hinc maie
ſtas vrget imperii atque ſalus reipublicae: illin
eccleſia, diuinumque ius vim ſibi vetant afferri
Sed minus fortaſſis foret litium, ſi, qui difficilem
hanc ingreſſi ſunt arenam, res aliquomodo finiti
mas haud miſcuiſſent, neque formulis flexiloqui
et inuidioſis ſanas ſaepe deformaſſent opiniones
Summos imperantes de rebus externis decerner
poſſe ad eccleſiam pertinentibus, de quibus ſa
crae non minus literae ſilent, quam ſana ratio
nemo forte conſideratus negauerit. Eosdem, vi
ris ſapientibus in conſilium adhibitis, recte lati
declarare legibus, quamnam ſequi rationem in
ciuitate Sacra CHRISTVS et purgata iubeant ratio
aeque certum eſt ac perſpicuum, tutores deniqu
magiſtratus eccleſiae eſſe, eiusque iura ſarta te
cta ſeruare debere, nec committere, vt fiat ali
quid in eccleſia, quod rei noceat publicae, con
trouerſia caret.

Sed num intra hos ſubſtiterint limites illi omnes
qui ſacrum ius principum commiſerunt arbitrio
id vero dubium videtur plurimis, viſi ſunt non
nulli, nec immerito fortaſſis viſi ſunt, THOMA
ſequi HOBBESIVM, nec modo ciuitatis, cum ho
et eccleſiae iura inter ſe confundere, ſed etiam
poſt habito iure diuino, atque caſtae rationis ne
glecto iudicio, quicquid modo placeat, de r
ſacra ſancire poſſe, Reges atque Principes, ſta
tuere. Fateor, nihil fore planius hac via, ſi tu
to quidem ac ſine formidine conſectari licere
ean

am. Quid, obſecro, diſputamus? quid vltimae vetuſtatis cineres commouemus? Quid, ne rituum ignoremus origines, cerebrum una cum valetudine conſumimus? Quid rationem, quid ſacrum codicem, quid Patres, quid conſilia emenſo labore ſollicitamus?

Sic volo, ſic iubeo, ſtet pro ratione voluntas.

Hac norma contenti ſimus. Caetera hominibus relinquamus, quos laudis atque gloriae nimis vrit atque vexat ſtudium. Satis caſtigatum erit ius eccleſiae, ſi id vnice, quod iis rectum videtur, qui rei praeſunt publicae, rectum habetur. Sed metuo, ne, qui neminem hac vti poſſe ratione, niſi qui ius omne atque religionem conculcatam velint, exiſtimant, longe minus habeant futilitatis, atque illi, qui hoc demum eſſe cenſent ſapere, quod diximus.

Hae itaque omnes viae cum aeſtuoſae ſint, nec periculo careant, omnium mihi ſapientiſſime videntur facere, qui abiectis ſtudiis hominum, vnius rationis, ſacrarumque litterarum vocem eſſe audiendam exiſtimant, ſi natiuum decus ſuum iuri eccleſiaſtico reſtituendum ſit. ὁ βιος βραχυς, ἡ δε τεχνη μακρη, ὁ δε καιρος ὀξυς, ἡ δε πειρα σφαλερη, ἡ δε κρισις χαλεπη. *Vita breuis, ars longa, occaſio celeris, experimentum periculoſum, iudicium difficile.* Sic medicus olim HIPPOCRATES praeclare monuit [*]. Id ſibi quoque eum in aliis rebus, tum hic dictum putent, qui recti ſtudioſi ſint, relictisque, quas hominum ſaepe numero inuenit parum cauta ſedulitas, captionibus, ex ipſis mature fontibus hauriant.

* Aphoriſ. ſect. I. Aph. I.

Hanc rationem ingressus est, *vir Ornatissimus*, aliisque iam nominibus de re sacra, peregregie meritus, GEORGIVS GODOFREDVS KEVFFELIVS. Qui quum intelligeret, ancipiti non raro contentione distrahi, qui purgandis sacris legibus operam nauant, ad ipsa sibi confugiendum esse principia duxit, vnde omnis iuris atque virtutis ratio et norma peti debet, atque sepositis partium studiis, *Iurisprudentiae ecclesiasticae vniuersalis Institutiones* exarauit. Institutum ipsum nulli, credo, sapienti displicebit: dictionis vero ornatum, perspicuitatem, ordinem, sententiarum denique grauitatem, etiam illi probabunt, nisi fallor, quibus haec ceteroquin disciplina minus esse culta videtur atque elegans. Quae mihi lecta sunt, nec enim omnia legeram, quum haec scriberem, ingenium auctoris facile copiosum et amoënum produnt. Cetera, quum is sit vir Clarissimus, a quo nihil proficisci possit, rude, sordidum, aut indoctum, nil dubito, quin eiusdem generis futura, magnorumque et eruditorum hominum beneuolentiam ipsi conciliatura sint. Quam obrem superuacanea haec multis videbitur haud dubie *praefatio* mea, quibus sicut ipse penitus assentior, ita eius repugnare desiderio, nefas duxi, cuius virtuti, studiis, atque honori, impense faueo. *Dabam in Coenobio Vallis Mariae* die XIII *Iulii* MDCCXXVII.



COGI-

COGITATIONES
DE
STVDIO LITTERARIO.



[redacted]

COGITATIONES
DE
STVDIO LITTERARIO. *

§. I.

Quod commune ſcientiarum ferme fatum eſſe ſolet, multos earum cultores famam, paucos ſapientiam ſequi, id *hiſtoriae*, quam *litterariam* vocant, noſtro ſeculo contigiſſe, manifeſtum eſt. Omnes *hiſtoriam litterariam* apud nos, quanta potuerunt voce, clamarunt hactenus: omnes ad eam diligentius excutiendam miro verborum ambitu hortati ſunt: niſi quis ea animum probe imbutum habeat, truncum aut ſtipitem potius, quam veri nominis eruditum appellari poſſe, omnes conſentiunt. Et quos non motus hae voces in ciuitate doctorum excitarunt? Vt infamiae notam abſtergerent, miſta ſenum iuuenumque agmina tanto concurſu ad diuinae huius ſcientiarum matris ſacra conuolarunt, vt Myſtarum litterariorum numerum inire velle, idem ferme ſit, ac arenam dinumerare. Chiliades dicam an myriades? Scriptorum huius farinae ita ab aliquo tempore noſtra exercuerunt Prela, vt tabernas librarias inſpicienti confeſtim magna ſe eorum ſeries offerat, quae maiuſculo charactere, velut ſignum ſalutare, fronti impreſſum gerunt: DISQVISITIO, SCHEDIASMA, DISSERTATIO HISTORICO-LITTERARIA. Tros Rutulusue huc tam induſtrie operas contulerunt, vt iam de noua quadam diſciplina, formoſae matris filia formoſiori cogitandum ſit, HISTORIA nimirum HISTORIAE LITTERARIAE.

* Deſcribi eas curauimus ex *Miſcellaneis*, vt vocantur, *Lipſienſibus* Tom. VI. p. 63. (M.)

§. II.

Et non potuisset sane rei doctae melius consuli, si, quod plurimi adfirmant, ex cultu huius disciplinae tota eius salus suspensa esset: quin imo corona aut ciuica, aut muralis, aut, si mauis litteraria, OB CIVES SERVATOS, istis, vt vocantur, Polyhistoribus, publice ex aequo decernenda foret. At dudum est, vt verum fatear, ex quo magna pars istorum laborum mihi admodum suspecta visa est et sterilis: dudum est, ex quo hae *de studio litterario excolendo* vociferationes ingentes animo meo iniecerunt scrupulos. Non quidem nunc exquirere vacat, an ita necessarium fuerit, tam acerbos de hoc studio clamores tollere? licet in istorum sententiam me admodum pronum esse, lubens profitear, qui minus prudenter eos iudicasse existimant, qui cum magno artium seueriorum damno ad euanidas vmbras primi, homines non satis consultos auocarunt. Nec etiam de meritis patrum nostrorum in hanc eruditionis partem quidquam afferam, vnde tamen haec quaestio diiudicari posset: num recens natum, an vero vetus hocce inuentum sit? Id saltem aperte mihi constare adfirmo, paucissimos istorum, qui nescio quas ampullas et sesquipedalia verba proiiciunt, scire: *quid demum sit Historia litteraria? quae vera eam tractandi ratio? quis studii istius tantopere adamati vsus?* Plurimi caeco impetu, nescio quo ruunt, vt scilicet docti videantur, puerilem adfectant scientiam, barbarisque nomenclaturis suis, quos magno numeró ediscunt, mirum quantum sibi placent; adeo, vt nouo habitu barbariem ad antiquum imperium recuperandum grassari verendum sit.

§. III.

§. III.

Mouit me res ista, vt paullo altius haec indagarem, *cogitationes*que quasdam *de studio litterario* consignarem. Nihil mihi in istis prius, nihil antiquius fuit, quam veritatis vestigia presso pede sequi, quidquid alii sentiant aut tradant. Docta seruitus valde ab ingenio meo aliena est, qui cum SENECA didicerim. * *Eruditos non dominos nostros, sed duces esse: patere omnibus veritatem: nondum eam occupatam esse.* Num vero hae cogitationes publici saporis futurae sint, vel exinde dubito, cum iste saeculi genius sit, vera odisse. At vero.

Quid refert, dictis ignoscat Mutius, an non? Succenseant, quibus volupe est, tricarum apinarumque caussam agere. Et glandibus vescantur, qui fruges respuunt. Irascantur, qui se tactos sentiunt. Per me id semper licebit. Is vero minime sum, qui prudentiorum censuras ferre nequeam. Cogitationes sunt quas scripsi, non praetoria sententia. Et omnia nostra eruditorum iudicio subiecta sunto. Sicubi errauero, aut ipse mihi somnia finxero, sapientum erit, modeste nos admonere, nostrum, confestim stilum vertere, et delere errores.

§. IV.

Ante omnia dispiciendum erit, *quid sit historia litteraria?* vt eo facilius de vtilitate eius, et requisitis candidati litterarii, iudicium ferre queamus. Ludunt hocce vocabulo homines indocti, cumque istud ambiguum sit, purpureum hunc pannum, qui late splendeat, nugis suis assuunt, prauasque merces specioso hoc titulo venditant.

* Epist. ad Lucil. 33.

Sunt quibus vniuersa eruditionis compages hoc nomine venit, alii solam scriptorum et librorum notitiam hac voce innuunt: multi, si rem recte consideres, ad solas elegantiores litteras eam adstringunt. Et quid multis? prout

Poscuntur vario multum diuersa palato,

talis et notio vocabulo huic subditur. Quin et magna pars ieiunam tantum eorum notitiam requirit, quae hac in scientia, ex eo tempore, quo diligentius eam excoli coepisse aiunt, gesta sint. Haec ipsis est illa scientiarum regina *Historia litteraria*. Hi vt ex suis protrahantur latebris, adcurate finienda omnino erit haec disciplina, nimirum quod, meo quidem iudicio, sit, *enarratio fatorum, quae scientiis eruditis obtigere.* Iusto forsan breuior haec finitio videbitur: at omnia, quae quidem huc referri poterunt, eam complecti, ex dicendis patebit. Nec quisquam, vt puto, cordatior erit, cui ista non sufficiat. Si quis secundum quatuor genera procedere velit, aut cum NICOLAO RICHTERO * *habitum mentis Philologicum* hic ponat, multo prolixior, fateor, esse poterit. Verebar tamen, ne argutiis huiusmodi prudentioribus stomachum mouerem: quapropter hac finitione succincta nostra vti placuit.

§. V.

Vir illustris IO. ALB. FABRICIVS ** triplicem *Historiam litterariam* esse ait, LINGVARVM, SCIENTIA-

* NICOLAI RICHTERI, Gedan. *de Historia litteraria* Dissert. Rostochii 1696. in 4to prodiit, et, si recte recordor, *sectioni primae Systematis litterarii Dn. D. Caroli Arndii* adiuncta est.

** In Praef. ad nouam editionem *Prodromi Histor. Litter. Lambeciani* 2. a. b.

tiarvm et Scriptorvm; quem alii longo numero sequuntur. Optime sane, si latissimo significatu vocabulum accipiatur. Credo tamen, Virum Summum, quem fautorem deuenerari non vltimam felicitatis meae partem reputo, non indigne laturum, si modeste hic ab eo dissentiam; inprimis, cum ex aliorum tantum mente loqui videatur. Non semel animaduerti, nugiuendulos hac sub diuisione, veluti post carecta, latere, suaeque ignorantiae hanc ceu velum obtendere; et hinc alia ratione rem instituendam esse existimo. Quod ad *Historiam linguarum*, eam Historiae litterariae partem esse, omnino nego. Omnis certe laus, si quae ex tam futili labore sperari potest, Criticis relinquenda erit. Num enim Historici est, apices fugientes insectari, syllabas dimetiri, voces minutis ambagibus dissecare, aut originem verborum et radices deperditas apud Indos, Aethiopes, Sauromatas, Garamantas, et quos non? inuestigare? Minime. At videant isti, qui ortum, progressum, fataque linguae cuiusdam exponere volunt, an quidnam sine miseris hisce subtilitatibus proficere possint? Videant, qui Historiam litterarum inter pia desideria referunt, si vel maxime canoras illas nugas, expedire possent, num Criticorum, aut Historicorum partibus ipsis defungendum sit? *Vanum omnem laborem esse, qui linguarum Historiae impenditur*, tot egregii Viri, et ipse Celeberr. Fabricivs * non obscure indicant. Num igitur, qui tam egregiae Scientiae candidati sunt, aliqua ex parte ineptire coguntur? Absit, vt haec adfirmemus. Quomodo id enim tantis laudibus, certatim

* Vid. citatam Praefat.

tim in hanc disciplinam congestis, congrueret? Omnis igitur de linguis contentio, ad Kalendas Graecas finienda, ad Criticorum abeat subsellia. Si quid certi, aut quod vsum praestare possit, *isti* in Syllabicis digladiationibus inuenire possint, nec ego, nec alii gloriam inde partam eis inuidebimus. At si vel ipsi iudicent, omnia hic densissimis tenebris obsita esse, nae tenebrae istae minime omnium in scientia locum inuenient, quam facem ceteris praeferre, omnes fatentur.

§. VI.

Quid mihi hic obiici possit, non video: nisi quis ad viros doctos prouocare velit, qui *Historias* tamen *linguarum* conscripserint, omnibus racemationibus Criticis vacuas. Noui commentationes Virorum Celeberrimorum hac in parte, verum et, quid respondeam, in promtu habeo. Num isti prima initia, mutationes, et reliqua fata linguae cuiusdam enarrarunt? Nemo certe eorum. Num isti Historiam Alphabetariam, origines vocum, radices deperditas, huiusque commatis alia indagarunt? Non credo. Quid itaque egerunt? Linguarum incrementa et decrementa, quae in hac vel illa gente expertae sunt, rudi penicillo delinearunt, sicque adeo non linguas considerarunt, quatenus linguae sunt, et vocibus constant, sed vt scientias a gentibus excultas. Si vlterius progrediuntur, extemplo eas ad Grammaticorum castra dilabi, proque certis incertas spargere fabellas, cernas. Hac vero ratione, si quis Historiam linguarum, litterariae partem esse contendat, non litigabo, cum eamdem, quam nos, tueatur sententiam; licet et hic absque Philologica scientia nil solidi exstrui posse omni-

omnino mihi persuadeam. Nostra interea salua, immo tricis otiosorum hominum detegendis longe aptissima erit finitio, quae, remotis discussionibus Philologicis, solas scientias Historiae litterariae obiectum esse statuit.

§. VII.

At quid fiet de Historia Doctorvm? Haeccine etiam a finibus Historiae litterariae arcenda erit? Non haec mea mens est. Id volo, Historiam doctorum non distincte considerandam esse, ceu *litterariae* partem, ne vel hinc occasio suppeditetur istis, qui omne studium in Biographiis euoluendis collocarunt, et centum ore Deos eruditos tonant, Marios, Mutios, Syllasque, deliria sua splendido Historiae litterariae nomine vestiendi. Non certe coelo delapsae, nec ex Iouis cerebro, sed hominum ex ingenio prognatae sunt scientiae, et per ipsos educatae. Tam arctus proinde eruditorum et scientiarum nexus est, vt Historia scientiarum absque eruditis, qui obstetrices manus eis accommodarunt, nullo modo dextre explanari queat: Historia vero doctorum, nisi coniuncta sit cum istis eruditionis partibus, quibus hi mentem consecrarunt, incondita farrago sit, cui mens aegra crasso sub aëre natorum pretium quoddam affinxit.

§. VIII.

Omnibus itaque rite expensis, sic iudicio: Obiectvm *Historiae litterariae solae sunt scientiae, earumque fata,* quae habuerunt. Hae vero cum suos habeant auctores, fautores, propagatores, nosse plurimum interest, quinam isti fuerint, quem fatorum ordinem senserint, quo animi habitu polluerint, aliaque. Ista enim, vt ita dicam,

eam, Praecognita magna saepenumero mysteri sagacibus pandunt, vnde de ipsa eorum doctrina, eiusque caussis, veritate aut falsitate iudicium ferre possunt; hinc *Biographiae* requiruntur. At iidem eruditi plurimam partem aeternas sedes iam petierunt, suaque inuenta libris post se relictis crediderunt. Ex quo vltro sequitur, opus esse, vt, quinam foetus isti ingenii eorum sint, noscamus, quo in loco apud meliores habiti fuerint, et reliqua. Posset ex his forte triplex Historiae litterariae diuisio exsurgere, quod *nimirum* sit, *scientiarum* stricte sic dictarum, *doctorum*, et *librorum*. Verum si rem bene putaueris, posteriores duae non sunt partes Historiae litterariae, sed instrumenta tantum illius, aut, si mauis, materiam quamdam praebent, ex qua istius corpus aliqua ex parte formari possit; *licet* postmodum corporis perfecti omnino partes essentiales sint. Vt hodiernis Pansophis *via occludatur*, phaleras suas rudi populo venditandi, distinctio haec quam maxime fugienda est. *Historia doctorum* et *librorum*, in se spectatae, quantiuis sunt pretii tenuisque vsus, vt omnia *illa*, quae sola memoria reguntur. Potest quis optime in iis versatus, et tamen gnauiter indoctus esse. Neque is Historiam litterariam callere dicendus est, cuius mentem immensa moles narrationum de scriptis et scriptoribus premit. Nae is, credo, deliraret, qui sic concluderet: Bauius aut Maeuius mercaturam earum rerum exercet, quae aedibus condendis inseruiunt. Vel, Caius arte lateres coquendi valet. Ergo hi homines facultate, magnifica palatia et regales domus ex praescripto Scamozziano aptissime exstruendi

& instructi sunt? At vero pari ratione is Historiae litterariae peritus dici potest, cui immensum indicem doctorum ab Adamo usque texere, et sexcentos scriptores de quouis argumento effundere, in procliui est.

§. IX.

Magnam proinde, nostra sententia, inter *Historiam litterariam*, *librariam*, et *eruditam*, differentiam esse, maxime euidens est, vt vberius ex iis, quae, cum a generalioribus ad specialiora ventum fuerit, in medium adferemus, patebit. Fuisse et non aliam saniorum mentem, qui ad litterarum fata explicanda, animos calamosque conuertere iusserunt, omni sine negotio comprobari posset. Quam vero nostra aetate huic tenebras offuderint, immo plane eam peruerterint, quis tam rerum omnium ignarus est, vt nesciat? Proximum quoduis scriptum, quod a litteris famam mutuo accepit, consulatur, et extemplo id quod diximus adparebit. Sane si ipsis Viris clarissimis, qui in conscribendis *Introductionibus litterariis* otium consumserunt, discrimen hoc obseruare placuisset; longe alia, puto, facies istorum scriptorum futura fuisset. At dedisse eos aliquid genio seculi, cui nuces cassae saepe deliciae sunt; dedisse aliquid hominibus nugatoribus, quos pro Iunone nubes crebro delectat, existimo, cum rite positis principiis in ipso laboris tractu nimiopere a meta praefixa deflectant. Non desunt, qui oleum et operam eos perdidisse, nos scriptis hisce facile carere potuisse, fumos in istis fuisse venditos, in gratiam fratrum ignorantiae, nimis rigide decernunt. Non horum subscribo iudicio: id tamen non diffiteor, me, quae mea forsan

fari est stupiditas, non thesauros istos, quos nonnulli in quibusdam depereunt, sed saepius carbones reperisse, nec, serio licet in rem istam cogitarem, quae ratio vera, quis vsus Historiae litterariae? ex potioribus mente assequi potuisse. Neque id nego, esse quaedam ex eorum numero, quae, quo sub sidere parentes eorum nati fuerint, solummodo me docuerint, aliis vero in superficiariae eruditionis auia ruendi viam monstrarint.

§. X.

Quot enim, sodes, ex eo tempore, quo nominata ista scripta publice comparuerunt, quot, inquam, libri nauci, gerrae Siculae, chartae cacatae, quot centones ex triuio misere consuti, quot labores, magis quam insulsi, ingeniorum Arcadicorum aut Boëticorum nostram Germaniam ferme inundarunt, quorum tamen nemo non se primi ordinis Polyhistorem esse, aliosque, quos non humiles hae myricae iuuant, longo interuallo post se relinquere suauiter somniat. Vidimus, et adhuc videmus, *Crassos* et *Brutos* eo processisse dementiae, vt excluso monstro informi, cui omne rationis lumen ademtum, sese heroas istos esse, quibus cum litterae intermoriturae sint, sese hic omne punctum tulisse, proterua fronte dicant. At vel Iouem lapidem iurarem, ipsos ne quidem nosse, quaenam sit illa Helena, cui placere sic gestiunt. Nec ego hactenus satis acumen eorum capio. Si quid tamen diuinare licet, diuersum plane non tantum a nobis, sed omnibus prudentioribus sentiunt. Difficillimum est, difficiles finire nugas: at quid vetat tamen, periculum facere, quod pace tantorum virorum fiat,

num

num, quid ipsis Historia litteraria sit, si non omni aliqua saltim ex parte, tradere possimus. Sit itaque haec, licet non forte ad Scharffii aut Stierii praecepta conformata, plana tamen et perspicua finitio: HISTORIA LITTERARIA est *habitus mentis Morosophicus, memoriam doctorum, semidoctorum et indoctorum, rubraque librorum vtilium et inutilium, recentioris potissimum aeui, ex Biographis diobolaribus, aut triobolaribus, quin et ex Diariis eruditorum haustam continens, plerumque in homines, rebus grauioribus ineptos, et iudicio destitutos, cadens, vt fucum imperitioribus faciant, et specioso titulo curtam ingenii supellectilem tegant.*

§. XI.

Num acu rem tetigerim nescio: Id scio, res ita hodie comparatas esse, vt, non multum nos a vero aberrasse, et strabo et luscus facile viderit. Socratica ipsa sapientia, qua sine omnem eruditionem lumine cassam esse docent, aliquot chiliadibus nominum propriorum et Scriptorum omnis absoluitur. Si mediocris quaedam notitia fatorum, quibus docti indocti obnoxii fuerunt, ex vulgaribus βιογράφοις accedat, vah! quam non frustra is in Parnasso bicipiti somniauit? Hinc Demetrios atque Tigellos videas, quos Horatius inter discipulorum cathedras plorare iuberet, id primum curare, vt, neglectis omnibus, volumina, quibus funebria programmata, aut naenias consarcinatas habemus, euoluant. Hisce si litterariam quamdam introductionem, eruditorumque Diaria, forte et Morhofianum Po-

lyhiſtorem, iunxerint, ſe vertice Sidera ferire planeque Apollineo ſpiritu inflatos eſſe gaudent. Actum eſt, ipſorum ſi iudicio res agatur, actum eſt de ceteris, qui ſua intereſſe putant, vt ſolidioribus mentem alant, aut ſaltim ſubceſiuarum horarum iſta eſſe reputant. Id chartis impalleſcere dicunt, Adamum, Wittenium, aliosque huius farinae, in ſuccum et ſanguinem vertere. Sic elegantiis omnibus innutriti, ne ilia, quae ſapientia turgent, rumpantur, in vulgus prodeunt, mercesque venales exponunt, multo ſcilicet ſudore partas. Et quoties iſti Polyhiſtores, ſic enim vocari malunt, colloquiis eruditis ſe immiſcent, proh! quam dicaculi ſunt? Data vel leuiſſima occaſione, imprimis ſi beata ipſis memoria contigerit, linguarum frena felici auſpicio laxant, nouaque et vetera quam liberaliter e penu ſua depromunt. Hic quadrata rotundis miſceri, Salmaſios, Gruteros, Graeuios, Buchneros, Boſios, Baruffaldos, Mabillonios, Voſſios, et quos non? in ſcenam prodire audias. Ne vero ſe altum tantum ſapere videantur, iuuat et omnino ſui ſimilium meminiſſe. Hinc adſociari integras cateruas, et quid cateruas? Legiones obſcurorum virorum, quibus forſan concio quaedam funebris, aut aliud quippiam in *Diario Witteniano* aut *Praetorii Homiletica Bibliotheca* locum dedit, ſummis illis viris cernas. Quot verba, tot fere nomina. Et quo magis iſta auribus inſueta ſunt, eo maius recitatione illorum decus ſibi accedere credunt. Quid enim? Num ii non eruditiſſimi reputandi ſunt, viri grandiſoni, qui *Azpilcuetos*, *Caſtricomios*, *Galindos de S. Romano*,

Lu-

Ludouicos de Gongera et *Argoye*, *Aristizaualios*, *Valenzuelos*, *Velasquezios*, quos alii nefando quidem inaudiuerunt, ad vnguem recensere possunt. Stuper profecto indoctum vulgus, velut ad Orphei chelyn, garrulos hos auscultans, quibus tot ingeniose et eleganter dictis, si Diis placet, graue synciput est, seque in eis germanos Phoebi fratres suscipere putat. Et solent ita quidem misera haec leuis gloriae mancipia tales plerumque auditores quaerere, quibus ranam pro Diana venditare nullius artis est. Cardinalem Perronivm, vt famam sibi acquireret, mille subtilitates, de fluxu et refluxu maris, abstractis et concretis sexui sequiori narrasse ferunt. Non aliter hi nostri Polyhistores: mutatis personis eadem fabula luditur.

§. XII.

At vero, num solam nominum rationem habent? Caue, id credas. Longe alia restant, multo augustiora, multo elegantiora, quibus syrmate velut acu picto superbiant. Viros et fata eorum in genere canere, illorum tantum est, qui nondum ad sacra Eleusinia almae huius scientiae penetrarunt. Alii sunt, quos altius progressos omnium Venerum parentes dicere fas est. Habet et Historia litteraria suos *adeptos*, quos viros *adcuratos* vocare moris est. Hi maiori cum industria vitarum scriptores, *Personalia*, vt vocant, Libros in Ana, et huiusmodi, peruolutarunt. Quin et improbo labore Praefationes librorum quorumdam, Indicesque prouestigarunt, aurum saepius ex Stercore collecturi. Subnata sunt ipsis

lyhiſtorem, iunxerint … aduerſaria lit-
planeque Apollineo … haec omnis eru-
Actum eſt, ipſe … quos vel, Mae-
eſt de ceteris, … eſſent, ipſis inuide-
dioribus men … Phryx, Ebraeus,
horarum iſt … contulerunt. Vah!
ſcere dicun … opes? Quot hic immenſae
huius farin … Siue enim *Nominalia*, ſiue
Sic elega … agmina, quoties iuſſerint, eru-
ſapientia … rerumque obſeruationum ex eis,
unt, m … ſic ex equo Troiano, prodire poſſunt.
cet ſuc … eorum continuo vſu *viua Muſea* et
ſic er … Bibliothecae dici promeruerunt. Ni-
imm … quod neſciant. Nihil, cui non ob-
leui … hil fere eſt, animam quaſi inſpirare queant. Idem
mo … ſeruatis ſuis, de cedris Libani et de hyſſopo parietis
la … ipſis eſt, Sit ita, magis mutos eos eſſe quam
n … verba facere. a verbis ad res ipſas deuentum eſt.
ſ … piſces, cum ne prima quidem ipſos ſcientiarum prin-
Sit ita, … percepiſſe. Elegantioribus ſtudiis manus
cipia … Quid itaque ipſis cum ſeuerioribus
dederunt. … Relinquendae hae ſunt iis, quos
Muſis negotii? … aequus piſtrino addixit. Id demum
Iupiter minus … Hiſtoriam litterariam exacte tenere.
eſt ſapere. … Et, quam ingenioſi ſunt iſti ſummi Viri? Quot
floribus quotidianos ſermones exornant? Nil lo-
quuntur, nil chartis tradunt, niſi quod pipere et
ſeſamo litterario conſperſum. Si vel de puncto,
vel ſpatiis imaginariis, aut de corrigiis Moſis A-
myraldi ſermo inſtituatur, ſtatim omnes, qui a
Moſe hucusque hoc in argumento deſudarint,
longa, ſerie enarrant, libros, quos nunquam le-
gerint, nunquam viderint. Sufficit, apud Gesne-
rum,

...DIVM, BOLDVANVM, LIPENIVM eos oc-

§. XIII.

...ero de ipsis LITTERATIS quaeras, Historiam ...m vtramque ipsis paginam facere deprehen-...s. Quam suaues sunt, si placide hic cum iis ...gatur? Quam rigidi litigatores et omnis ἀκρι-βείας tenacissimi. Si quis forte impegerit: Quo die IVLIVS PALMARIVS ad plures abierit? Quod matri TAVBMANNI nomen fuerit: *Sybilla* aut *Vrsula?* Quo die RHODOMANNVS laurea ornatus fuerit? deque similibus subtiliter disputant. Quaeras, quaeso, ex ipsis, quae patria IOHANNIS BACHOTII fuerit? Quaeras de filia CVIACII, de filiis FRANCISCI CAMARELLII, de auia MERCVRIALIS aut CARDANI, de socero BERNHARDI ZIEGLERI, de vxore LAMP. ALARDI, absque omni haesitatione respondent, aut, vbi, memoria deficit, ope aduersariorum lites tantas componunt. Audito tantum viri cuiusdam nomine, quot ille conciones ediderit, qua forma, quo titulo, optime norunt. Innumera sunt, aliis ignota, ipsis quam notissima. Natales inde suos habent arduae, quae tanto feruore inter ipsos agitantur, controuersiae. Quid itaque mirum, eos mascule pro suis inuentis, velut pro aris et focis decertare, quibus hic maior ceteris laus debetur. Sic non de lana caprina, sed altioris indaginis rebus manus conserunt. Disputant nimirum: Num rectius scribatur BVSBEKIVS an BVSBEQVIVS? HENRICVS ERNSTIVS an vero ERNESTIVS? Num VOSSIVS, Gerhardus Iohannes, aut Iohannes Gerhardus dictus fuerit?

 Num

Num vox Ebraea KIMCHI, Synonyma ſit nominis Germanici Moeller? Num BERNH. RVTILII vitae ICtorum veterum, Lugduni Gallorum, aut Batauorum excuſae ſint? Num Iuris aut Theologiae Profeſſor TRAZIGERVS fuerit? Num a pictore vnquam SCIOPPII facies adumbrata fuerit? Piget plura referre vitilitigia. Hinc rixae, hinc iurgia, hinc contentiones, bella, Grammaticalibus multo iucundiora. Difficile eſt iſta intuenti Satyram non ſcribere. Quis enim tam patiens,

- - - - *tam ferreus, vt teneat ſe?*

cum lepidiſſimos viros de lepidiſſimis rebus modo lepidiſſimo tam cruenta inter ſe praelia committere videt. Credit, ſe quis hic acutum cernere: mox vero alter exſurgit, qui Tireſia coeciorem proclamat, monopolium nimirum adcurationis litterariae ſibi ſoli competere perſuaſus. Fur es: ait Pedio. Negat alter. Quot hinc dira vibrant fulmina? Quot ſpargunt conuicia? quot anathemata?

O literatores! ſeruum pecus! Vt mihi ſaepe
Bilem, ſaepe iocum veſtri mouere tumultus.

§. XIV.

Et ferenda eſſet iſta veſania, ferenda ieiuna iſta ſcientia, aut tacite explodenda, ſi ſibi ſoli ſaperent, nec extra muros Iliacos, certamina haec protraherentur. At bone Deus! quam difficile bile ipſis iecur tumet, ſi vel leuiſſimus error iſtis in minutiis a meritiſſimis viris committatur. Si *Henricum* pro *Iohanne*, *Danielem* pro *Dethleuo* dixeris, ſi in patria, aut natali die obſcuri hominis erraueris, ſi numerum minus re-

cte posueris, proh Deum atque hominum fidem! quantos peccatilla haec clamores cient? Proximum est, vt doctissimis viris *ἀβλεψίας*, stupiditatis, ignorantiae dica ab animalculis istis gloriae scribatur. Itane quenquam imperitum esse? Hoccine credibile est, aut memorabile, tanta vecordia innata cuiquam vt siet? Sic fremunt homines diobolares, vix curto centusse redimendi, quasi omnes Valerii Catonis diras in eos coniicere vellent, quibus tamen laboris sterili auenae *et infelici* lolio impendere non placuit. Herculem *κοπροφόρον* generoso conatu imitantes lapsus magnorum virorum magna adsiduitate Volusianis suis annalibus concredunt, vnde nobilissimum tandem opus de *lapsibus magnorum virorum litterariis*, Allatiano de lapsibus in dicendo geminum, conscribi possit. Et memini, nuperum quemdam scriptorem id dedisse consilii, vt integer de *Anabaptismo litterario* Tractatus consignaretur, vt et hoc modo commodis Doctorum subueniretur. Quid vero, si hoc non est, Aristarchi ad dignitatem adspirare?

§. XV.

Nolumus plura. Iudicent, qui possunt, num hoc illud non sit, quod plurima pars *Historiam litterariam* vocat. Nihilo tamen minus ad hanc metam plerosque studiis addictorum properare, adhuc hodie cernimus. Nolumus quidem contra saeculi gustum disputare: Decipiantur, qui decipi volunt. Suum cuique caput: suus pileus. Id nouimus, multa placuisse Ennio et Pacvvio, quae Ciceroni et Hortensio displicebant: et

paruum Iulum passibus minus aequis patrem Aeneam sequutum esse. Iuuenes parum cautos ea, quae facilitate blandiuntur, leuesque curas requirunt, sectari, nil miramur. Et quid non sectentur, cum antecedentium gregem sequi, omnes ferme sibi gloriae ducant? Quid non sectentur, cum nouus ferme indies exsurgat muscarum captator, splendidus talium ineptiarum panegyristes? Id dolemus, quae vere regno Iesv Christi et saluti publicae rei inseruire possunt, interim plane negligi, aut supine admodum coli. Sed haec *in genere de studio litterario* dicta sunto: Secuturis harum Cogitationum partibus ad magis specialia descendemus, vt, quae vera nostra mens sit hac in parte, quam clarissime constet. *

* Primum consilium suum si postea auctori sequi per alia et varia negotia licuisset, primas has cogitationes aliae sequutae fuissent. At sat dictum erat sapientibus. (M.)



DISSER-

DISSERTATIO

IN QVA SOLVITVR

HAEC QVAESTIO

NVM PHILOSOPHORVM
A VERA RELIGIONE AVERSORVM
ALIQVIS MVNDVM A DEO EX
NIHILO CREATVM ESSE
DOCVERIT?

DISSERTATIO
DE
CREATIONE MVNDI
EX NIHILO *

Argumentum.

Dogma de creatione mundi ex nihilo ab ipsis rei Christianae initiis inter Christianos viguit §. I. Tametsi aliqui ab eo abhorruerint, illi maxime, qui originem et Platonicos consectabantur §. II. Nam vero philosophi quidam in eadem fuerint sententia, qui a vera religione averri fuerunt, id contrauersum est §. III. Vtilitas huius quaestionis §. IV. Status controuersiae §. V. Bini Aristotelis loci explicantur, qui generatim ad hanc rem referuntur §. VI. Veterum philosophorum de generatione et ortu rerum sententiae explanantur et illustrantur §. VII. Empodoclis versus ad hanc rem pertinentes §. VIII. Senecae loci §. IX. Num Orpheus creationem ex nihilo probauerit? §. X. Num Hesiodus? §, XI. Num Xeniades Corinthius? §. XII. Pythagoraei quidam, qui huic dogmati fauere videntur spinosismi potius arguendi sunt §. XIII. Nec Philolaum, Pythagoraeum, illi fuisse deditam liquet §. XIV. Plato creationis ex nihilo patronus a multis inducitur §. XV. Qui ex ipso Platone facile refelluntur §. XVI. Nec quae ex Timaeo et Sophista eius referuntur, aut ex Philebo contrarium docent §. XVII. Dacierii quoque rationes ad hoc efficiendum inanes sunt §. XVIII. Platonicis materia et quae sub sensus cadunt *nihilum* dicuntur §. XIX. Num

* Ornat etiam haec Dissertatio CVDWORTHI *Systema Intellectuale*, cui inseri eam primum Auctor voluit, conf. p. 957. (M.)

Num Ariſtoteles creationi ex nihilo fauerit; itemque Stoici. §. XX. Num Aegypti? §. XXI. Num Sinenſes? §. XXII. Num Iapones? §. XXIII. Num Indi recentiores? §. XXIV. Num antiqui Brachmanes? §. XXV. Num Phoenices? §. XXVI. Num Perſae vel veteres vel recentiores? §. XXVII. Num Hetruſci? §. XXVIII. Veteres et recentiores multi ex iunioribus Platonicis quosdam creationi ex nihilo fauiſſe arbitrantur §. XXIX. Dicta quaedam eorum hac de re. §. XXX. Verum vniuerſa haec ſecta credidit mundum ex omni aeternitate exſtitiſſe §. XXXI. Igitur quicunque ex illis materiam dixerunt eſſe conditam, illi de idea tantum materiae loquuti ſunt §. XXXII.

§. I.

Inter dogmata, quae pro ſacro - ſanctis merito *Chriſtiani* habent et ab ipſo ſeruatore traditis, non poſtremum eſt illud, quod ortum totius rerum uniuerſitatis ad ſupremum numen vnice referre, mundumque hunc infinita Dei potentia, quum nihil olim exſiſteret, conditum et factum eſſe tradit. Viguit praeceptum hoc in ipſo ſtatim Chriſtianae ciuitatis exordio, nec in coetum ſanctiorem receptus tum fuit aliquis, niſi qui publice profiteretur, Deum vnicum rerum omnium, et ipſius etiam materiae ex qua conſtant omnia, parentem et conditorem eſſe: quod quidem vnum, ſi vel ſacrae litterae de eo tacerent aequis et conſiderantis viris argumento foret, ab ipſo CHRISTO, eiusque legatis illud profectum eſſe. HERMAS ille, neſcio quis, antiquiſſimus e Chriſtianis ſcriptor, quem

[1] *In paſtore Lib. II: Mandat.* I. p. 85. Tom. I. Patr. Apoſt. COTELERII. conf. Lib. I. *viſ.* I. p. 75.

quem saeculo primo rerum Christianarum vixisse constat, principe fere loco inter Christianae religionis capita, quae suscipi vult ab omnibus, hoc ipsum collocat. Πρωτον παντων, inquit,[1] πιστευσον, οτι εις εστιν ο θεος ο τα παντα κτισας και ποιησας εκ μη οντος εις το ειναι. *Primum omnium crede, qui vnus est Deus, qui omnia creauit et consummauit, et ex nihilo omnia fecit.* Et hanc docendi formam constantissime seruarunt deinceps, qui coetibus Christianorum docendo praefuerunt, si a paucis quibusdam discesseris, qui humani subtilitates ingenii simplicitati Christianae doctrinae praetulerunt: id quod, si res et institutam id posceret, infinitis eorum locis demonstrare liceret. Longae exstant praeterea et ingeniosae plerorumque veterum doctorum disputationes aduersus eos, qui materiam rerum, non secus ac ipsum Deum, ex infinito tempore exstitisse, tradebant: [2] ex quibus quidnam de creatione rerum senserint, manifestam est. Quocirca qui nostra et patrum nostrorum memoria tam fuerunt audaces, vt hanc sententiam non ante scholasticorum tempora natam, et antiquioribus Christianis incognitam fuisse statuerunt, id quod fecisse aliquos certum est, [3] non tam refellendi sunt, quam admonendi, vt ignorantiae suae consulant, nec antea decernant aliquid,

[2] Lege, quae collecta sunt ex variis scriptoribus ab EVSEBIO *praepar. Euangelicae Lib.* VII. *Cap.* XIX. s. p. 333. s.

[3] IAC. WINDETVS, eruditus Anglorum medicus, Libro *de vita functorum statu sect.* II. p. 48. Cerebrosius tamen a ... - - operae putauit (*Manuductionis suae* p. 19.) Scholasticos insimulare, quasi illi principes creationem ex nihilo ex male accepta significatione vocis ברא confinxissent. Conf. THOM. BVRNETI *Archaeolog. Philos. Lib.* II. *Cap.* IX. p. 453.

aliquid, quam maiorem ſibi veterum rerum e dogmatum ſcientiam collegerint.

§. II.

Ante Chriſtianos quin *Iudaei* doctrinam eamdem de ortu rerum omnium tenuerint, et ab ipſo Mose acceperint traditam, nullum omnino dubium eſt. Nullus quidem coetus tam purus et ſanctus eſt, quin membra eius quaedam interdum a ſanitate deficiant: nec idcirco tam inter *Iudaeos*, quam veteres *Chriſtianos* exſtitiſſe olim aliquos negem, qui, communi et publica totius gentis opinione reiecta, ſibi ſapere et de rerum originibus ingenii ſui dictata, quam diuina oracula ſequi maluerunt. Sed ex paucorum exemplis et rationibus totius multitudinis aut plurimorum ſaltim opinionem metiri, nunquam hominis fuit ſapientis et ingenui. Auctor eſt Procopius Gazaeus non ignobilis ſacrorum librorum ſaeculo ſexto interpres, exſtitiſſe, qui dicerent aetate ſua, Mosen ab Aegyptiis edoctum tradidiſſe, mundum a Deo ex materia quadam conditum eſſe aeternā, eaque de cauſſa in Graeca verſione *capitis primi geneſeos* vocabulum εποιησε, *fecit*, adhibitum eſſe, quod de rebus etiam vſurpari ſoleat, quae ex materia quadam conficiuntur. [4] Placet ipſa eius Graeca verba, quae non ita pridem a Stephano Sovcieto, ieſuita doctiſſimo, in lucem protracta ſunt, [5] deſcribere et in latinum ſermonem vertere:

[4] *Comment. in Geneſin* p. 2. ed. latinae a Conr. Clausero *Tiguri* 1555. *fol.* curatae. Graece nondum prodiit hic commentarius.

[5] In *obſeruationibus* ad librum poſthumum Rich. Simonii. *Pariſ.* 1730. quatuor volum. in 8. editum: *Critique de la Biblio-*

re: nam CLAVSERI, quae adhuc exſtant, *commentarii in Geneſin* PROCOPII verſio cum obſcurior eſt, tum verbis Graecis non ſatis congruit: Το γαρ εποιησεν, επειδη λεγεται, και επι των εκ τινος γινομενων, οιον οτι εκ σιδηρε δρεπανον· η τι τοιετον ο τεχνιτης εποιησε, δεδωκε τισι λαβην τε λεγειν, ως Μωυσης εξ Αιγυπτιων μαθων, εξ υλης πρoϋκειμενης γεγονεναι το παν, εικοτος ειπεν εποιησεν. Ων αγνοεντες την συκοφαντιαν οι ερμηνευσαντες, εποιησεν ειπαν. *Quum vocabulum* εποιησε *de illis etiam rebus adhibeatur, quae ex materia quadam fiunt, de falce, verbi cauſſa, quae paratur ex ferro, et de aliis rebus eius generis, quae conficiuntur ab artificibus nata hinc eſt nonnullis occaſio dicendi,* MOSEN, *quum ab Aegyptiis edoctus* eſſet, *accommodate ad hanc ſententiam verbum* εποιησε *vſurpaſſe: Quorum hominum fallaciam quum neſcirent Graeci interpretes Moſis, verbum ebraeum verterunt:* εποιησεν. Ergo erant id aetatis inter Chriſtianos, qui creationem rerum omnium ex nihilo non modo repudiabant, verum etiam MOSEN ipſam in partes ſuas pertrahere, ſtudebant. Suſpicor diſcipulos et ſectatores ORIGENIS potiſſimum hic argui. Nam ORIGENES, quum Platonicorum iuniorum ſeſe capi paſſus eſſet commentis, mundi etiam cum his aeternitatem adſeruit, Deumque materiam numquam non ex infinito tempore ex ſemetipſo produxiſſe,

Bibliotheque des Auteurs Eccleſiaſtiques de Mr. du Pin, *Tom.* I. p. 690. Profeſſus eſt ipſe SOVCIETVS, ſe harum obſeruationum auctorem eſſe tametſi nomen eius in fronte libri non exſtet. Quare falluntur qui TOORNEMINIO eas adſcribunt, erudito ex eadem familia viro et rerum veterum peritiſſimo.

duxisse, adseuerauit, quod ex METHODIO[6] liquet, aliisque locis a PETR. DAN. HVETIO iam commemoratis: [7] quo dogmate prorsus creationem ex nihilo sustulit. Diffidebat ille quidem nonnihil ab HERMOGENE, MARCIANE et reliquis, qui materiam aeque esse, atque Deum, aeternam, neque vllo modo supremo Numini subiectam, statuebant: quos numquam antistitum Christianorum vigilantia in veris Christianis numerari siuit, sed scriptis, factisque ciuitate sacra proscripsit: at hoc tamen in illis probabat, quod res omnes creatas a Deo esse, quum nihil exstitisset antea, negarent, tametsi materiam, vnde facta sunt omnia ex Deo ab aeterno pependisse, diceret. Ab ORIGENE, cuius incredibilis fuit inter Christianos tertii et quarti saeculi autoritas, et Philosophis Platonicis, quibus nulli meliores ista aetate putabantur, perniciora haec sententia ad multos manauit alios, et eorum etiam tam Graecos inter, quam Latinos, infecit animos, qui purioris ceteroquin doctrinae statores et vindices putabantur. Vnum ex multis testem dabo, magnum profecto virum et sanctis post obitum adscriptum, BOETHIVM, qui ex mente prorsus Platonicorum de mundo praecipit, eumque aeternum quidem esse negat, at perpetuo tamen fuisse tradit: *Itaque*, inquit, [8] *si digna rebus nomina vltimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem aeternum, mundum vero dicamus esse perpetuum.* Itaque inter illos etiam Christianos, qui grauiorum erro-

[6] Libro περι των γενητων apud PHOTIVM *Bibliothecae codicae* CCXXXV. p. 934.
[7] In Origenianis Lib. II. *Quaest.* XII. §. IV. p. 165.
[8] *De consolatione Philosophiae Lib. V.* p. 138. 139.

eorum in doctrina haud alioquin postulati fuerunt, aliqui exstiterunt, qui nihil sibi rei voluerunt esse cum veteri de rerum originibus doctrina: Sed hoc tamen non impedit, quo minus publicum hoc et commune Christianorum dogma primis fuisse saeculis constituamus, diuinam potentiam effecisse, vt quae nusquam erant antea, esse ac existere inciperent, quam hic orbis conderetur. Sileo nunc de alio quodam Christianorum genere, in quo eximii quidem viri etiam fuerunt, quod inter Platonicos et Christianos sese veluti interiecit, et hunc quidem, quem cernimus, mundum a Deo ex nihilo factum esse concessit, at simul alium multo meliorem mundum, qui sub adspectum haud cadat, ex aeternitate vna cum Deo fuisse existimauit: [9] cuius sententiae partem quamdam ii deinceps adsciuerunt, qui *Palamitae* seculo decimo quarto inter Graecos vocati sunt, et recentiores quidam in coetu Romani *Pontificis* Theologi.

§. III.

Num vero praeter Iudaeos et Christianos, qui a sacris hac de re litteris eruditi fuerunt, Philosophorum aliqui, qui vel ignorarunt veram religionem, vel contemserunt, eo contemplando sola ratione duce peruenerint, vt mundum totum, nec formam tantum eius, sed etiam materiam a Deo perfectam esse, constituerent, inter viros doctos haud conuenit. Plurimi quidem censent, omnem philosophorum turbam Graecos, Barbaros, Latinos, quotquot luce diuina haud

[9] Lege Basilivm Magnvm *Comm. in Hexaemeron Homil.* I. §. 5. p. 5. *Tom.* I. *opp.*

haud fuerunt collustrati, aut ipsum mundum p
aeterno habuisse aut mundi saltim materiam in
tio priuasse, eamque putasse aut lege quadam
motu naturali formam, quam nunc habet, acc
pisse, aut ab ipso Deo digestam et descripta
fuisse. PETR. GASSENDVS: *omnes*, inquit,[10] *phil
sophi in id consentiunt, vt materia praefuerit, e
qua procreatus sit mundus, quod nihil ex nihi
fiat, cum fides tamen sacra declaret, fuisse mun
dum ex nihilo nullaue materia creatum.* Hui
multi, grauesque et eruditi viri plane consen
tiunt, quos inter, ne longus sim, vnum suffici
nominasse IACOB. THOMASIVM, in quo eximian
fuisse notum est dogmatum et opinionum vete
rum cognitionem.[11] His longius etiam THOMA
BVRNETVS progressus est, qui ne Iudaeos quiden
arbitratur credidisse, mundum ex nihilo esse con
ditum, et negat Christiana religione antiquiu
hoc esse dogma.[12] *Notandum est*, inquit, *credi
disse antiquos ex nihilo nihil fieri et quidquid es
substantiae, aliquo modo semper exstitisse semper
que exstiturum. Doctrinam enim de eductione re
rum ex nihilo et reductione in nihilum, philosophi
ignotam primum inuexisse videtur Theologia Chri
stiana.* Et interiectis nonnullis: *Creatio et Anni
hilatio hodierno sensu, sunt voces factitiae: nequ
enim occurrit apud Hebraeos, Graecos aut Latin*
co

[10] *Physices Sect.* I. *Lib.* I. *Cap.* VI. p. 163. Tom. I. opp. con
fer eundem *Lib.* VII. *Cap.* VI. p. 481. p. 484. f.

[11] *Schediasmate Philosophico* §. 37. p. 54. 55.

[12] *Archaeolog. Philos. Lib.* I. *Cap.* VII. p. 326. Adde *Lib.* II
Cap. IX. p. 453. FRANC. BALTVS *defense des Peres ac
cusés de Platonisme. Livr.* III. p. 325. *Ni Platon ni les au
tres philosophes payens n' ont point connu de creation pr
prement dite.*

rae ulla singularis, quae vim istam olim habuerit. His autem vehementer resistunt alii nec eruditione nec ingenio minores; qui tametsi haud negent plerisque veterum philosophorum creationem ex nihilo ignotam fuisse, aliquos tamen putant ex illis, excellentiori ceteris ingenio praeditos, meditando ad hanc sententiam delatos fuisse, alios a maioribus ita institutos fuisse, vt eamdem, quam Christiani, opinionem de rerum originibus fouerent? Huic generi duces sese iam dudum praebuerunt ex antiquis Christianorum doctoribus aliqui, quos nouimus studiose cauisse, ne Philosophorum et Christianorum praecepta nimis inter se distare viderentur: De quorum numero CLEMENS ALEXANDRINVS non modo PLATONEM et ORPHEVM, verum ipsos etiam stoicos perhibet mundum duxisse ex nihilo factum esse.[13] Maiori autem virtute et eruditionis copia recentiores quidam negotium hoc aggressi sunt, qui post instauratas vixerunt litteras: quod vt facerent, hoc eos potissimum adduxit, quod Christianorum religionem pulcriorem nunnullis visum iri sperarent, si cognoscerent, difficillima eius dogmata illis dudum placuisse, quibus nullum aliud lumen, quam ratio, affulsisset. AVGVSTINVS STEVCHVS Eugubinus antistes, *toto Libro septimo* operis notissimi *de perenni Philosophia* id vnum agit, vt ostendat omnes philosophos, qui aliquo inter Graecos et Barbaros loco et numero fuerunt, fassos esse, Deum mundi huius conditorem et opificem esse. Sed hic minus, quam res flagitat, luculentus est, nec euidenter satis declarat, vtrum hoc tantum sibi voluerit, Philosophos istos

I 2 mundi

[13] *Stromatum Lib.* V. *Cap.* XIV. p. 701. et p. 724. Conf. EVSEBIVS *Demonstrat. Euangel. Lib.* III. *Cap.* III. p. 106.

mundi aeternitatem inficiatos esse, an vero eosdem quoque censuerit statuisse, ipsam eius materiam a Deo ex nihilo factam esse. Coepisse mundum aliquando, nec semper fuisse, immo diuina ratione compositum et constructum esse, nullum est dubium, quin summi et praestantissimi veterum sapientum censuerint: valde vero dubium est, an aliqui ne mundi quidem materiam exstitisse dixerint, antequam Deus eam immensa potentia sua produceret. Affert STEVCHVS passim nonnulla ex quibus non sine ratione conficias, fauisse eum illis, qui materiam mundi ex ipsa diuina natura fluxisse arbitrantur: Et notum est praeterea, visum fuisse homini ex aeterno lucem quamdam diuinam, nec creatam, exstitisse, et ex ipso Deo manasse: quam eius sententiam acerbe DION. PETAVIVS[14] castigat. Hinc ne ipse quidem sic, vti fas est, de ortu rerum sensisse et creationem mundi ex nihilo certa ratione sustulisse videtur: ex quo cur tam obscure ex conturbate de hoc negotio disseruerit, apertum est. Moneo haec eorum caussa, qui STEVCHVM copiosissime omnium ostendisse tradunt, de rerum originibus inter antiquos philosophos et Christianos nullam dissensionem esse: quod qui absolute accipit, is sine dubio fallitur. Non multo apertius et dilucidius in hoc argumento versati sunt alii nonnulli, qui post STEVCHVM scripserunt. HVGO GROTIVS[15] afficere studet, Phoenices, Indos, Aegyptios et Graecos, de origine mundi haud

[14] *Dogmat. Theolog. Tom.* I. *Lib.* III. *de Deo et propriet. Dei Cap.* V. §. III. p. 144. C.
[15] *Not.* ad Libr. *de veritate relig. Christian. Lib. I.* §. XVI p. 29.

haud aliter sensisse, atque Moses sensit: at dubium relinquit lectoribus, quam late hoc patere voluerit, nec clare significat, an vel ab ipso Mose putet creationem ex nihilo esse traditam. Petr. Dan. Hvetivs in *Quaestionibus de concordia rationis et fidei quas Alnetanas* inscripsit, singulari capite[16] demonstrandum sibi sumsit, laudatissimos philosophos de initiis huius vniuersitatis eadem sensisse, quae veteres Ebraeos et Christianos. Ac sub ipsum quidem disputationis exordium tres fere commemorat de mundo sententias, quas inter primo loco eorum opinionem collocat, qui ex nihilo censent cuncta esse a Deo creata: verum huius distributionis prorsus deinceps obliuiscitur, nec designat, quosnam ex philosophis, quorum sententias recitat, primo illo genere comprehendi velit, vno tamen excepto Platone, quem disertim contendit mundi totius molitionem ad vnum Deum retulisse. In Tobia Pfannero, alio huius generis scriptore, idem fere desideres. Monet is[17] philosophorum plurimos, tametsi Deum mundi huius fabricatorem dixerint, aeternam tamen ei adiunxisse materiam: quod dum facit, aliquos eorum simul indicat melius sensisse ceteris et materiae quoque originem adscripsisse. Quod si vero quaeras, quinam illi fuerint ex illis quos longo recenset ordine, quibus vera placuerit sententia, responsionem ab ipso frustra exspectaueris. Sed nec tamen alii desunt, qui minus hac in re explicandae ambiguitati student, et nominatim eos enumerant, quos putant materiae non minus, quam

 for-

[16] Lib. II. Cap. V. p. 109.

[17] *Systemate Theologiae gentilis purior.* Cap. V. §. III. f. p. 156.

formae huius vniuersi principium dedisse. Nam vt eos praetermittam, quorum in sequentibus aliquos indicabo, qui vnum vel alterum philosophorum confirmant sententiae huic fuisse deditum, LIVIVS GALANTES, philosophiae vtriusque in foro Cornelii professor, probare instituit Platonicorum non mediocrem partem nihilo deterius atque Christianos, de mundi natalibus docuisse.[18] Cum hoc facit RADVLPHVS CVDWORTHVS, qui nobis haec scribendi occasionem dedit, vtpote cui passim iuniores Platonici cum aliis in rebus, tum hac maxime, haud multam infra Christianos putantur esse positi.[19] Alii maius etiam aliquid postulant, nec Platonicos tantum, verum omnes fere philosophos, tam Graecos quam Barbaros, in quibus nominis et dignitatis nonnihil fuit, in societatem dogmatis huius pertrahere cupiunt. EDMVNDVS DICKINSONVS, Anglus, veteres omnes ante ARISTOTELEM physicos, Phoenices item Aegyptios, quin etiam HESIODVM autumas materiae opificem et conditorem, supremum numen, praefecisse.[20] Ex nostri coetus Theologis ADAMVS TRIBBECHOVIVS[21] cunctos veterum sapientes, si a paucis quibusdam discesseris, arbi-

[18] *In comparatione Christianae Theologiae cum Platonica*, Lib. IX. p. 236. Bonon. 1627. fol.

[19] Vid. *Systema. Intellect. Vniuers.* Cap. V. sect. II. p. 752. f.

[20] *Physicae veteris et verae* Cap. XII. quod est *de creatione materiae* p. 195. 198.

[21] *In diss.* quam inscripsit: *veritas creationis mundi, prout a* MOSE *descripta est, ostensa in traditionibus gentium ac vetustissimis antiquitatis profanae monumentis* Kiliae 1668. edita, quam THOM. CRENIVS in lucem reuocauit et in *fasciculo Dissert. Histor. Critic. Philologicar.* Roterod. 1691. 8 edidit, Cap. II. p. 276. et alias.

arbitratur nihil de ortu materiae dubitasse. Attulit etiam ad hanc opinionem confirmandam nonnulla Io. ALB. FABRICIVS[22] qui noua quaedam testimonia veterum laudauit, ab aliis praeterita. Novissime viri doctissimi, qui *historiam vniuersalem* magnae molis opus condendum inter Anglos susceperunt: in eius *Prolegomenis* Gallice superiori anno versis, non modo Graecorum philosophorum nobiliores quosdam, sed etiam Hetruscos, Magos, Indos, Iapones, Sinas et alios aut parum aut nihil patuunt a Christiana veritate hoc in dogmate remotos esse.[23] Plures, quos eadem delectat opinio enumerare, necesse non est, quum hi reliquos omnes facile tam auctoritate, quam eruditionis copia et testimoniorum multitudine superent.

§. IV.

Haec magnorum et eximiorum virorum discordia commouit me, vt constituerem, aliquid laboris et diligentiae in hac quaestione enodanda consumere: quod quidem praesenti *Dissertatione* faciam. Neque nullius momenti est, scire, vtri parti veritas magis faueat. Nam cum semper vtile est perspectum habere, quousque illi peruenerint in veri cognitione, quibus lumen coeleste non adfuit, tum necessarium hodie intellectu est, quantum fidei habere decreat illis, qui conuenientiam Christianae religionis et philosophiae semper in ore ferunt: quos quidem multi, quibus omnis exosa est religio, imperitiae rerum ve-

[22] *Biblioth. Graec.* Lib. II. Cap. XII. §. VII. p. 464.
[23] *Introduction à l' Histoire universelle contenant les sentimens des philosophes anciens et modernes sur l'origine et la creation du monde.* Haye 1731. in 8. p. 139. seq.

terum et piarum fallaciarum accusare non desinunt, alii nocere potius, quam prodesse rebus Christianis existimant. Omitto commoda, quae ex his disquisitionibus eiusmodi capere illi possunt, quorum interest vel Historiae philosophicae, vel sanctioris recessus scrutari, veramque naturam cognoscere dogmatum et opinionum, quae tam veterum scholarum philosophicarum conditores, quam coetuum Christianorum antistites discipulis suis tradiderunt. Ordine igitur eos perlustrabo, quibus id honori a viris doctissimis datum est, quod de rerum ortu haud aliter, quam Seruatoris nostri discipuli senserunt et ingenue exquiram, num ista laude digni sint. Primum *Graecos* prodire iubebo philosophos in quos hanc gloriam cadere eruditi homines voluerunt, a quibus *Latini* deinceps disciplinam acceperunt. Ab his ad gentes progrediar, quas *barbaras* appellare cum Graecis et Romanis solemus: Extremum locum *iuniores* occupabunt *Platonici*, qui nouam ex singularem plane sectam condiderunt, cuius rationes alio loco exposui, et pluribus, quam ceteri, patronis utuntur et defensoribus: ob quas caussas sigillatim et accuratius de illis dicendum esse, arbitror.

§. V.

Ante vero quam rem ipsam aggrediar, constituendum mihi diligenter esse video, quidnam in quaestionem et disceptationem proprie veniat, ne aut rerum imperitis aut rixarum cupidis aditus aliquis ad hanc caussam pateat. Non hic quaeritur: vtrum philosophorum aut aliorum hominum aliquis qui ratione quidem valuerunt et ingenio at diuinae patefactionis lumine caruerunt, eo vs-

que

que contemplando enisus sit, vt statueret, Deum orbis huius, siue formam spectes, siue materiam, vnum fabricatorem esse? aut: num dogma de creatione rerum omnium e nihilo ex illis sit, quae ratione sibi relicta possunt inuestigari? Persuasum mihi est, tantum esse virtutis in animis hominum praesertim eorum, quibus diuino beneficio perspicere ratum est, quid rem quamque consequatur, quidue ei vicissim repugnet, vt etiam sine patefactione diuina cognoscere ac intelligere valeant, eos, qui aeternam Deo materiam adiungunt ex eaque hunc orbem ab eo comparatum esse putant, difficultatibus semet ipsos implicare indissolubilibus et ad scita deduci valde absurda et a sana ratione auersa, eaque de caussa decernant, fieri nullo modo posse, quin mundus hic a Deo ab omni parte procreatus sit, tametsi ingenii sui viribus explicare nequeant, quemadmodum hoc factum sit. Et hanc mecum tenent sententiam illi, quos nemo vel imperitiae vel stuporis, vel nimii erga rem Christianam studii postulauerit. Memini Benedictvm Pererivm Iesuitam pereruditum, cuius hodie scripta neglecta iacent, quamuis nec eruditione careant, nec ingenii et orationis copia, octo argumenta referre, ex quibus ratio, suis vnice viribus fulta, cognoscere possit in doctrina de creatione ex nihilo esse nihil, quod magnopere hominem sapientem offendere queat.[1] Et in his quaedam tales sunt, vt non possint non mentem hominis commouere, cui veritas curae est. Petr. Baylivs grauissimis ostendere rationibus tentat, neminem, nisi

 qui

[1] De *communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus* Lib. V. cap. VII. p. 291.

qui sententias amplecti velit extra modum absurdas, dubitare posse, quin ipsa etiam rerum materia profecta sit a Deo. [2] Eximii duo viri, quibus nihil maius est inter philosophos aetatis nostrae, Io. Lockivs et Isaacvs Newtonvs non modo negant, creationem mundi rationi purgatae aduersari, sed etiam fieri posse contendunt, vt modum eius comprehendamus aliqua ratione, si vulgarium sententiarum vinculis nos expedire conemur. [3] Quod tametsi forte paullo dictum sit confidentius, tamen quum ab illis traditum sit, quos nemo facile recuset arbitros, quum de rebus quaeritur arduis et sublimioribus, nonnihil facit ad eos iuuandos, qui mentis nostrae tenebras obsistere negant, ne ad vnum totius vniuersitatis parentem et conditorem pergamus. Et quis nescit, plerosque eorum, qui religionis et Dei contemptores scriptis libris profligarunt, magnis eos argumentis inscitiae et tarditatis conuicisse, qui aut mundum aut mundi saltim materiam numquam coepisse arbitrantur? Noui, nihil intentatum ab illis esse relictum, qui Deo male volunt et religionem exstinguere nituntur, quo vix magis aliquid a ratione abhorrere docerent, quam id, quod Christiani de rerum initiis et originibus praecipiunt: quos inter omnes Bovlainvillierivs primas facile et audacia et subtilitate tenet.

[2] *Dictionaire Histor. et Critique* Tom. III. voce *Ouidius* Not. C. p. 2140.

[3] Vid. Io. Lockivs de *intellectu humano* Lib. IV. Cap. X. §. 18. p. 566. et ad h. l. *obseruationes* Clar. viri Petri Corte in editione nupera versionis gallicae, Amsterd. 1729. 4.

tenet. [4] Verum hi, quidquid demum molian-tur, nihil vmquam efficient praeter id, quod ne-mo sapiens infitiatur, angustius esse mortalium ingenium, quam vt rem tam magnam capere ac complecti queat, nulla vero arte docebunt, quod docere tamen oportet eos, si vincere velint pu-gnare eum secum ipso, qui sciscit naturam ne-cessario et per se exsistentem ex nihilo fingere a-liquid posse. [5] Quae quum ita sese habeant, fa-cile concesserim, non vnum forte, sed plures o-lim exstitisse, nobis hodie ignotos, qui supra vulgus eo vsque sese ratiocinando extulerint, vt Deo faterentur mundum comparanti nullam praesto fuisse materiam: quod si negarem, hoc vna statuerem, quod incredibile est, neminem antiquorum quum de rerum omnium principio cogitaret, recte ratione sua vsum esse. De illis ergo tantum philosophorum sectis et philosophis, certamen hoc instituitur, quorum aut libri, aut placita ad nos delata sunt, nec quid hi sentire potuissent exquiritur, si rationi voluissent obedi-re, sed quid reapse senserint et suos sentire iusse-rint. Vt paucis verbis rem totam complectar hoc vnum expediendum mihi sumo: *Vtrum ex antiquioribus populis et philosophis, quorum vel praecepta et dogmata in litteras relata sunt, vel monumenta exstant, tam sobrii et sani fuerint ali-qui, vt decernerent,* Deum non modo formam in

[4] *Refutation du Systeme de Spinoza*, vt inscribitur pestife-rus liber qui inscribi debuisset: *Explication et defense des Sentimens de Spinoza* p. 68.

[5] Lectu non indigna sunt, quae hac de re disputat ISAA-CVS OROBIO, eruditus Iudaeus, in *certamine philoso-phico propugnatae veritatis diuinae et naturalis aduersus Ioh. Bredenburg* p. 400. et 463.

in materiam huius mundi induxisse, sed ipsam quoque materiam, *quum nulla esset antea, interminato potentia sua finxisse ac* procreasse?

§. VI.

Qui fuisse philosophos eiusmodi, non dubitant, illi primum nonnullos veterum testantur locos, ex quibus hoc generatim intelligi, putant. Bini ex ARISTOTELE sumuntur, vnus EMPEDOCLIS est, postremus SENECAE. ARISTOTELES scriptum reliquit, omnes ante se philosophos affirmasse coelum genitum siue factum esse.[1] *Γενομενον μὲν οὖν ἅπαντες εἶναί φασιν.* Haec eius verba DICKINSONVS et quidam alii sic interpretantur ac si traderet in illis ARISTOTELES, omnes antiquos Sapientiae professores censuisse, mundum ex nihilo factum esse. Sed quis non videt, plura sibi hos sumere, quam concedi potest? Nam qui factum aliquid et procreatum esse dicit isne simul affirmare putandus est, exstitisse nihil, ex quo res illa genita et facta sit? Initium certe et ortum mundo plerique tribuebant veterum, nec minus tamen constanter iidem defendebant, materiam ab aeterno exstitisse. Accedit, quod hanc prorsus conterit expositionem, aliis ARISTOTELEM locis, quos paullo post afferam, adseuerare, physicos omnes negare, ex nihilo fieri posse aliquid. Alter locus ARISTOTELIS plus habet speciei, nec leuiter eos conturbare potest, qui ex nostris dicendi formis veterum loquendi modos aestimant. Disputat in XENOPHANEM Peripateticorum princeps, qui ex nihilo nihil fieri posse praeceperat, idque scitum nec absolute verum esse, nec ab omnibus probari philosophis, demonstrare vult:

[1] Lib. I. de *coelo* Cap. X. p. 632. Tom. I. opp.

nihil: parum quidem id facit ingenue: nam verborum notiones, quod Sophistae solent, mutat, ut aduersarium obruat; sed hoc nunc omittimus. Videamus tantum, quemadmodum doceat, fuisse aliquos, qui ex nihilo fieri posse quaedam dicerent. [2] *Λεγουσι τε, και σφοδρα υπερ αυτων γιγνεσθαι τε τα μη οντα και μη γεγονεναι πολλα εκ μη οντων και ουχ' οτι οι τυγχανοντες, αλλα και των δοξαντων ειναι σοφων τινες ειρηκασιν. Nam ab ipsis his saepe dicitur, et fieri ea quae non sunt et non multa facta esse ex iis, quae non sunt, atque non haec e vulgo quilibet, sed ex iis nonnulli asseruerunt, qui sapientes etiam habiti sunt.* His locum subiicit ex Hesiodo: postea vero ad aliam sectam digreditur: *πολλοι δε και ετεροι ειναι μεν ουδεν φασι γινεσθαι δε παντα. λεγοντες εξ ουκ οντων γινεσθαι τα γινομενα. ωστε τουτο μεν δηλον οτι εν οις γε δοκει και εξ ουκ οντων αν γινεσθαι. Multi praeterea alii esse nihil, sed fieri omnia, asserunt: ex iis, quae non sunt, omnia quae fiunt exsistere affirmantes: ut perspicuum iam fit, nonnullis videri, etiam ex iis, quae non sunt, gigni omnia quae fiunt.* Duplicem liquet hic commemorari ab Aristotele sectam philosophorum statuentium, ex nihilo fieri posse aliquid: num quis igitur dubitare poterit amplius, fuisse in antiquis sapientibus, quibus hoc dogma probatum fuerit? Equidem adhuc dubito, speroque, me effecturum esse, ut omnes, intelligant, hunc Stagiritae locum non illum esse, qui omnem hac de re dubitationem extrahere funditus ex animis valeat. Primum Aristotelem ipsum mihi ad-

[2] Libro de *Xenophane*, *Zenone* et *Georgia* Cap. I. p. 836. Tom. II. opp.

adesse volo, qui multis aliis in locis totam physicorum turbam nihil antiquius et prius habere memorat hoc praecepto: *Ex nihilo nihil fit*. Est, vbi dicit, eos, qui primi ad philosophiam sese contulerint, nihil magis esse veritos, quam ne admitterent aliquid, huic dogmati contrarium:[3] ὃ μάλιστα φοβούμενοι διετέλεσαν οἱ πρῶτοι φιλοσοφήσαντες, τὸ ἐκ μηδενὸς γίνεσθαι προϋπάρχοντος. Alio loco communem opinionem κοινὴν δόξαν τῶν φυσικῶν esse, ait hanc, quam diximus, sententiam.[4] Et plura passim eius generis enuntiata in Aristotelis libris occurrunt, quae necesse non est, vt huc transferantur. Vere dixisse haec Aristotelem, ex ipsis cognoscitur physicorum ex philosophorum scitis, quae ab eo enarrantur, et in aliis veterum libris exponuntur. Quomodo igitur a semetipso desciscere et hoc in loco quem tractamus, statuere potuisset, non postremam philosophorum partem duxisse, multa esse ex nihilo procreata? sed facile video, vix expugnatum iri hac obseruatione eorum studium, qui philosophos veteres non nimis dissensisse volunt a religionis Christianae praeceptis. Itaque ad ipsum propius hunc locum accedam et longe secus eum ostendam, intelligendum esse, quam videtur illis, qui recentiores notiones antiquorum vocabulis subiiciunt. Principio animaduerti velim de creatione et ortu rerum omnium non agere in eo Aristotelem, sed de generatione rerum, quam cernimus quotidie in hoc orbe: ex quo constat, si vel ita essent accipienda haec verba, quem-

3 Libro I. de *generat.* et *corrupt.* Cap. III. p. 705. Tom. I. opp.

4 *Natural. Auscult.* Lib. I. Cap. V. p. 450.

quemadmodum viris eruditis placet, parum tamen auxilii illis inde exſpectandum eſſe, qui creationem vniuerſitatis ex nihilo diuina potentia, in veterum philoſophorum praeceptis quaerunt: Quamuis enim is, qui putat, ex nihilo fieri aliquid, quum aut animal, aut arbor, aut alia natura gignitur et procreatur, ab illis abhorrere nequeat penitus, ſi ſibimet ipſi repugnari nolit, qui Deum aliquando ex nihilo credunt effeciſſe omnia: intereſt tamen haud parum inter vtrosque. *Ipſa* deinde pugno ARISTOTELIS verba obſiſtere illis, qui philoſophos in illis commemoratos tam perſpicaces fuiſſe volunt, vt de rerum originibus idem ſentirent, quod Chriſtiani ſentiunt. Duplex genus philoſophorum, id quod apertum eſt, ab ARISTOTELE introducitur: quorum prius ait ſtatuere: *τα μη οντα γιγνεϑαι*, *ea quae non ſunt fieri*. Sume hic vocabulum *μη οντα* eo ſenſu, vt idem ſignificet, quod *nihilum* et *nullum* dicitur: et ſententiam habebis perabſurdam et ineptiſſimam. Dixiſſent enim hi philoſophi, id, quod *nihil eſt* et *nullum*, factum eſſe, ſeu, quod idem eſt, *id quod non eſt, nec eſſe poteſt*, eſſe tamen et exſiſtere coepiſſe: quod tam puerile et a ratione remotum eſt, vt ſano nemini in mentem venire queat. Quare, niſi deliros et emotae mentis fuiſſe velimus philoſophos, quos magnis honeſtat laudibus ARISTOTELES, vel hinc concludere nos oportet, vocabulum *τα μη οντα* longe aliam apud eos vim habuiſſe, quam *nihilum* habet. Alterum philoſophorum genus refert Stagirita tradere, *nihil eſſe, ſed omnia fieri*, quod vt explanet, addit, placere illis, *εκ των μη οντων*, *ex rebus, quae non ſunt, fieri et gigni omnia*. His in rebus ſi *τα μη*

οντα,

οντα, idem essent, quod *nihilum* praecepissent h
magistri, quae hodie gignuntur et procreantu
omnia ex nulla fieri materia, sed absolute fingi et
produci, nec esse hodie materiam, ex qua fingi
queat aliquid: non enim dicunt, facta esse olim
ex nihilo omnia, verum semper fieri, nec tempus fuisse perhibent, quum nihil esset, sed esse
nihil. Ita vero et esse aliquid, et non esse, docuissent: etenim quae fiunt et generantur, sunt
sine dubio: sensuum iudicium et plane sustulissent, et simul minime fallax esse, constituissent:
vt de aliis nihil dicam aeque absurdis et ridiculis
consectariis, quae suscipienda fuissent his hominibus, si hoc sibi voluissent. Quae cum ita sese
habeant, perspicuum est, alio longe sensu Aristotelis haec verba exponenda esse, quam exponuntur ab illis, qui philosophos sibi videntur
in illis inuenisse creationi ex nihilo fauentes, nec
τα μη οντα, ea quae non sunt, idem designare posse, quod *nihilum*.

§. VII.

Periculum ego faciam, num ita declarare queam obscuras hodie, quae recitantur ab Aristotele, sententias, vt mens eius ab omnibus intelligatur. Non omni carebit hic labor vtilitate,
quoniam locum mihi faciet nonnulla monendi,
quae ignorari a multis video, tametsi veterum
tam philosophorum quam Christianorum dogmata et opiniones rite explanari, nisi his cognitis,
nequeant. Incipiam a vocabulis *το ον* et *το μη ον*,
quae sensim, vt fit inter homines, longe aliam
notionem induerunt atque antiquioribus Graecorum temporibus habuerunt. To ON antiquissimis
Graecorum philosophis id dicebatur, quod *immuta-*

mutabile, constans, perenne, fixum et definitum est: τὸ ΜΗ ΟΝ vero *quod* certa et constanti natura haud praeditum est, sed perpetuo fluit, mutatur, labitur et conuertitur. Qui hoc sibi proba ri volunt ARISTOTELIS *libros physicorum*, *libros de generatione et corruptione*, *libros* denique *Metaphysicorum*, PLATONEM *in Parmenide*, aliisque in dialogis consulant: quamquam, et ex iis, quae iam afferentur, res manifesta fiet. Omnium vero controuersiarum, quae veteres seiungebant naturae speculatores, haec princeps erat fere: Vtrum esset aliquid τὸ ὄν, natura quaedam immutabilis et vicissitudinis omnis expers, nec ne? Affirmabant hoc magni viri et inclyti: negabant alii. Qui sciscebant, esse aliquid τὸ ὄν naturam aliquam stabilem et mutationis verae prorsus expertem, illi dissidebant tamen inter se, cuius ea generis et indolis esset: qui contra perpetuis naturam rerum mutationibus obnoxiam esse, neque stare aliquid, sed fluere omnia, existimabant, rursus in magna sententiarum varietate positi erant, quum enucleatius de re vniuersa disserendum et rerum naturalium rationes reddendae essent. De hac opinionum discordia et varietate quae antiquissimos distinebat sapientes, longus esse ac copiosus possem: sed institutum vult, vt breuitati studeam. Nulla vero in re apertius et longius inter se distabant hac philosophorum familiae, quam quum ad explicationem generationis rerum omnium ventum esset: quae quidem res nullo non tempore vehementer exercuit ingenia eorum, qui caussas aperire conati sunt eorum, quae naturae rerum accidunt. Qui naturam esse quandam putabant stabilem et immutabilem, τὸ ὄν

K quod-

quoddam, illi nihil dubitabant, quin ex hac omnia fierent, quae gignantur, ita scilicet, vt ip haec natura nihil detrimendi caperet, verum vt semper eademque maneret, tametsi varias in formas et figuras veteretur: E contrario qui perpetuo fluxu et aeterna inconstantia ferri omnia, secum constituebant, hi non poterant, quin decernerent, non formas tantum et habitus rerum externos mutari, quum gigneretur aliquid, sed ipsam quoque interiorem materiae naturam conturbari et conuerti. Et hae binae iterum sectae in multas scissae erant minores familias, de quibus si exponere vellem, multum consumerem temporis possem. Quamuis igitur variae veterum de generatione et ortu rerum essent sententiae, quas Aristoteles [1] et alii veterum passim recensent, omnes tamen apte ad binas generatim factiones reuocari queunt. Alii docebant generari et procreari omnia *εκ των οντων*. *Ex illis rebus, quae vere sunt* ita illis videbatur qui esse aliquid *το ον* censebant, licet et hi, quod iam indicaui, non eodem omnes modo sentirent. His alii oppositi decernebant, *τȣ μη οντος* fieri et generari omnia, quod idem est, ac si dixissent, in generatione res fieri quod non fuerant antea, et in aliam transire naturam: in hac illi erant opinione, qui nihil immutabile et nescium mutationis contendebant. Iuuabit, hanc distinctionem veterum de generatione sententiarum ipsius Aristotelis verbis firmare, quum id potissimum hic agamus, vt verborum eius vim et potestatem declaremus.

[1] Lib. I. de *gener. et corrupt.* Cap. I. p. 697. c. III. p. *Physic. Auscult.* Lib. I. Cap. V. p. 451. Lib. III. de C Cap. I. p. 687. Tom. I. opp.

NO PARMENIDES, MELISSVS esse aliquid το ον naturam aliquam stabilem et immutabilem rati sunt, quod eos non fugit, qui historiae non imperiti sunt philosophiae antiquae: igitur et in illis habiti sunt, qui praeciperent εκ τȣ οντος gigni procreari omnia. ARISTOTELES πρωτον μεν ον, inquit de ZENONE,[2] λαμβανει και ȣτος το γιγνομενον γιγνεσθαι ΕΞ ΟΝΤΟΣ ȣσπερ ο Μελισσος. *Ac primum quidem etiam iste, non secus ac Melissus, sumit, id quod fit gigni ex eo quod est*, id est, rebus omnibus, quae fiunt, vnam perennem et immutabilem naturam esse subiectam, quae in varias tantum formas diuerso modo transeat. Qui hanc viam sequebantur, illi antiquis scriptoribus dicti sunt omnem generationem et corruptionem prorsus tollere: Quam loquendi formam quum non satis assequerentur sequentium aetatum scriptores, in opinionem de his philosophis inciderunt prorsus ineptam. Scriptum enim reliquerunt, visum fuisse viris his, nihil prorsus nasci, nihil interire, nullum esse motum: quod si sensissent, stolidi plane et dementes fuissent, nulloque indigniores nomine, quam philosophorum. Quare recentiores eosque ingeniosissimos et acutissimos viros tam fuisse incautos, moleste fero, vt hoc illis recte tribui nihil dubitarent: quem quidem errorem effugissent, si loquendi modos, qui antiquis vsitati fuerunt, maiori diligentia explorassent. Sed hac de re iam alias disserui nonnulla[3], quibus nunc addo, valde me laetatum esse, quam PETR. GASSENDVM virum magnum et

 per-

[2] Libro *de Xenophane, Zenone* et *Georgia* Cap. IV. p. 841. Tom. II. opp.

[3] *Obseruat. ad Cudworthi system. intellect.* p. 468. 469.

perſpicacem ab hac mea ſententia non fuiſſe a-
nis remotum intelligerem[4]. His, quos dixi, phi-
loſophis qui contrarii erant et negabant, vnam
ſtabilem et perennem naturam eſſe rebus omni-
bus ſubiectam illi, *εκ των μη οντων*, *ex illis, quae
non ſunt*, gignere ferebantur omnia. Aristote-
les de hoc ita loquitur genere:[5] *πρωτον μεν γαρ
ομολογουσιν απλως γενεσθαι τι εκ* ΜΗ ΟΝΤΟΣ. *Pri-
mum enim fatentur ſimpliciter fieri aliquid ex non
ente*, id eſt, tradunt, res, quum gignuntur, id
fieri, quod antea non fuerant. Inter duas haſce
familias, quae tamen multum alebant inteſtinae
diſcordiae, medii quidam interiecti erant, qui
quum eſſe aliquid *το ον* faterentur, fieri tamen ſimul
ſtatuebant nonnihil *εκ του μη οντος*: quamquam
ne hoc quidem vno omnes modo volebant accipi.
His ipſemet ſeſe Aristoteles quoddammodo ag-
gregabat, quem praecepiſſe conſtat, ex materia ſeu
ente et priuatione materiae adiuncta, quam *non
ens* vocabat, fieri et gigni omnia. Subtilis haec
eſt ſententia, quam multi negant intelligi poſſe:
quare ipſis auctoris eius verbis eam exponam:[6]
συντομως δε και, νυν λεκτεον οτι τροπον μεν τινα ΕΚ
ΜΗ ΟΝΤΟΣ *απλως γινεται τροπον δε αλλον* ΕΞ
ΟΝΤΟΣ *αει. το γαρ δυναμει ον, εντελεχειᾳ δε μη ον,
αναγκη προυπαρχειν. Compendioſe in praeſentia
quoque dicamus oportet, e non ente ſimpliciter
aliquo modo fieri generationem, et alio modo ex
ente ſemper. Namque ens potentia, ſed actu non
ens, praeexſiſtat neceſſe eſt.* His explicatis, mul-
to

4 Vid. *Phyſic.* Sect. I. Lib. VII. Cap. I. p. 458. Tom. I. opp.
5 *Natural. Auſcult.* Lib. I. Cap. X. p. 461. Tom. I. opp.
6 De *generat.* et *corruptione* Lib. I. Cap. III. p. 704. Add.
Natural. Auſcult. Lib. I. Cap. VIII. p. 456. Tom. I. opp.

to erit facilius intellectu, quam videtur initio, quamnam potestatem subiicere nos oporteat verbis ARISTOTELIS, quae haec commentandi occasionem nobis suppeditarunt. Primum genus quoddam philosophorum inducitur ab eo, quod gigni autumat τα μη οντα et ex his pauca rursus procreari. Esse hi, quod euidens est, statuebant το ον, immutabilem quamdam naturam, sine qua nulla fieri queat procreatio: Ex hac vero materia gigni τα μη οντα, res quae per se non constant, sed fluunt et stabili natura carent, quales sunt, quae quotidie exsistunt et rursus dissoluuntur ac ad initia sua redeunt. Sed quid hoc sibi vult, quod iidem censent ex illis, *quae non sunt*, aliqua quidem, sed μη πολλα non multa, gigni et procreari? Itane hi philosophi existimabant ex fluxis illis rebus, quae ex perenni et immutabili creantur materia, nouas oriri et fieri naturas posse? Numquam id crediderim, nec modum et exitum sententiae huius reperio. Vellem clarius loquutus fuisset ARISTOTELES, qui et hic et infinitis in locis aliis, non secus differit, ac si omnes sphingem domi habere putasset, quem in aenigmatibus enodandis adire possent. Sed viam tamen accuratius meditando inueni, qua ex hac difficultate nobis eluctari quoque liceat. *Pauca* illa, quae hi philosophi dicuntur putasse procreari ex illis, *quae non sunt*, minime res sunt seu naturae, aut, vt philosophorum more loquar, *substantiae*, sed *accidentia* tantum quaedam rerum. Hoc ergo tradebant, in omni generatione primas omnino partes stabili et aeternae materiae tribuendas esse, quae cunctis rebus subiecta sit: at nonnulla tamen simul adiungi vnicuique rei nascenti, quae

in illa materia non fuerint antea, et id circo e ni-nihilo veluti oriantur. Quaenam vero haec? Figura, nil dubito, magnitudo, ſitus motus, quies; quae quidem non inſunt proprie in materia, vnde res fiunt, ſed ex eius demum concretione et varia temperatione naſcuntur, eaque de cauſſâ dici poſſunt certa ratione ex illis, *quae non ſunt*, fieri. Hoc modo ſi exponantur ARISTOTELIS verba, vt meo quidem iudicio oportet ea exponere, facile in illis agnoſces philoſophiam ſectatorum DEMOCRITI et EPICVRI. Namque hi primum eſſe ſtatuunt *το ον*, ſeu certam quamdam et definitam corpusculorum indiuiduorum copiam, quorum interior natura nulla vi mutari queat: ex his deinde atomis decernunt fieri *τα μη οντα* res ceteras, quae parum habent conſtantiae et vt natae ſunt, ita ſenſim obteruntur rurſus et diffluunt: poſtremo conformationem externam, magnitudinem, habitum motum ex corpuſculorum varia et fortuita concurſione, ideoque ex illis, *quae non ſunt*, quodammodo fieri. Ab his multum ſecedebat altera ſecta, quam deinceps commemorat. Negat enim haec eſſe aliquid *το ον*, *ſtabilem, immotam et definitam naturam:* ferri contra omnia perpetuo motu tradit: quod perſpicue ſatis ARISTOTELES ſignificat, quum ait, ſciſcere eos, *᾽δεν ειναι* *nihil eſſe*, ſed *γιγνεϑαι*, *fieri omnia*, nihil ſtare et idem ſemper permanere, ſed omnia ex vno in aliam non modo formam, ſed et naturam ſine modo et fine tranſire. Hinc non poterant, quin id quoque praeciperent, quod additur, *εξ ᾽κ οντων γινεϑαι τα γινομενα*, ex iis, *quae non ſunt fieri omnia, quae fiunt*, id eſt, in omni generatione rem ipſam ex qua alia quaedam res exſiſtit

mutar

mutari aliamque fieri, quam antea fuerat, nec sola concretione, segregatione, accretione, diminutione procreationem perfici.

§. VIII.

Diutius me, quam opinatus eram, ARISTOTELES detinuit: nec tamen operam me perdidisse, arbitror, quum haec praeceptorum quorumdam veteris philosophiae declaratio conferre nonnihil valeat ad similes locos, non ARISTOTELIS modo, sed et aliorum antiquorum scriptorum melius, quam vulgo fit, intelligendos. In EMPEDOCLIS et SENECAE dictis, quae ad hanc trahuntur caussam, interpretantis, minore sagacitate ac diligentia opus erit. PLVTARCHVS sequentes nobis seruauit EMPEDOCLIS versus [1]:

Νηπιοι ȣ γαρ σφιν δολιχοφρονες εισι μεριμναι
οι δη γινεσθαι παρος ȣκ εον ελπιζȣσιν
Η τοι καταθνη σκειν τε και εξολλυσθαι απαντη.

Stulta et prolixas non admittentia curas
Pectora, qui sperant, exsistere posse, quod ante
Non fuit, aut vllam rem pessum protinus ire.

Quibus versibus recitatis, hanc eorum subiicit PLVTARCHVS explanationem: *Ουκ αναιρει γενεσιν αλλα την εκ μη οντος, ȣδε φθοραν αλλα την παντη, τȣτεστι την εις το μη ον απολυȣσαν.* *Non tollit omnino ortum, sed oriri aliquid ex nihilo negat: nec interitum infitiatur, sed eum tantum interitum, quo res in nihilum rediguntur.* Viri longe doctissimi existimant, his in verbis eos refelli ab EMPEDOCLE, qui putarent, res omnes ex nihilo esse genitas et factas, ex quo postea conficiunt, exstitisse tam temporis qui hoc affirmarent, philosophos. Nam

 quis,

[1] Libro *aduersus Colotem* p. 113. Tom. II. opp.

quis, quaeſo, ſapiens cum vmbris pugnare ſolet et opiniones reiicere, quas nemo vmquam propoſuit? ſed veniam mihi dabunt praeſtantes viri, quod plura eos cernere arbitror in his verſibus Empedoclis, quam in illis expreſſa ſunt. Non enim de creatione vniuerſitatis ex nihilo philoſophus loquitur, ſed de quotidiana rerum generatione et corruptione. Pythagoraei, de quorum grege fuit Empedocles, plerique certam eſſe ac aeternam rerum omnium ſummam arbitrabantur, ex qua per vnam particularum translationem fierent omnia, quae gignuntur, et in quam diſſoluerentur rurſus, quae perire videntur, ſumma ipſa eadem ſemper et inuiolabili manente. Hoc dogma verſibus hiſce comprehenditur: Elegantius vero et pulcrius ab Ovidio, Pythagorae ſcita carmine exprimente, expoſitum eſt: cuius locum afferre haud grauabor, quum nihil eo aptius fieri poſſit ad Empedoclis mentem illuſtrandam:[a]

Nec perit in tanto quidquam, mihi credite, mundo,
Sed variat, faciemque nouat: naſcique vocatur
Incipere eſſe aliud, quam quod fuit ante, morique
Deſinere illud idem: cum ſint huc forſitan illa
Haec translata illuc: Summa tamen omnia conſtant.

At plerique mortalium, qui animum ab oculorum conſuetudine haut ſolent abducere, perſuadent ſibi, noui aliquid naſci et fieri, quam rem quamdam gigni et exſiſtere cernunt: nec, re quadam ſublata, dubitant, eam interire, prorſus et ad nihilum abire. Hanc vanam populi et multitudinis

[a] Metamorphoſ. Lib. XV. p. 255. Tom. II. opp.

tudinis ſententiam inuadit Empedocles et irridet; nullo vero modo philoſophos aggreditur docentes, ipſam rerum ſummam ſeu materiam non exſtitiſſe, antequam a Deo ex nihilo fingeretur: quos quidem ſi opprimere voluiſſet, lenius et humanius eos compellaſſet, nec ſtultos et infinitis curis non neceſſariis implicatos dixiſſet. Plebem quidem negotioſam et oculis vnici fidentem, verbis tam aſperis deſignare poterat: at minime philoſophos, comtemplationi tanto feruore deditos, vt ipſam materiam cogitatione ſuperarent et nusquam aliquando fuiſſe decernerent. Eodem modo illis occurrere licet, qui Lvcretivm adeſſe ſibi volunt in hac cauſſa, et quod hic poëta ſtudioſe et copioſe probat [3] ex nihilo fieri nihil poſſe, id argumento eſſe cenſent, fuiſſe aetate eius, qui ex nihilo conditum hunc orbem eſſe autumarent. Namque et hic nihil ſibi probandum ſumit, quam hac, certas eſſe rerum omnium, quae eueniunt in hoc orbe, cauſſas, et quidquid gignitur et procreatur, ex materia dudum praeſente fieri. Adde, eos, qui praeceptum aliquod ſolidis rationibus contra omnes impetus muniunt, non ideo ſemper id facere, quod ſciunt, eſſe aliquos, quibus id diſpliceat, ſed eo tantum ſaepenumero conſilio, vt certiora et robuſtiora videantur, quae imponere illi et committere poſtea volunt et in animas hominum facilius penetrent.

§. IX.

Reſtat Senecae locus, de quo mihi dicendum eſt aliquid, antequam ad ſingulos homines et ſectas deſcendam. Is, quum de vtilitate diſſerit,

K 5 quam

[3] Lib. I. de *natura rerum* v. 149. ſ. p. 153.

quam ex Philosophiae studio capere liceat, his inter alia verbis vtitur: [1] *Quam vtile existimas ista cognoscere et rebus terminos ponere? Quantum Deus possit:* Materiam ipse sibi formet, *an data vtatur? Vtrum idea materiae prius superueniat, an materia ideae?* Ex his verbis apertum esse, summi viri putant, addubitasse SENECAM, vtrum materia ex nihilo formata esset a Deo an vero ab aeterno exstitisset? Tradi enim ab eo philosophiae auxilio hanc quaestionem vnice dirimi posse. IVSTVS LIPSIVS postquam dixerat, omnes philosophos veteres DEMOCRITO assensos esse, qui ex nihilo nihil fieri praecepit, ita pergit: [2] *Et tamen, quod mirere,* SENECA *dubitat, an Deus materiae auctor? Ita enim* in quaestionibus naturalibus. - - - *Dubitat ecce, quod Christianos quosdam non est puditum contra adfirmare et cum priscis materiam aeternare.* Haud secus GERH. IOH. VOSSIVS censet qui: *Mirum vero,* inquit, [3] *e gentilibus vnum* SENECAM *non ausum dicere materiam esse aeternam, sed de eo dubitasse. Sic enim scribit in* Quaest. Natural. Sequuntur horum vestigia multi recentiores, quos nominare haud expedit: quin etiam longius procedunt aliqui, et patere arbitrantur ex hoc SENECAE dicto. Vulgo hac de re inter philosophos aetate eius disputatum fuisse, duplicemque exstitisse sectam, alteram eorum, qui Deum decernerent *Materiam sibi formare* seu ex nihilo fingere, alteram eorum, qui sciscerent, *data* seu aeterna *Deum materia vti.* Ego vero ne hoc quidem loco aduersus eos pugnauerim, qui

[1] Praef. *Quaestion. Natural.* Tom. II. opp. p. 485.
[2] *Physiologiae Stoicae* Lib. II. Diss. II. p. 57. a.
[3] *Thesibus Historico-Theol.* Diss. I. p. 9.

qui creationem, ex nihilo nullis, nisi Iudaeis et Christianis, notam olim fuisse censent. Quod si is in SENECAE verbis sensus esset, qui esse in illis creditur, haud multum tamen eos iuuarent, qui patronus dogmatis de mundi creatione ex nihilo inter antiquos sapientes exquirunt. Etenim haud confici ex illis posset, quosdam huic dogmati vere fauisse quondam, sed hoc tantum inde pateret, acrius meditanti aut SENECAE, aut aliis dubitationis aliquid hac de re obortum esse, quo diu tamen haud possi fuissent sese vexari. Sed libere confiteor nescire me, quanam illi ratione et fundamento nitantur, qui mentionem creationis ex nihilo inuenisse sibi in hoc SENECAE dicto visi sunt. Num loquutionem: *formare sibi aliquid*, in se spectatam, censent idem esse, quod: *Ex nihilo fingere?* Vix puto: nec ipse SENECA hanc ferret interpretationem, apud quem vocabulum: *formare*, numquam non significat, *formam rei cuidam informi inducere. Caussa autem*, inquit, alio loco, * *id est ratio, Materiam format et quocumque vult versat, ex illa varia opera producit.* Quod hic *formare* vocat, id paullo post nominat *faciem dare: statua* et *materiam habuit, quae pateretur artificium: et artificem, qui materiae daret faciem.* Et quid multis? in ipso loco illo, vnde haec verba, quorum sententiam exploramus, depromta sunt, ita verbum hoc adhibet. Sic enim, paucis interpositis, pergit: *Deus quidquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant, et a magno artifice praue formentur multa.* Nec adiectum vocabulum *sibi* postulat, vt hanc notionem in loco nostro

* Epist. LXV. p. 160. Tom. II. opp.

nostro deferamus. Nam is *recte formare sibi aliquid* dicitur, qui oblatam materiam ad voluntatem et arbitrium suum disponit, informat et afficit. Num igitur ex opposita formula: *Data materia uti* elucere arbitrantur, vim, quam diximus huic loquendi modi subiiciendam esse? ita quidem videtur. Sed dicant mihi viri docti, an recte putetur is ipsemet sibi materiam fabricari et ex nihilo facere, qui ab aliquo perhibetur *data non uti Materia?* Ego quidem secus sentio, nec multos, re bene putata, discessuros a meo iudicio arbitror. Duo mihi ante oculos pono artifices, quibus aurum offertur, vt ex eo simulacrum quoddam conficiant. Alter horum diligenter praeparat aurum, antequam opus aggrediatur, et admistis peregrinis particulis et sordibus purgat: alter, omissa omni purgatione, ex materia, quam traditam accepit, signum, quod iussus est, elaborare perficit. Malene is loqueretur et in dicendi praecepta peccaret, qui de binis hisce hominibus ita dissereret cum SENECA: *Alter ipse sibi format materiam, alter data vtitur materia?* Nec dissimili ego modo SENECAE verba putem exponenda esse. Erat is, id quod neminem praeterit eruditorum e Stoicorum familia, in qua de materiae natura et ortu nihil erat certaminis. Omnes enim Stoici eam aeque aeternam esse ducebant atque ipsum Deum, omnisque initii expertem, quod multis eorum locis IVST. LIPSIVS testatum fecit. [5] Et hanc sectae suae sententiam SENECA nusquam in dubium vocat, sed passim diserte approbat: *Dicunt, vt scis,* inquit, [6] *Stoici nostri,*

[5] *Physiol. Stoicae* Lib. I. Diss. IV. p. 9.
[6] Epist. LXV. p. 160.

nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia sint: caussam et materiam. Materia iacet iners res ad omnia parata, cessatura, si nemo moueat. Hoc vero dubium erat inter Philosophos, qui mundum a Deo comparatum esse putabant, et inter Stoicos etiam: Vtrum informis et omnis prorsus qualitatis et pulcritudinis expers fuisset materia, antequam Deus ad eam disponendam et exornandam accessisset, an vero qualitates et rerum formae in ipsa materia reconditae fuissent, vt diuina tantum sollertia opus fuerit ad eas rite distribuendas et in ordinem rationi conuenientem cogendas? Illud quidem plerisque PLATO visus est tueri, quod vel ex PLVTARCHO liquet: [7] Sed nec hoc defensoribus suis caruit. Vix melius haec controuersia intelligetur, quam si cum ea comparetur lite de naturali statu animae, quae Platonicos a reliquis distrahebat philosophis: quorum quidem illi animam informatam iam notionibus et speciebus rerum in corpus venire sciscebant, hi vero institutione et doctrina in corpore demum imbui et informari arbitrabantur. [8] Et hanc ego dissensionem his verbis, in quorum vim inquirimus, SENECAM puto tangere. Nam qui formas omnes et qualitates a Deo induci in materiam opinabantur; illi Deum ipsum sibi materiam formasse, aut formis eam et qualitatibus donare, quibus vellet, docebant: secus autem qui iudicabant, ac formas et qualitates inesse iam in materia ducebant: Deum data tantum vti materia, nec nisi noua ratione molem rerum digessisse

[7] De *animae procreat.* ex Timaeo p. 1014. Tom. II. opp.
[8] Lege CHALCIDIVM in Timaeum Platonis Cap. XIII. p. 391.

fisse ac instruxisse statuebant, vt iste ornatus et habitus nasceretur, quem in mundo nunc conspicimus. Neque diuersam potestatem aliis puto subesse SENECAE verbis, quae non multum remota sunt ab illis, de quibus adhuc egimus, et paullo etiam maiori ad hanc rem virtute videntur esse praedita, tametsi viros doctos praeterierint, qui negotium persequuti sunt, quod in manibus est: *Equidem*, inquit SENECA, [9] *tunc naturae rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video, quae publica est, sed cum secretiora eius intraui: cum disco, quae vniuersi Materia sit, quis Auctor, aut Custos.* Dubius hic iterum et anceps haeret philosophus, nec constituit satis: vtrum Deum *auctorem*, an vero *custodem* materiae vocare deceat? At qui dubitare se profitetur, an Deus auctor sit materiae, isne simul significat, fieri posse, vt hoc ita sese habeat, et materia idcirco ex nulla re alia condita sit a Deo? Ergo hoc saltim liquere videtur ex hoc enuntiato, nec SENECAM nec alios fortasse philosophos, credidisse, rationi hoc dogma repugnare, quod illi, qui Deum esse negant, hodie tam a recta ratione alienum esse putant. Speciem haec veri habent, non diffiteor: At talia sunt minime, vt rem plane conficiant. Etenim quis nescit, *auctorem*, rei cuiusdam etiam illum dici, qui ex suppeditata materia eam construit et format? Nec vocabulum *custos*, quum nomini auctor opponitur, necessario flagitat, vt aliam ei notionem putemus subiectam esse. Quare, quum et Stoici, quod iam antea monuimus, de aeternitate materiae certissimi fuerint, in eam facile sententiam ingredior,

[9] *Praef. Quaest. Natural.* p. 482. Tom. II. opp.

dior, vt eos, qui Deum *auctorem* dixerunt esse *materiae*, hoc sibi tantum voluisse credam: Deum materiae naturam illam dedisse, quam nunc habet, et ex statu eam informi plane ac ad nullam rem idoneo ad meliorem et aptiorem traduxisse; eos vero, quibus *custos materiae* Deus vocatus fuit, censuisse, qualitates et formas in materia latentes ab eo conseruari tantum et custodiri. Si verbosus esse ac eruditus vellem, alia quaedam addere liceret ad labefactandam vulgatam verborum SENECAE interpretationem: sed sufficiunt haec, vt intelligatur certum ea auxilium minime spondere illis, qui philosophos quosdam idem quod Christiani, de rerum ortu sensisse volunt.

§. X.

Testimoniis hisce generalioribus auditis, ad singulos nunc homines et sectas veniam, quae Deum materiae fabricatorem praedicasse feruntur. Princeps atque auctor omnis religionis et sapientiae, qua Graeci quondam valuerunt, ORPHEVS fuisse fertur. Hunc tanti nominis virum CLEMENS ALEXANDR. dudum in illis numerauit, qui creationem ex nihilo professi sunt. Postquam enim Orphicos quosdam versus recitauerat, in quibus Deus *μητροπατωρ*, *pater matris*, appellatur, ita pergit: [1] *Δια μεν τȣ μητροπατορος, ȣ μονον την εκ μη οντων γενεσιν εμηνυσεν, δεδωκεν δε αφορμας τοις τας προβολας εισαγȣσι τα* XL. *και συζυγον νοησαι τȣ Θεȣ. Qui sane dum matris eum patrem nominat, cum rerum ortum ex nihilo significat, tum iis forte qui proseminationes illas inuehunt* (Valentinianis) *coniugis etiam Deo tribuen-*

[1] *Stromat.* Lib. V. p. 724.

buendae occasionem dedit. Materiam scilicet autumauit matris nomine indicari, et Deum id circo, quum *matris parens* vocatur, materiae conditorem atque auctorem dici. [2] At quem, quaeso, fugit, omnia, quae de ORPHEO et eius carminibus feruntur, tam esse incerta, vix vt fieri queat aliquid incertius? quae restant hodie carminum Orphicorum reliquiae a multis creduntur vel a Iudaeis, vel a degeneri quodam Christiano esse confictae, quo tam insignis viri auctoritate scitis suis robur et firmamentum aliquod compararent: quam sententiam ne illi quidem totam audent reiicere, qui magni ceteroquin Orphicam disciplinam faciunt. [3] In ipsis deinde carminibus hisce magnam sententiarum licet discordiam cernere: quae argumento est, non vnum eorum auctorem esse. Quapropter si hos ORPHEI versus, quos CLEMENS laudat, tamquam dubios et ancipitis fidei, prorsus ab hac caussa segregandos esse dicerem, ratione propitia, nec summis viris inuitis, id facere possem. Verum alia ratione quum infringi possit hoc ORPHEI testimonium, nunc quidem hanc ingredi viam nolo. Sint hi versus aliquo loco: valeat quoque CLEMENTIS interpretatio vocabuli μητροπατωρ: Superest, vt quaeramus, an inde consequatur, conditorem versuum illorum Deum pro materiae effectore habuisse. Dabunt mihi omnes, quod spero, ex vno verbo, eoque obscuriori, confici nullo modo posse, quaenam auctori huic sententia de tam arduo

[2] Eodem modo vocabulum hoc explicat EDM. DICKINSONVS *Physic. veteris et verae* Cap. XII. p. 198.

[3] Vid. CVDWORTHI *Systema intellect.* Cap. IV. §. XVII. p. 347.

arduo dogmate fuerit: sed reliqua etiam, quae supersunt ex eius carminibus conferenda et ex hac collatione mentem eius illustrandam esse. Hoc autem si fiat, tantum abest, vt ORPHEVS ille, quisquis demum fuerit, cum Christianis sensisse putandus sit, vt potius a Spinosae flagitiis exiguo aut nullo interuallo remotus fuisse videatur. Nam, quod alio loco copiosius iam obseruaui, [4] Deum esse omnia canit et ex Deo ita fluxisse omnia putat, vt partes huius vniuersitatis membra tamen et partes diuinae naturae non desinant esse. Tam impium et profanum hominem quis ferat cum Christianae religionis sectatoribus componi? Itaque quod Deum *matris* seu materiae patrem esse dixit, id haud dubie sic voluit accipi: Ex diuina natura non secus ac filiam quamdam, genitam et procreatam esse materiam, et partem propterea ipsius diuinae naturae esse. Quae quum ita sint, parcius vellem laudassent ORPHEVM viri ceteroquin doctissimi: quos inter THOM. BVRNETVS [5] et ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVS [6] nihil fere opinati sunt tam magnificum de hoc homine dici posse quin id virtus eius et praestantia multum superet.

§. XI.

HESIODVM, poëtam Graecorum vetustissimum, EDMVNDVS DICKINSONVS [1] non postremo loco inter creationis ex nihilo adsertores collocat. *Ab Aegyptiis*, inquit, *eruditus antiquissimus ille Cosmolo-*

[4] *Obseruat.* ad CVDWORTHVM p. 357.
[5] *Archaeologiae Philos.* Lib. I. Cap. IX. p. 354.
[6] *Epigene* seu libro de *poësi orphic.* p. 41. s. *praefat.* et alias.
[1] *Physs. vet.* et *verae* Cap. XII. p. 199.

mologus Hesiodus itidem Chaos, quo nomine mundi materiam primam nuncupabat, non aeternam sed genitam esse tradebat his verbis: Ητοι μεν πρωτιστα χαος γενετ'. *Principio quidem factum est Chaos.* Et ab hac sententia non multum abhorrere praestantissimos quosdam viros ex antiquis et recentioribus, alio iam loco animaduertimus.[2] Verum, si HESIODVS hoc dignus est honore, eundem sibi iure poscet OVIDIVS, qui sententiam Graeci vatis his Latinis versibus enarrauit:[3]

Ante mare et tellus et quod tegit omnia coelum
Vnus erat toto naturae vultus in orbe
Quem dixere Chaos: rudis indigestaque moles.

Nec minor fortassis esse volet ARISTOPHANES,[4] quem nouimus hunc scriptum reliquisse versum:

χαος ην και νυξ ερεβος τε μελαν πρωτον και
ταρταρος ευρυς.
Chaos erat et nox e rebusque niger in principio et
tartarus amplus.

Periment, nisi me ratio fallit, bonam hanc virorum doctorum de HESIODO opinionem, quae iam obseruabimus. Primum nemo diffitebitur graecae linguae et dictionis poëticae gnarus, verbum graecum γενετο, cui imponitur haec opinio, ita posse verti, vti vulgo vertitur et ab innumerabilibus antiquis et recentioribus intellectum fuit: *Primo omnium quidem Chaos fuit.* Vnde magnam oritur dubitatio, vtrum hanc notionem, an vero superiorem illam, quam eruditi quidam viri praeferunt, poëta illi subiecerit. Plus vero sibi sumit

[2] *Obseruat.* ad CVDWORTH. p. 177. adde BESSARIONEM *in calumniator. Platonis* Lib. II. Cap. V.
[3] *Metamorphos.* Lib. I. v. 5. s.
[4] *Auibus* v. 694. p. 404. ed. *Kusteri.*

ſumit quam fas et aequum patitur, qui, quum vocabulum occurrit ambiguum, alteram eius poteſtatem nulla fultus ratione, eligit et ex hac deinceps poteſtate diſciplinam auctoris metitur. Si vel aeque certum eſſet, atque incertum eſt ac dubium, verbum hoc apud HESIODVM ſignificare: *factum eſt* aut *genitum*, ne ſic quidem expedita forent omnia. Nec enim addidit HESIODVS a Deo Chaos eſſe factum, nec refert ex nihilo factum eſſe illud et genitum: quod de gradu plane deiicit fautores eius. Sed, his miſſis, faciam, vt planum fiat, vulgatam huius nominis expoſitionem retinendam eſſe et HESIODVM nihil indicaſſe aliud, quam id, quod OVIDIVS cecinit, *exſtitiſſe* CHAOS ante orbem conditum. Ipſa primum hoc poſtulant eius verba. Quod ſi enim de generatione et ortu rudis et indigeſtae molis, quam Chaos nominant, loqui voluiſſet, cauſſam haud dubie efficientem eius vna nominaſſet, quum opificis et parentis haud obliuiſci ſoleat, qui naturam aliquam genitam dicit et factam eſſe. Quis ſibi perſuaſerit HESIODVM, ſi rem tam grauem, tamque magnam, qualis eſt *Chaos* procreatio ex nihilo commemorare voluiſſet, ne vocula quidem auctoris tanti operis mentionem facturum fuiſſe? quem hoc nondum commouet, is tamen modo, religionem poëtae huius cognouerit, continuo cedet. Non habuit maiorem et excelſiorem Deum HESIODVS, quam IOVEM ſuum, quod nemo ignorare poteſt, qui vel leuiter poëma eius inſpexerit: hunc Deum, hominumque parentem, hunc rerum omnium procuratorem, hunc optimum et maximum praedicat. At de hoc Ioue valde ſentit abiecte ac humiliter. Nam Saturni

eum filium esse tradit: Saturnum vero perhibet ex coelo et terra sub ipsum mundi huius exordium esse natum, id est, virtute aetheris ex terra editum esse, qua de re iam alias explicatius disserui.[5] Ecquis est, qui sibi persuadere queat, vatem aperte aduersus Deum impium et tam puerili religione imbutum, vt hominem ex Saturno et Rhea genitum omnibus praeficeret, de materiae initio et creatione pie ac sapienter sensisse?

§. XII.

Hesiodo iungam Xeniadem, philosophum perantiquum. Eius aliquoties Sextvs meminit Empiricvs et inter alia haec de eo memoriae prodidit:[1] Ξενιαδης δε ο κορινθιος (ȣ και Δημοκριτος μεμνηται) παντ' ειπων ψευδη και πασαν φαντασιαν και δοξαν ψευδεσθαι, και εκ τȣ μη οντος παν το γινομενον γινεσθαι, και εις το μη ον παν το φθειρομενον φθειρεσθαι, δυναμει της εχεται τω ΞενοΦανει πασειος. *Xeniades autem Corinthius, cuius etiam meminit Democritus, cum omnia dixerit esse falsa, et omnem phantasiam et omnem opinionem esse fallacem; et ex non ente fieri, quidquid nascitur, et quicquid corrumpitur in non ens interire, potestate ab eadem stat sententia qua Xenophanes.* His Sexti verbis adductus fuit Petr. Gassendvs, vir alioquin acutus et veterum dogmatum peritissimus vt dubitaret, an Xeniades hic adscribendus sit illis, qui ex nihilo statuunt omnia esse condita: verum addit tamen, *posse hanc sententiam eo modo explicari, quo ipse Aristote-*

[5] *Notis ad Cudworthum* p. 431.
[1] Lib. VII. *adu. Mathemat.* seu Lib. I. adu. *Logicos* §. 53 p. 381.

ſueles fieri docet aliquid ex non ente, non illo quidem ſimpliciter, ſed non ente per accidens. [a] At celeberrimus Sexti editor, Io. Alb. Fabricivs *adnotatione ad hunc locum* ſine dubitatione negat, de creatione ex nihilo in eo ſermonem eſſe, Xeniademque vult id tantum docuiſſe, quod multi alii tradiderunt philoſophi, quum gignitur aliquid, rem genitam id fieri, quod antea non fuerit, quumque accidit viciſſim res quaedam; eam aliam plane naturam induere. Non male cenſuit, vir egregius: et res ipſa docet, de ortu materiae nihil hoc apud Sextvm loco quaeri, qui de nota veri diſputat et Logicorum ſcientiam lubricis niti fundamentis docere ſtudet. Numeratur Xeniades in illis a Sexto, qui omne iudicium, omnes veri et falſi notas, omnem certam cogitationem ſuſtulerunt: quam quo tueretur ſententiam, fertur ab eodem docuiſſe, ex rebus, quae non ſunt, fieri et gigni omnia et quae pereunt viciſſim in ea redigi, quae non ſunt. Si hac in ſententia *τα μη οντα* idem eſſent, quod *nihilum* et *nullum*, Xeniades ſecum ipſo pugnaſſet, nec omnem veri notitiam et iudicium hominibus eripuiſſet: nam qui ſtatuit, facta eſſe omnia ex nihiſo et in nihilum rurſus reuerti, is certis, nec fallacibus inſtructus eſſe debet praeceptis et regulis, ex quibus hoc ipſi cognoſcere liceat, nec illis ideo poteſt accedere, qui omnia non modo viſa, ſed et opiniones incertas et veri expertes eſſe ſciſcunt. Itaque *τα μη οντα* ſint oportet res parum ſtabiles, fluxae et perpetuis conuerſionibus obnoxiae, neque alia potuit mens huius eſſe philoſophi, quam haec: Res quae gignuntur, ex

 rebus

[a] *Phyſices* Sect. I. Lib. III. Cap. I. p. 232. Tom. I. opp.

rebus procreari omni conſtantia priuatis, longeque idcirco differre a materia, ex qua fiunt, et viciſſim, quae intereunt, naturam plane mutare et nouas qualitates adipiſci. Qua quidem qui ſunt imbuti ſententia, eos nihil mirum eſt, tam ſenſuum, quam rationis decreta repudiare, certique omnis et veri normam tollere.

§. XIII.

Propero iam ad illam philoſophorum familiam, quam a PYTHAGORA conditam eſſe accepimus. Ipſe quid de rerum originibus ſenſerit PYTHAGORAS per ſummam veterum ſcriptorum inconſtantiam vix hodie licet decernere. Et ipſos, qui diſcipuli eius videri voluerunt, incertos fuiſſe, veriſimile eſt, quaenam magiſtri mens fuerit, quia inter ſe diſſident, nec vnam omnes fouent de mundo et materia ſententiam. Credibile tamen eſt, eos praeceptoris ſui mentem ceteris perſpexiſſe rectius, qui docuerunt Deum *ſyluam minime genitam*, vt CHALCIDII verbis vtar, [1] *exornatam a Deo, illuſtratam et eo digeſtore generatam eſſe.* At ex ſectatoribus eius aliqui tam longe dicuntur a veſtigiis doctoris ſui receſſiſſe, vt ipſam materiam a Deo genitam et factam eſſe traderent. Eius rei auctor CHALCIDIVS eſſe videtur: qui, poſtquam ex NVMENIO veram PYTHAGORAE opinionem de materia recitauerat ex eodem refert, quosdam diſcipulorum eius hanc omnino ſententiam peruertiſſe: [2] *Sed nonnullos Pythagoraeos, vim ſententiae non recte aſſequutos, putaſſe, dici etiam illam* (Syluam ſeu materiam) *indeterminatam et immenſam duitatem ab vna ſingularitate*

[1] *Comm. in Timaeum Platonis* Cap. XIII. §. CCXCIII. p. 387.
[2] Loco citato.

tate institutam; recedente a natura sua singularitate et in duitatis habitum migrante. *Non recte,* pergit CHALCIDIVS, *vt, quae erat, singularitas, esse desineret, quae non erat, duitas, subsisteret: atque ex Deo Sylua et ex singularitate immensa et indeterminata, duitas conuerteretur. Quae opinio ne mediocriter quidem institutis hominibus competit.* Mihi vero, quoquo me vertam nusquam in his verbis creatio materiae ex nihilo sese offert, at capitalis alia et pestifera sententia, quae SPINOZAE impietati cognata prorsus et affinis est. *Singularitas* stylo Pythagoraeorum, quem imitatur CHALCIDIVS, Deus est, *duitas* vero *immensa et indeterminata, materia* est finium et terminorum expers. Quare *duitatem* quum hi Pythagoraei statuunt a *singularitate institutam esse,* hoc sibi volunt, materiam a Deo comparatam esse. Hactenus satis sani sunt: sed quae de modo perhibent, quo Deus effecerit materiam a summa propius adsunt dementia, Deum enim seu *singularitatem* tradunt naturam suam mutasse *et in duitatis habitum migrasse,* seu in materiam semet ipsum conuertisse: hoc facto, *singularitatem* seu Deum *esse desciisse,* et *duitatem* seu *materiam vnice subsistere* coepisse: paucis *ex Deo Syluam* et ex *singularitate duitatem factam* esse. His quid fieri magis impium et absurdum potest? Scilicet aperte confitentur, qui sic sentiunt, mundum esse Deum, nec praeter mundum et materiam diuinum aliquid esse. Nam si Deus a natura sua recessit et in materiam sese conuertit, quid nobis relinquitur, praeter mundum et materiam quod Dei loco habeamus et colamus? Et quid est aliud Deus, si hoc verum est, quam acinata et spiritu

quodam instructa materia? Vereor, ne illi, quibus haec placuit opinio, ex aeterno, non certo tempore, hanc diuinae naturae commutationem esse factam, simul asseuerauerint: quod si recte suspicor nulli certe sunt antiquorum philosophorum quos maiori iure illis adscribas, qui SPINOZAE portenta diu ante hunc natum hominem defensitarunt. Hinc recte CHALCIDIVS tam futilem et inficetam esse subiicit hanc opinionem, vt ne in illos quidem cadere queat, qui vel mediocriter animos doctrina excoluerint: quod quidem numquam tulisset iudicium, si cum Christianis hi Pythagoraei de ortu naturae sensissent, quorum quippe rationes hic Platonis interpres minime contemsit; sed ita passim probauit, vt multis etiam omnino Christianus fuisse videatur.

§. XIV.

PHILOLAVS, Crotoniates, quam illustri fuisse loco inter primos PYTHAGORAE sectatores, accepimus, probabilius paullo inter eos collocatur, qui a Deo ex nihilo confecta esse vniuersa, rati sint. CLAVDIANVS enim MAMERTVS in quodam libro eius, qui periit, haec olim exstitisse scripta refert:[1] *Deus, qui ex nihilo fecit omnia, qui, sicut opere instituit, ita materiam incorporauit rebus omnibus, inter quas et anima censetur. Sicut distribuit pondus, numerum atque mensuram, ita posuit quantitatem.* His quid fieri potest clarius? Dicitur *Deus ex nihilo fecisse omnia:* dicitur *materiam opere instituisse*, quod idem videtur esse, atque *comparasse et condidisse*. Tenemusne igitur ex PYTHAGORAE schola hominem, qui sapienter de rerum originibus docuit? Non puto, habeoque, cur

[1] De *statu animae* Lib. II. Cap. III. p. 106. ed. Barthii.

cur credam, ne PHILOLAVM quidem cum Christianorum doctoribus hac in parte sociandum esse. Exstant scilicet huius philosophi apud IAMBLICHVM [a] verba, quibus diserte negat, *vnitatem* seu Deum esse rerum omnium principium, traditque *binarium* seu materiam, ei tamquam alterum principium sociatam fuisse in rerum omnium creatione; Ὀυ γαρ εν φησιν Φιλολαος αρχα παντων και τοις ετερομηκεσιν εις γενεσιν οσπληγγα ομοιως εαυτην παρεξει, ουκετι δε νυσσα εσαι της καθ' υποστροφην παλινδρομιας και επανοδου, αλλα το τοιουτον η δυας αντ' αυτης αποστησεται. *Dicit enim Philolaus vnitas non est omnium principium et similiter altera parte longioribus se ipsam praebebit tamquam carceres ad generationem, neque est meta secundum reflexionem recursus et reditus: sed hoc pro vnitate faciet binarius.* Sunt haec vehementer obscura, vt omnia fere, quae ex addita et interiori Pythagorae disciplina sunt ad nos delata: at quae generatim tamen PHILOLAI fuerit opinio, facile intelligitur. Ἒν seu *vnitas* Deus apud Pythagoraeos vocatur, id quod notissimum est: δυας vero materiae vocabulum est. Idque ipse non siluit IAMBLICHVS qui paullo post: δυας, inquit, υλης λογον εχει. *Dyas materiae rationem habet.* Quocirca manifestum est, hoc vniuerse PHILOLAVM praecipere, duo esse rerum omnium principia, Deum et materiam. Neque hoc nos ignorare passus est IAMBLICHVS, qui quum nonnihil consumsisset laboris in hac firmanda et declaranda PHILOLAI sententia, remotis inuolucris et Geometricis vocabulis, planis et

 per-

[a] In *Nicomachi Geraseni Arithmet. introductionem* p. 109. ed. Tennulii.

perſpicuis verbis eam enunciat.[3] Διοτι δε εξ αρχης ουκ αν ειη, φησιν ο Πλατων, ουκ αν ετι αρχη ειη. ευρισκεται δε αναλογως και εν ταις κοσμικαις αρχαις ο δημιουργος θεος μη ων της υλης γεννητικος, αλλα και αυτην αιδιον παραλαβων ειδεσι και λογοις τοις καθ' αριθμον διαπλαττων και κοσμοποιων· ειδεγε τας των λοιπων ετερομηκων εις δυστασεις κατα μονην την προοδον, ως εφαμεν, επιδωσει αυτην η μονας, ουκετι δε και εις επανοδον. *Quoniam vero non erat ab initio, vt dicit Plato, neque hodie erit principium, ſed inueniemus rerum opificem etiam in principiis mundanis non habuiſſe vim generandi materiam, verum illam, cum eſſet aeterna, aſſumſiſſe et ex illa ſecundum formas et rationes numericas formaſſe et condidiſſe mundum: ſi quidem vnitas ad reliquorum altera parte longiorem conſtitutiones ſecundum ſolum proceſſum, vt dicebamus, non autem etiam retrogreſſum ſe dabit.* Haec qui cum Philolai verbis, quae paullo ante attulimus comparauerit, is ſtatim ſentiet, eſſe ea liberiorem et magis perſpicuam expoſitionem eorum, quae obſcurius ab ipſo tradita ſunt. Quae quum ita ſeſe habeant, res ipſa poſtulat vt verbis eius, quae a Clavdiano ſeruata et latine ab ipſo verſa ſunt, ſenſum attribuamus alium, quam adſpectu primo videntur habere. *Nihilum* quod in illis vocatur aut το μη ον *nihilum* haud dubie platonicorum eſt, apud quos quod paullo poſt oſtendemus materia *nihil* appellatur, idque propterea, quia perpetuis conuerſionibus ſubiecta eſt, nec ſtabilitate quadam valet. Quumque *Deus ex nihilo feciſſe omnia* dicitur, hoc ita debet accipi. Deum ex materia, conſtantia et certa natura carente, comparaſſe et

[3] L. c. p. 111.

et condidiſſe hanc vniuerſitatem. *Opere vero inſtituere materiam*, quod Deo quoque adſcribitur, nihil eſt, quam fingere et potentia componere materiam: quae notio verbo *inſtituere* infinitis ſcriptorum Latinorum locis ſubiecta eſt. Valeant igitur et Pythagoraei, quum dogmati de rerum ex nihilo procreatione tutores et patroni ex antiquis aduocandi ſunt.

§. XV.

In Platone refingendo et ad leges diſciplinae Chriſtianae componendo: tot eximiorum virorum elaborauit ſagacitas et induſtria ab ipſis rerum Chriſtianarum initiis, vt numerum eorum vix inire liceat. Hunc ergo quis miretur coactum quoque fuiſſe, vt melius ſentire de rerum originibus videretur, quam re vera ſenſit? Princeps, quod ſciam Clemens Alexandr. inter creationis ex nihilo ſtatores eum conſidere iuſſit. *οποτ᾽ αν ειπη*, inquit,[1] *τον μεν ουν ποιητον τε εδειξε τον κοσμον, αλλα και εξ αυτου γεγονεναι σημαινει, καθαπερ υιον πατερα δε αυτου κεκλησθαι, ως αν εκ μονου γενομενου και εκ μη οντος υποςαντος*. *Plato cum ait: Atque illum quidem effectorem ac parentem vniuerſitatis huius, inuenire difficile: non modo generatum eſſe mundum oſtendit, ſed etiam ab ipſo Deo, tanquam a patre filium, generatum quippe quem ab illo vno ſatum et ex nihilo creatum velit*. Putat vero Clemens et Platonem et alios philoſophos, non ratione et ingenio hanc ſententiam inueniſſe, ſed ex Mosis ſcriptis ſumſiſſe. Et quotquot veterum cum Clemente ſibi perſuaſerunt ex librorum Mosis lectione profeciſſe Platonem ſapientia, in qua ſententia multos eorum fuiſſe notiſſimum eſt, in hanc

[1] *Stromat*. Lib. V. Cap. XIV. p. 701.

hanc eius opinionem simul propendent. E familia iuniorum Platonicorum HIEROCLES et alii quidam idem dogma magistro suo adscripserunt: sed quum hi alia id fecerint ratione, quam Christiani, nec idem quod nos, de rerum principiis senserint, satius erit, genus id extrema disputationis huius parte audire, quam recentioris Academiae de mundi natura et ortu sententias exponemus. Sub ipsum litterarum renascentium exordium Platonici, qui caput in Italia extulerunt, cum multis aliis in rebus, tum hac quoque, PLATONEM plane Christianum fuisse adseuerarunt. Hos inter MARSILIVS FICINVS eminet, homo praeter modum PLATONI deditus; qui tametsi *commentario in Timaeum* [2] in medio videatur hanc quaestionem relinquere, nec dirimere velle: *Num Deus mundi auctor idem ex Platonis sententia materiae quoque sit effector?* tamen in indice PLATONIS operibus, a se editis subiecto, nihil dubitat, illis sese adiungere qui Deum PLATONI visum fuisse materiae conditorem arbitrantur. [3] Alios minoris ingenii et famae, quorum non exiguam producere manum liceret, omitto, quum nihil afferant eximium, decernantque potius quid credi velint ab aliis, quam rationibus sententiam firment. Sufficiet, tres ex recentissimis temporibus viros [4] insignes et laudatissimos nominare, qui prae ceteris studiosi fuerunt in purganda PLATONIS memoria,

[2] Cap. IX. X. p. 1441. Tom. II. opp.

[3] Nam voce *Deus* in *hoc indice* haec verba exstant *Deus omnia ex nihilo creasse* p. 168. De loco, qui hic indicatur, PLATONIS infra differetur.

[4] Adde his, cuius paene oblitus fuissem CVDWORTHVM nostrum *systemat. Intellect.* Cap. V. p. 750. s. Conf. eundem p. 485. vers. Latinae.

ris, nec auctoritate sua, sed testimoniis et argumentis lectorum sibi assensionem comparare voluerunt. Horum primus LIVIVS est GALANTES:[5] is autem ex *Philebo* PLATONIS probare contendit, nil discessisse hunc philosophum a scitis Christianorum de procreatione materiae. Alter est PETR. DAN. HVETIVS,[6] is iuniorum Platonicorum HIEROCLIS potissimam enuntiatis PLATONIS declarat sententiam, quos tamen pessimos magistri sui interpretes esse nec ipsos inter se consentire, haud ignorare vir magnus potuit: Tertium locum ANDREAE DACIERIO adsignabo: [7] is rationibus potius quam testimoniis, quod cupit, obtinere laborat, in quibus non ingenium quidem, sed grauitatem requiras: Verum incredibili doctissimus hiece vir amore PLATONIS incensus erat, quo saepenumero sic abducitur, vt haud multum infra CHRISTVM et sanctissios, eius legatos hominem collocare videatur; qua re accidit, vt leuissimas rationes pro magni momenti argumentis interdum haberet.

§. XVI.

Ingenio et arte si candidior diuinus PLATO fieri posset, atque est reapse, tantis viris opem ipsi suam commodantibus, pulcher dudum et formosus esset redditus. Sed ipse patronos hosce recusat, vetatque sese lauari. Quidnam de origine huius orbis senserit, ex nullo eius libro clarius et melius intelligitur, quam ex illo, cui nomen fecit *Timaeus*. Atqui hoc in *dialogo* tam perspicue aeter-

[5] *Comparat. Theol. Christianae et Platon.* Lib. IX. p. 237.

[6] *Quaest. Alnetanis de concordia ration. et fidei* Lib. I. Cap. V. p. 109.

[7] *Vie de Platon* p. 178. operibus eius quibusdam Gallice versis praemissa.

aeternitatem adscribit materiae, tamque clare Deum tradit materiam non produxisse, sed digessisse tantum et exornasse, clarius vt vix aliquid edisseri queat. Hinc et plerique veterum, qui de eius dogmatibus exposuerunt, tria esse ab eo rerum principia posita, tradunt, Deum, materiam et ideam. Neque illis discipulorum eius, qui praeceptoris sui disciplinam purius et luculentius ceteris explicarunt ALCINOO,[1] APVLEIO et aliis vmquam aliter visum fuit. *Initia rerum*, inquit APVLEIVS,[2] *esse tria arbitratur* PLATO: *Deum et materiam, rerumque formas: quas ἰδέας idem vocat - - - Materiam vero improcreabilem incorruptamque commemorat.* Ipse CHALCIDIVS, qui iuniorum ceteroquin platonicorum vestigia legit, haud tamen inducere potuit animum, vt rem tam apertam et planam vel negaret, vel in dubium reuocaret. *Sunt igitur*, ait,[3] *initia* (PLATONI) *Deus et sylua et exemplum, et est Deus quidem, origo primaria moliens, et posita in actu: Sylua vero, ex qua primo fit, quod gignitur.* Idem alio loco[4] eorum sibi placere sententiam profitetur, qui statuant PLATONEM docuisse, *fuisse semper tam animae, quam corporis, vim: nec Deum ex his quae non erant, fecisse mundum, sed ea, quae erant sine ordine et modo, ordinasse. Itaque potius ea, quae exsistebant, exornasse, quam generasse ea, que non erant.* Praetermitto tot veteres coetuum Christianorum doctores, qui PLA-

TONI

1 *Introduct. in doctrinam Platon.* Cap. XII. p. 338. in THOMAE STANTEII *Historia philosophica.*
2 Libro *de habitud. doctrinae Platon.* p. 3. opp.
3 *Comm. in Timaeum* Platonis Cap. XIII. §. CCCV. p. 39?
4 Cap. II. §. XXXI. p. 287.

TONI non modo dogma eorum, qui aeternam sciscunt esse materiam, attribuerunt, sed etiam grauissimis et longis disputationibus eum propterea adorti sunt. Sunt non pauci veterum, qui existimant, PLATONEM mundum ipsum, non secus ac materiam eius, pro aeterno habuisse, in *Timaeo* vero quo rudiores melius institueret, ita loquutum fuisse, ac si mundus auctore et parente Deo fuisset conditus, neque hi, quod iam alias ostendi, omni destituuntur verisimilitudine.[s] At qui Deum, PLATONE IVDICE mundum ex illis, quae non erant, fabricatum esse opinantur, nihil vsquam reperiunt, quo se tegant, nec ante perficient aliquid, quam ipsum *Timaeum* aut sustulerint, aut PLATONIS opus esse negauerint. Sed lustremus tamen breuiter, quae ipsi PLATONI totque eius sectatoribus opponunt viri docti, vt iure videantur eum Christianis aggregare philosophis.

§. XVII.

CLEMENS ALEXANDRINVS quae attulit ad hanc caussam ornandam, indigna prope sunt, quae refutentur. Nam quid hac imbecillius est argumentatione: PLATO Deum *parentem* et *effectorem mundi* nominauit: Ergo putauit, materiam ex nihilo procreatam esse ab eo? quasi vero is, qui parens hominis cuiusdam aut rei alicuius conditor et effector dicitur, credendus idcirco sit filium aut opus suum de nihilo produxisse? Mutasset sine controuersia CLEMENS sententiam, si quae sequuntur in *Timaeo* PLATONIS in memoriam sibi reuocasset, nec nimio affectus fuisset studio concordiam philosophos inter et Christianos sanciendi. Ex Mosis libris vtrum in suam disciplinam non

[s] *Obseruat.* ad *Cudworthum*, p. 286.

non nihil transtulerit PLATO, nec ne, alio loco commodius disquiretur. MARSIL. FICINVS et CVDWORTHVS sententiae suae praesidium in sequenti PLATONIS loco collocant:[1] ζωα δη παντα θνητα και φυτα, οσα τ' επι γης εις σπερματων και ριζων φυεται και οσα αψυχα εν γη ξυνισαται, σωματα τηκτα και ατηκτα μεν αλλε τινος η θεε δημιεργεντος φησομεν υστερον γιγνεσθαι προτερον εκ οντα. *Animalia cuncta mortalia, plantasque, quaecumque terra ex seminibus, radicibusque nascuntur, et quaecumque inanimata in terra consistunt, siue liquefieri possint, siue non possint, numquid alio quodam opifice fabricata, quam Deo, facta esse cum prius non fuisset, dicimus?* Huic quaestioni paullo post THEODORVS, colloquentium vnus, respondet, persuasum sibi esse, Deo auctore genita esse vniuersa. Quis vero tam male cernit, quin his in verbis intelligat de materiae ortu et creatione minime quaeri, sed de generatione tantum et procreatione animalium et stirpium? Haec certe credebat PLATO[2] a Deo ex materia facta et constructa esse, siquidem ex animi sententia in *Timaeo* loquutus est: at materiam, ex qua fiunt omnia, aeternam simul

[1] In *Sophista* p. 168.

[2] Nescio, qui factum sit, vt vir certe doctissimus, THOMAS GALE, in eamdem ingrederetur sententiam: S… enim *Not.* ad *Iamblichum* de *Myster. Aegypt.* p. 276 *Qua… porro fuerit Platonis sententia de materia, sane in Ti… maeo non satis liquet: videtur quippe materiam Demiurg… opponere et contra distinguere ab eo: in Philebo vero di… serte dicit Deum* το μεν περας δειξαντα αυτων, το δε απει… ρον. *Constat per* απειρον *intelligi materiam.* Lapsus est … ne dubio vir egregius nimis Platonicorum recentioru… amore, qui, quod ipsi cupiunt, in PLATONE inue… niunt.

mul esse statuebat et principii nesciam. Livivs
GALANTES alium eius dialogum, *Philebum* nimi-
um, suppeditare posse tantum opinatur, quan-
um satis est ad hominem hac ex parte defenden-
dum. Describam ipsa eius verba, quo melius de
rgumenti grauitate constet. *Materiam primam,*
nquit, *summus ille Deus produxit, exemplar vel*
mundus idealis corpus dedit vel vestigiis quibusdam
formatum ornauit, quod corpus visibile factum et
rnatum mundum hunc conformarunt. Haec
praeclara et scitu digna positio Platonis in Phil.
auctoritate confirmatur. Sunt verba ipsius in
Philebo, vnum illud primum ex se et non ex nihilo
produxisse περας et απειριαν, *hoc est, terminum*
et finem, vel infinitatem, quae tamquam duo prin-
cipia mixtionis entium omnium per entia et corpora
permearent in corporibus hisce completis: finis et
terminus est ipsa forma, infinitas vero est ipsa ma-
teria. Sequuntur nonnulla in hanc sententiam
alia: ORPHEVS etiam et HERMES eiusdem dogma-
tis amici et statores fuisse traduntur: verum mi-
nus est in his momenti, quam vt necesse sit, ver-
ba scriptoris ipsa legenda hic exhibere. Nimis
autem vigilauit, ita quum PLATONEM exponeret
GALANTES, quam necesse erat, nec vel potuit sen-
tentiam eius adsequi, vel iunioris familiae Plato-
nicae auctoritate, vtpote cuius interpretationibus
non parum tribuit, impeditus fuit, ne vim ora-
tionis eius perspiceret. Vetus scilicet est haec
Philebi Platonici interpretatio, nec a GALANTE
primum inuenta, sed a Platonicis illis sumta, qui
conciliationem omnium antiquorum sapientum
maxime PLATONIS et ARISTOTELIS tentarunt. Te-

ſtis huius rei praeter alios PROCLVS erit: [3] qui e
recentiori memoria BESSARIONEM ſocium dabo, car
dinalem, quem notum eſt PLATONIS ſtudioſiſſi
mum fuiſſe, et ex antiquioribus Platonicis con
geſſiſſe fere omnia, quae ad illuſtranda magiſtr
ſui dogmata diſputat. Is igitur: *Iam vero inquit,*[4]
in Philebo materiam non extrinſecus quaeſitam, ſed
a primo opifice generatam manifeſtiſſime declarat.
Ex vno inquit et multis conſtant ea; quae ſemper
eſſe dicuntur, et finem atque infinitudinem habent
in ſe ipſis generatam. Et alibi Deum dicebamus
duplicem illam naturam rerum in lucem protuliſſe,
finitum dico et infinitum, ex quibus tam corpora
tum cetera omnia conſtituuntur. Ad haec calidum,
frigidum, humidum, ſiccum, maius etiam et mi-
nus et reliqua his ſimilia in infinitum progredi poſ-
ſunt. Quod ſi corpora ex fine et infinitudine con-
ſtant, finis autem nihil aliud, quam forma eſt,
haec enim terminat definitque materiam, manife-
ſtum eſt, materiam infinitudinem eſſe: et hoc loco
dici a Platone: quapropter cum omnem infinitudi-
nem producat Deus, materiam etiam quae vltima
infinitudo eſt producere: Quamquam haec ſenten-
tia non impediuit hos Platonicos, quo minus
ſtatuerent ſimul PLATONI, non ſecus ac ARISTO-
TELI, mundum aeternum fuiſſe viſum: qua de re
infra diſſeremus. Nunc GALENTI operam da-
bimus, qui Platonicos ſequitur. Sumit is pri-
mum ſibi, ἀπειρίαν in PLATONIS *Philebo* ipſam eſſe
materiam, πέρας vero *formam materiae*: Dein
de PLATONEM aſſeuerat ſcriptum reliquiſſe, Deum
ἀπειρίαν ſeu *materiam* produxiſſe. Vtrumque
nem

[3] *Comm.* in *Timaeum Platonis* Lib. II. p. 117.
[4] Lib. II. in *Calumniator. Platonis* Cap. V.

nemo dederit homini, nisi cui PLATONIS *Philebus* numquam studiose lectus fuit. Statuit PLATO siue SOCRATES sub dialogi huius initium supremum Numen in rebus omnibus, quae facta sunt, et genita, *απειριαν infinitum* et *περας terminum* seu *finitum* coniunxisse inter se atque sociasse. *τον θεον*, inquit SOCRATES inter alia, *ελεγομεν πȣ, το μεν απειρον δειξαι των οντων, το δε περας. Deum dicebamus ex iis quae sunt alterum quidem infinitum, alterum vero terminum ostendisse.* Haec ipsa sunt illa verba, quod perspicuum est, quae GALANTIS caussae suae imprimis opinatur fauere, in quibus tamen qui creationem ex nihilo cernit, nae is aliis, quam ceteri homines, oculis instructus sit necesse est. Postulat, vt credamus, GALANTES *δειξαι* hoc in loco idem esse, quod *producere*: in quo iuniores Platonicos, quod vidimus, audit. *Materiam*, inquit, *docet* PLATO *ostendi et hoc praecise vtitur verbo, quod verbum ipsi (Platonici) interpretantur producere. Et sane quod productum est, principio etiam ostensum est non carere. απειρον* deinde censet materiae nomen esse. His positis, sententiam concludit verborum PLATONIS hanc esse: *Deus materiam ex nihilo produxit et forma seu termino donauit.* Temere praefecto ac sine vllo iudicio? quis hominem docuit *δειξαι* idem esse, quod *producere ex nihilo*? Quis *απειρον materiam* designare testis est? Recentiores sine controuersia Platonicos auctores nominauit. Sed his nemo sanus tantum tribuet, vt plus eis fidei habendum esse, praecipiat, quam rationi et circumspectae verborum PLATONIS considerationi. Est in hoc PLATONIS dicto, cuius vim nec cepit FICINVS, qui infinita philosophi huius peruerse

M 2 expo-

exposuit, plana haec et simplex sententia: *Deu. ostendit seu patefecit vbique rerum, quae sunt e. existunt, cum infinitatem tum finitatem.* Atqu(hanc expositionem totius orationis series confirmat et roborat. Απειρον vero tantum abest, vt materiam designet apud PLATONEM, vt potius nomen sit multarum notionum et affectionum ab omni concretione corporea remotarum. Experiar, num hanc PLATONIS de *infinito* et *finito* philosophiam ita mihi explanare liceat, vt ab omnibus intelligatur. Non ea quidem in se valde abstrusa et difficilis est, at plerosque conturbat idcirco, quod nec ad nostras disserendi et philosophandi leges accommodata est, nec facile capitur, nisi ab eo, qui mentem rerum adspectabilium formis et speciebus antea purgauerit et ad notionum abstractarum contemplationem extulerit. Απειρον vel *infinitum* SOCRATI, seu potius PLATONI, dicitur totum illud genus affectionum rerum, qualitatum, quae in se et abstracte spectatae certum modum et finem haud habent, sed vel augeri vel minui, intendi et remitti rursus possunt: est igitur in hoc genere voluptas, dolor, frigus, calor, tarditas, velocitas, pulchrum, deforme, et reliqua innumerabilia quibus addi aliquid, vel demi potest, nec terminus et finis praescriptus est et constitutus a natura. Vno verbo: *Infinitum* PLATONIS abstracta est notio rerum, proprietatum, qualitatum et affectionum omnium, quatenus fine carent et crescere possunt, vel decrescere. Docebo hoc ipsius philosophi verbis: [s] οποσ αν ημιν φαινηται μαλλον τε και ηττον γιγνομενα και τα σφοδρα και ηρεμα δεχομενα, και το λιαν και οσα

[s] *Philebo* p. 28.

ατα τοιαυτα, παντα εις τȣ απειρȣ γενος ως εις εν παντα ταυτα δει τιθεναι. *Quaecumqne magis ac minus vehementer ac remisse, nimisque et huiusmodi quaedam admittunt, cuncta in vnum infiniti genus reducenda sunt.* Iam quid περας seu *finis* sibi vult, qui *infinito* opponitur? Id non tam perspicue PLATO est eloquutus, qui in notionibus et speciebus rerum a materia secretis definiendis praeter modum saepenumero obscurus est, et PYTHAGORAE dicendi rationem sequitur. Θυκȣν, inquit, τα μη δεχομενα ταυτα, τȣτων δε τα εναντια παντα δεχομενα, πρωτον μὲν το ισον και ισοτητα. μετα δε το ισον, το διπλασιον και παν ο, τι περ αν προς αριθμον αριθμος, η μετρον προς μετρον, ταυτα ξυμπαντα εις το περας απολογιζομενοι. *Quae vero talia quaedam minime, sed horum contraria accipiunt omnia, primo quidem aequale ipsum atque aequalitatem, post aequale etiam duplum et singulas inde proportiones, quascunque ad numerum numerus, et ad mensuram mensura habet, haec inquam omnia in genus finiti referimus.* Haec quis sine interprete intelligat? quaenam sunt res illae, quae nec maius, nec minus recipiunt, at aequalia tamen vel inaequalia, simplicia, dupla, tripla fieri possunt? Haec enim PLATO ait genere illo comprehendi, quod περας seu *finem* et *finitum* vocat. Docet hoc attentum lectorem ex vniuersa disputatione meditando et suspicando eruere. Aut totus ego fallor, aut ex omnibus, quae disserit philosophus liquet, περας et *finitum* ipsi dictas fuisse rerum mensuras, modos, proportiones, numeros, sed extra res ipsas et abstracte spectatas. Pythagoraeorum enim more et instituto numeros, modos, proportiones, id quod vel ex *Timaeo*

apparet, tamquam res exiſtentes licitum ſibi duxit intueri, quemadmodum et de notionibus formisque rerum, tamquam de naturis vere exiſtentibus, loqui ſolet. Quo circa περας nihil eſt, quam vocabulum quod abſtractam notionem numerorum omnium menſurarum et proportionum deſignat, quibus res vniuerſae affectiones et qualitates, quae in ſe modo vacant, temperantur, definiuntur et terminantur, certus vt concentus et harmonia rerum et qualitatum inter ſe oriatur. His declaratis, haud graue amplius intellectu erit, quid ſignificare voluerit Plato, quum dixerit, ex finito et infinito miſta et temperata eſſe omnia, aut *infinitum* vt ipſe loquitur in rebus omnibus termino quaſi deuinctum eſſe,[6] (ξυμπαντων απειρων υπο του περατος δεδεμενων) Deum item in rebus omnibus genitis infinitum coniunxiſſe cum termino et finito. Haec nimirum eius eſt ſententia, res, qualitates, proprietates et *affectiones*, quae fine et modo in ſe carent, ſapienter vbique determinatas et pondere, numero, menſura definitas eſſe ad pulcritudinem rerum et animalium felicitatem efficiendam. In arte, verbi cauſſa, muſica finitum copulatum eſt cum infinito: et ex hac ſocietate concertus naſcitur, qui aures et animum recreat. Soni ipſi in ſe ſpectati, ſiue graues ſint, ſiue acuti, ſiue veloces, ſiue tardi, in eo ſunt genere, quod infinitum dicitur: minus enim et maius recipere, remitti et intendi poſſunt. Sed ars huic infinito terminum ſeu finem addidit, id eſt, certo modo infinitatem ſonorum, ſeruata proportione circumſcripſit et definiuit, vt harmoniae ſuauitas exoriretur. In

vni-

[6] *Philebo* p. 79.

vniuerſitate hac, in quauis eius parte, in ſingulis animantibus res, qualitates proprietates ſunt natura ſua modi omnis neſciae: adeſt igitur vbique infinitum. At mens et ſapientia diuina terminum et finitum addidit, quae ignem, frigus, humidum, ſiccum, durum, graue, molle, voluptatem, dolorem, et reliqua certis vbique legibus definiuit ad vniuerſi omniumque eius partium ſalutem firmandam: Itaque et finitum ſeu terminus vbique exſtat. In quouis homine cupiditates ſunt, quibus nullum naturae modum poſuit: at viri ſapientis ratio his terminum et finitum adiicit, et certe menſura vagantes libidines coërcet. Eſt ergo et in viro ſapiente *περας και απειρον*, *finitum* et *infinitum*. Suſpicor, fore aliquos, qui dicent non nimis reconditam et ſublimem hanc eſſe Socratis vel Platonis ſapientiam; verum in ſe facilem et apertam, potuiſſe haec omnia ſimplici ratione et popularibus verbis enunciari: nec laudandos idcirco eſſe hos homines, quod nouis vocabulis et differendi ſubtilitate obſcuriora fecerint ea, quae in ſe parum habent obſcuritatis. Cum his ego magnopere haud pugnauerim hoc loco: fatebor potius in Platonis pleriſque diſputationibus demonſtrandi et docendi viam nimis mihi longam, impeditam et a vulgari captu remotam, orationem multo magis poëticam et figuratam, quam ſimplex veritatis ratio patitur, videri. Sed recordari tamen ſimul omnes velim, ſuum cuique ingenium et tradendi modum eſſe, quod ſapientem aequo animo ferre oportet, grauesque Platoni fortaſſis ſuiſſe cauſſas, quas ignoramus hodie, cur inuſitata paſſim vocabula circuitus et obſcuritatem ſimplicitati et breuitati praeferret. §. XVIII.

§. XVIII.

De Hvetii testimoniis, quibus effecturum sese sperauit, vt *Plato* aeternitatem materiae negasse videretur, nunc sileo: sumta enim sunt, quod iam dixi ex Hierocle et eius similibus, de quorum rationibus sigillatim exponere constitui. Ad Dacierii ergo rationes progredior, quibus Platoni succurrendum esse duxit, ne diutius inter aeternitatis materiae patronos referretur. Is ita primum ratiocinatur: [1] *Incredibile est, tantum philosophorum, qui toties professus est, vnum tantum esse Deum, tam turpiter labi potuisse, vt materiam diceret aeternam esse. Materia si aeterna esset, Deus forit: igitur duo essent Dii quod Plato auersatur et reiicit.* Summa argumenti haec est: qui vnum esse Deum sciscit, is non potest simul statuere, materiam esse aeternam. Ita quidem est, vir doctissime, si homo is secum ipso consentiat et dogmati suo de vno Deo conuenienter docere velit. At quis nescit, multos philosophorum haud pauca suscepisse, quae pugnant inter se, neque omnes dogmatum suorum consequutiones perspexisse? Idem Platoni accidit: qui quum toties de vno Deo loquatur, haud tamen existimauit vel vidit, tolli vnitatem Dei, si materia aeque aeterna censeatur, atque ipse Deus est. Idque tanto minus est admirandum, quanto certius constat, innumerabiles praeter Platonem alios in idem incidisse peccatum, quumque vnum con-

[1] *Vie de Platon* p. 178. *Mais un philosophe qui etablit en tant d'endroits l'unité de Dieu, ne peut etre tombé dans une erreur si grossiere: si la matiere etoit eternelle, elle seroit donc Dieu et il y auroit deux Dieux contre ce qu'il a etabli.*

confiterentur Deum esse, perrennem ei tamen materiam adiunxisse: quibus omnibus defensio parata foret, si DACIERII liceret viam inire. ARISTOTELES tametsi de natura diuina secus, atque fas est, senserit, vnam tamen esse primam caussam adseuerauit: idem quod notum est, mundum aeternum esse duxit. Puta vero, sumere tibi id concessum esse, quod vir hic eruditus sibi sumsit et ARISTOTELEM sine negotio purgabis a foedo hoc errore. Is enim, dices, qui vnum esse Deum fatetur, non potest vna mundo aeternitatem adscribere, ita enim duo essent Dii, non vnus. Decet eum, qui veterum philosophorum sententias explorat, non quid illi sentire debuissent, exquirere, si decretis et praeceptis suis conuenienter docere voluissent, nec a semet ipsis vllo modo desciscere, verum id illis tribuere, quod verbis perspicue expresserunt et professi sunt, etiamsi male ceteroquin ad reliqua eorum dogmata quadret. Audiamus alterum viri doctissimi argumentum: [a] *Plato, inquit, haud potuit materiam pro aeterna habere: nam animam statuit corpore antiquiorem esse. Quod si anima corpore est antiquior, corpus haud dubie initium habuit et conditum est.* Certum est, quod in hac ratione fundamenti ponitur vice, tradidisse PLATONEM, animam omni corpore vetustiorem esse ac priorem. Caue vero, credas, ex hoc eius dogmate effici posse, materiae initium adscriptum esse ab eo. Miror, hominem eruditum, qui PLATONEM ver-

M 5

[a] *Platon ne peut avoir pensé que la matiere fut eternelle, puis qu'il assure, que l'ame est plus ancienne, que le corps: car l'ame estant plus ancienne que le corps, le corps est donc crée et par consequent il ne peut estre eternel.*

vertendum ſibi ſumſit, tam ignarum fuiſſe dictionis Platonicae vt neſciret, multum ab eo diſcriminis poni inter υλην et inter σωμα υλη PLATONI prima materia eſt, ex qua facta ſunt omnia σωμα corpus ipſi figuratum eſt, quod ex materia conſtat prima et ex forma, et qualitatibus, quas Deus induxit in materiam. Eamdem differentiam inter haec duo vocabula ſtudioſe ſeruarunt praeſtantiſſimi quique eorum qui PLATONEM magiſtrum ſibi adſciuerunt: Quod me alio loco luculentius et copioſius demonſtrare memini.[3] Sed fugit hac multos, qui ex noſtris notionibus veterum aeſtimant vocabula; quare fit, vt incauti in errores ſaepe incidant haud mediocres. Corpore figurato et a Deo formato animam priorem et antiquiorem eſſe, omnino PLATO tradidit: ſed nusquam praecepit, υλην ſeu materiam primam, quae ſubiecta eſt omnibus corporibus, anima iuniorem eſſe. Quod tertio affert vir eruditus, id iam ſupra vanitatis conuincimus: nam commune id cum CLEMENTE habet ALEXANDRINO. Putat nimirum, quod PLATO Deum vocat *parentem et opificem huius mundi*, id argumento eſſe, cognitam ipſi fuiſſe creationem ex nihilo. Nomine enim *parentis* indicari, Deum ex nihilo procreaſſe materiam: vocabulo vero ποιητης ſeu *opifex*, procreatam materiam ab eodem cultam, digeſtam et exornatam eſſe.[4] Ingenioſe quidem? Verum PLATO vetat nos

[3] Factum illud eſt ab auctore perſpicaciſſimo ac feliciſſimo veterum interprete in *Obſeruat. ad Cudworth.* Cap. I. §. XL. p. 59. n. 2. (M)

[4] *Il appelle Dieu Pere ou Createur et Ouvrier du monde. Par la qualité de Createur, il marque qu'il a tiré le monde du neant et par celle d'Ouvrier, il fait entendre qu'aprés avoir crée, il luy a donné l'arrangement et l'ordre.*

nos huic verborum suorum interpreti fidem habere. Nam in ipso illo *Timaeo*, in qua haec Dei nomina leguntur, clarissimis verbis materiam praedicat aeternam esse: ex quo liquet, male haec vocabula a viro doctissimo exponi. Non id praeterit eum, materiam a PLATONE diserte dici aeternam, nec ignorat, obesse id potissimum sententiae suae, ne recipiatur ab omnibus. Sed inuenisse tamen sese aliquid opinatur ad hoc impedimentum de medio remouendum. PLATONEM nimirum contendit, quum ab aeterno, exstitisse materiam scribit, non de illa, quae tangitur, cernitur et tractatur, materia hoc intellectum velle, sed de forma et specie materiae huius, seu, de *materia*, vt sic dicam, *ideali*. Fuit ex infinito tempore et ab omni aeternitate in mente diuina species et notio materiae illius, quam certo demum tempore ex iis, quae non sunt, fingere Deus statuerat: haec aeterna notio materiae, si DACIERIVM audias, a PLATONE designatur, quum materiam scribit initio carere.[5] Propius haec sententia remota est ab illorum opinione, quos perhibere memorat ADAMVS TRIBBECHOVIVS[6] veteres, quum materiam adseuerarunt aeternam esse, *per materiam intellexisse potentiam creandi mundum, quae ab aeterno in Deo fuerit*. Hanc quisquis vbique interpretanti artem adhibuerit, is continuo, leuissimoque labore perficiet, vt nullus sit tam ater et capitalis veritatis et religionis omnis hostis, quin

[5] *Quand Platon a appellé, la matiere eternelle, il n'a pas voulu, faire entendre qu' elle subsistoit visiblement de toute eternité, mais qu' elle subsistoit intelligiblement dans l' idée eternelle de Dieu.*

[6] *Veritas creationis mundi* Cap. II. p. 279.

quin mundus ſanctus et omnis labis neſcius appareat. Verum ſapientiores, opinor, oportet eſſe, qui veritatis ſine vllo partium ſtudio cupidi ſunt, nec quod optant docuiſſe philoſophorum aliquem, ſtudio et arte ex dictis eius exprimere, ſed ea, quae oratione et verbis apertis profeſſus eſt, ipſi tribuere, ſi vel maxime dedecori ſint illi. Nihil ad veritatis, nihil ad religionis accedit dignitatem et praeſtantiam, ſi veterum magiſtrorum aliqui meliores credantur fuiſſe, atque reapſe fuerunt: contra praepoſterum hoc ſtudium philoſophos cum chriſtianis ſociandi, incrementis doctrinae coeleſtis non raro nocuit. Redeo ad Platonem quem Dacierius de notione et forma materiae non de ipſa materia loqui tradit, quum aeternam eſſe eam ſciſcit. Latebram elegit vir doctiſſimus parum tutam, ex qua ipſe eum Plato, quem nimis amat, protrahet. Primum Plato mundum et materiam inter ſe opponit in *Timaeo:* illum affirmat initium habuiſſe et auctore *Deo* coepiſſe. Hanc aeternam eſſe dicit. Haec quomodo cum arguta illa interpretatione Dacierii conueniunt? Mundus eodem modo aeternus eſt, quo materia, ſi de notione tantum et forma eius quaeratur: nam quis neget, aeternam mundi formam intelligentiae diuinae obuerſatam eſſe? Platonem igitur quid commouiſſet, vt mundum negaret, materiam affirmaret, aeternam eſſe? Dicemusne tantum qualis Plato fuit, virum tam inconcinnum fuiſſe, vt notionem materiae ipſi mundo vere exſiſtenti opponeret, hunc coepiſſe, illam numquam coepiſſe, affirmaret? Equidem plus faueo memoriae hominis, quem diuinum dixit antiquitas, quam vt hoc ab ipſo factum eſſe credam:

credam: nec, si credere id vellem, *Timaeus* eius id pateretur. Scilicet, ex ipsa materia illa, quam aeternam pronuntiat, Deum PLATO docet mundum finxisse et construxisse. Finge, materiam speciem et notionem esse materiae: Ergo hoc dicet philosophus, ex notione et aeterna specie materiae mundum a Deo conditum esse: quo quid fieri potest amentius? Eamdem materiam, quam vocat aeternam, *Plato* ait turbulentam, malignam variisque motibus sine lege ac ordine agitatam fuisse, antequam Deus ad eam componendam et mundum construendum accederet. Θεος, inquit, [7] *οσον ην ορατον παραλαβων, ουχ ησυχιαν αγων αλλα κινουμενον πλημμελως και ατακτως, εις ταξιν αυτο ηγαγεν εκ της αταξιας. Deus, quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet, sibi assumsit, non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluctuans, idque ex inordinato in ordinem adduxit.* Eumdem satis notum est tradidisse, malitiam et pertinaciam materiae obstitisse voluntati supremi Numinis, ne talem faceret ex ea mundum, qualem voluisset, mali omnis et vitii expertem. Sapiensne sibi aliquis persuaserit in aeternam materiae notionem quae in mente fuit diuina, haec et eius generis alia cadere posse? Num aeterna species materiae in diuina intelligentia dici potest inordinata, maligna, quietis ignara, turbulenta fuisse, priusquam Deus eam in ordinem redigeret? Num eadem impetiuisse Deum perhiberi potest, ne omne vitium et malum mundo, quem fingere volebat excluderet? Legant, qui pluribus argumentis edoceri volunt, quam vana

[7] In *Timaeo* Cap. XIV. p. 527. Conf. DIOGENES LAERTIVS Lib. III. Segm. 69. p. 207.

vana sit haec viri docti sententia, ipsum *Timaeum*, et vbique nihil sentient excogitari posse, quod magis aduersetur huic libello.

§. XIX.

Antequam PLATONEM dimittam, nil alienum fecero ab instituto meo, si saxum aliquod praeteriens de via tollam, ad quod offendere possent, et offenderunt iam eorum aliqui, qui philosophum hunc enixe cupiunt Christianum fauere. Frequens mentio fit in scriptis PLATONIS et sectatorum eius *τȣ μη οντος*, seu *nihili* tamquam naturae cuiusdam existentis, ex qua constant et gignantur omnia. Hoc qui vident, nec periti satis sunt sermonis huius philosophi, facile in hanc veniunt cogitationem, nil inter se differre quae a Christianis et a Platonicis de rerum ortu et initiis traduntur. Id igitur ne fiat, animaduerti debet, PLATONI omnia, quae a perpetuitate et constantia absunt, quae oriuntur et occidunt, quae augentur et diminuentur, *nihilum* et *τα μη οντα* appellari: Quumque omnia, quae sub sensus cadunt, omnis materia et cuncta, quae ex illa procreantur, corpora, eius sint generis, ideo et haec isto nomine apud ipsum veniunt. Pulcre hac iam obseruauit CICERO, cuius haec verba sunt: [1] NIHIL *Plato putat esse quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, qualem ideam appellat ille, nos speciem.* Idem DIOGENES LAERTIVS significandum sibi esse duxit: *το νȣν*, inquit, [2] *αισθητον και ον καλει και μη ον. ον μεν δια το γενεσιν αυτȣ ειναι. μη ον δε, δια την συνεχη μεταβολην. Sensibile vocat Plato et quod est, et quod non est.*

[1] *Tuscul. Quaest.* Lib. I. Cap. XXIV. p. 2598. Tom. VIII. opp.

[2] *De vitis philosophorum* Lib. III. Segm. 64. p. 202.

Esse quidem propter generationem: non esse autem, propter assiduam mutationem. Iuniores Platonici eodem vocabulo *materiam* appellare solent: nec tamen omnino huic generi cum magistro conuenit. Etenim hic omne quod sensibus subiicitur, omnem materiam, siue ea, vt formarum et qualitatum expers siue vt qualitatibus praedita et in corpora coacta est, spectetur, *nihilum* et id, quod non est, nominat. Illi vero tantum materiae, quatenus abstracte concipitur animo, quatenus corpori opponi opponitur, quatenus extra omnem formam, figuram et qualitatem in se consideratur, hoc nomem imponunt, numquam vero materiam, vt corporibus continetur, vt formis et affectionibus praedita et spectabilis est, hac nota designant. Plotinvs de materia hac informi, quam sola mens videt ac contemplatur: υλη, inquit,[3] *μη ον αν εικοτως λεγοιτο. Και ουχ ωσπερ κινησις μη ον, η στασις μη ον αλλα αληθινως μη ον ειδωλον και φαντασμα ογκου και υποστασεως υφεσις. Materia merito non ens appellatur, neque tamen ita non ens dicitur, vt motus vel status non ens dici solet, sed reuera non ens, simulacrum et imaginatio molis, appetitioque subsistentiae.* Eadem et iisdem fere verbis apud discipulum eius, Porphyrvm[4] legas, qui *αληθινον μη ον*, *verum non ens* dicit materiam et subtiliter quaedam, quo rationem huius nominis reddat, disserit. Inuenit autem *prima materia* hoc nomen apud philosophos istos ideo quod certam haud naturam et fixam habet, sed in singulis rebus et corporibus variat faciemque

[3] *De impossibilitate corporeor.* Ennead. III. Lib. VI. Cap. VII. p. 310.

[4] *Sententiis ad intelligibil. ducentib.* §. XXI. p. 226.

que mutat. Adhibet id ipsum de materia vocabulum. DIONYSIVS ille, qui se falso *Areopagitam* nominat:[5] quem locum quum explanant interpretes eius MAXIMVS et PACHYMERES, his vtrique verbis caussam eius nominis explicant.[6] *λεγεται δε μη ον η υλη, ουχ οτι παντελως ουδεν εστιν αλλ' οτι μη εστι. Materia autem dicitur* non ens, *non quod omnino nihil sit, sed quod non ens*,[7] id est, quod stabili et immutabili natura caret. Sunt doctissimi viri, qui cum nomen hoc, quod Platonici materiae dare solent, tum cetera, quae haec secta de materia perhibet, nimis premunt, nec male se facere opinantur, quum ex illis efficiunt, materiam Platonicorum reapse nihil esse et nullum: sed hi mihi, quod iam alio loco declaraui,[8] nimis, esse duri videntur aduersus hanc familiam nec in notionibus vocabulorum, quibus ea vtitur expendendis et vniuersa philosophandi ratione quam sequitur, exploranda, tantum posuisse diligentiae, quantum fas fuerat. Apud *Peripateticos quidem*, inquit MARSILIVS FICINVS,[9] *si quis materiam non ens diceret hanc omnino diceret nihilum. Sed apud Platonicos, qui ipsam vnius naturam latius quam naturam entis longiusque sursum deorsumque protendunt: quamuis materiam dicas* non ens, *non tamen habes eam pro nihilo*[10]. Inter recen-

[5] Libro de *diuinis nominibus* Cap. IV. §. 18. p. 570. Tom. I. opp.

[6] Scholiis in *Dionysium* p. 618. et 608.

[7] Haud dubie typothetae peccato pro: *non est*. (M.)

[8] Repete §. VII. (M.)

[9] *Comment. in Plotini* libr. *περι υλης* Cap. XVII. p. 1654. Tom. II. opp.

[10] IO. SCOTVS ERIGENA *de diuisione naturae* Lib. III. Cap.

centiorum temporum philosophos ROBERTO FLVD-DO totque aliis, qui sapientiam huius hominis admirantur et propagare student, Platonicorum hunc morem imitari et materiam *nihilum* appellare placuit: quod quidem cum ob alia, tum propter hanc caussam facere videntur, ne apertum fiat, distare non leuiter doctrinam suam de rerum originibus ab ea, quam Christiani coetus vbique probant. Quamuis scilicet Christianis vtantur verbis, quum de mundi loquuntur initio, nec secus, atque nos e *nihilo* producta esse omnia dicant: haud tamen eamdem, quam nos vocabulis suis potestatem subiiciunt, sed nomine *nihilum* sigillatim rudem eo informem materiam designant, quam alterum volunt esse rerum principium. Erudite has insidias detexit praeter alios PETR. GASSENDVS, cuius verba legisse iuuabit.[11] *Quod ad creationem, caue etiam productionem rei ex nihilo intelligas, eo sensu quo Theologi vulgo genesin mundi interpretantur, quae a* MOSE *descripta est. Quamquam enim* FLVDDVS *vsurpat et verba et Historiam* MOSIS: *symbola tamen ipsi omnia sunt. Nomine igitur creationis intelligit primo productionem seu generationem cuiuslibet rei, quae in tantum dicitur ex nihilo esse, in quantum est ex tenebris, seu materia. Quae ipsi appellatur nihil. Dicitur vero etiam a Deo*

Cap. XIV. p. 118. *Multi saecularium philosophorum informem materiam coaeternam esse Deo putauerunt, de qua omnia sua opera fecit, quam materiam propterea* NIHIL *dicebant, quia prriusquam formas et species a Deo acciperet, non apparebat ac veluti penitus nihil erat. Quidquid enim omnino caret forma et specie non immerito potest vocari* NIHIL.

[11] *Examine philosophiae Fluddanae* part. I. p. 218. Tom. III opp.

Deo et ex Deo esse, quatenus lux, quae ipsi est Deus dum materiam discutit, apparat, informat rem quaque ipsam constituit. Interiorem philosophiae huius naturam nunc aperire et edisserere, necess non est: quod quidem remotum foret ab instituto meo: monitos tantum occasione sic ferent eos volo, qui scripta horum hominum legunt quibus obruere orbem Christianum non desinunt ne verborum sonis nimis fidant, sed potestate potius eorum ex dogmatibus ipsis intelligere et diiudicare studeant.

§. XX.

Aristotelis philosophiae dogma *de aeternitate mundi* ita est innexum, vt, hoc sublato, non mediocrem illius partem vna corruere atque concidere oporteat. Aufer ex disciplina eius aeternitatem mundi, nec habebis amplius, quo fulcias ea, quae idem de coelo, de Deo, de intelligentiis et aliis rebus praecepit: nam quaecunque de his tradidit, vno prope hoc fundamento nituntur. Itaque veterum haud dubitauit aliquis, siue faueret partibus eius, siue cum illo dissentiret, quin mundo et motui non minus atque caussae et auctori eius initium omne derogasset. Sed quid non audent illi, qui coeco hominum studio et amore ducuntur? inuenti sunt inter Christianos, qui Aristotelem, obtorto collo et plane renitentem, in eorum adscripserunt numerum, qui Deum ea, quae sunt, ex illis, quae non sunt, comparasse credunt. Gentem quae *scholastica* dicitur, Aristoteles, quo vnice delectabantur, tam praepostere studiosam fuisse, Dan. Georg. Morhofius tradit: [1] *scholastici quidem*, ait, *persuadere nobis*

[1] *Polybistor. Philos.* Lib. II. part. I. Cap. XII. §. 9. p. 227.

nobis volunt, quod Aristoteles materiae primae creationem ex nihilo agnouerit. Hi quinam sint ignorare me fateor; nec puto temporis, quo nihil mihi carius, partem aliquam in exquirendis eorum nominibus bone a me et vtiliter positum iri, qui opinioni tam peruersae operam suam commodarunt. Satis mihi locuples MORHOFIVS auctor est, vir infinitae lectionis et accuratae diligentiae. Noui enim audax et temerarium factionis huius ingenium, nec ipsum THOMAM AQVINATEM [2] ignoro, probare conatum esse ARISTOTELEM non absolute et simpliciter, verum comparate tantum et certo modo pro aeternitate mundi dimicasse: cuius quidem auctoritas multis persuasit, vt maius etiam aliquid tentarent et omnem turpitudinem tanto philosopho detrahere niterentur. Post scholasticos, qui vocantur, doctores GEORGIVS TRAPEZVNTIVS, non ignobilis e graecis saeculo decimo quinto scriptor, contendit, ARISTOTELEM, quem non secus, ac Deum colebat, nihil de ortu mundi et materiae statuisse, quod Christianum dedeceret, [3] quod ex BESSARIONE aduersario eius, liquet, qui hanc hominis sententiam omni exuit veritatis specie. [4] Ex recentioribus stagiritae admiratoribus multos nominare liceret, quibus idem, quod

[2] *Summae* Part. I. Quaest. XLVI. Art. I. Consentiunt cum THOMA hac in re ex Scholasticis doctoribus multi, vid. *Conimbricenses* Iesuitas in *Physic. Aristotelis libros* Lib. IIX. Cap. II. p. 378.

[3] In *comparatione Platonis et Aristotelis, Venet.* 1523. in 8 edita. Lege LEON. ALLATIVM de *Georgiis et eorum scriptis* §. L. p. 726. ad calcem Volum. X. *Biblioth. Graecae* IO. ALB. FABRICII.

[4] *Aduersus calumniatorem Platonis* lib. III. c. XIII. XX. XXVII. *ed. Romanae* sine anni mentione editae.

TRAPEZVNTIO visum fuit: nam Peripateticis id contingit, quod plerisque eorum, qui sectae cuidam sese totos dediderunt, et libertati, quam a Deo acceperunt, nuntium miserunt, quorum alter alterum ratione et iudicio nullo adhibito, sequitur, idque probat, quod ab aliis probatum et iudicatum videt. Sed binis contentus ero, quorum in nostro coetu non obscurum nomen est. Alter est Io. ZEISOLDVS, cuius exstat liber de *Aristotelis cum scriptura sacra consensu*, in quo multis inter alia disputat, *dari*, vt verbis eius vtar, *iuxta* ARISTOTELEM *verum mundi principium et creationem cum nouitate essendi.*[5] Alter ADAMVS TRIBECHOVIVS qui ZEISOLDVM ARISTOTELEM omni infamia hac in re egregie liberasse opinatur;[6] cum hoc hominum genere, vt certamen hic instituam, necesse non est, solem enim obscurare volunt, idque dubium facere, quod nullis dubium esse potest, quibus vel elementa philosophiae peripateticae non ignota sunt. Praeterea dudum eruditi viri, quorum alioquin suspecta haud est in ARISTOTELEM pietas solidis rationibus eorum profligarunt errorem, et ex ipsis Stagiritae scriptis demonstrarunt, placuisse ipsi quod LACTANTIVS ei tribuit,[7] *mundum semper fuisse, ac semper futurum*; inspici velim prae caeteris Iesuitas *Conimbricenses*,[8] BENED. PERERIVM,[9] FRANC. PATRICIVM,[10] et ex nostris

5 Disp. II. Artic. I. §. I. p. 60. et §. XIII. p. 71.
6 *Veritas creationis mundi* c. II. p. 279.
7 *Institut. diu.* lib. VII. c. I. p. 774.
8 *Comm. in libros phys. Aristot.* lib. VIII. c. II. quaest. III. Art. I. p. 375. et quaest. IV. p. 382.
9 *De communibus rer. natural. principiis et affect.* lib. V. c. VII. p. 286.
10 *Discussionibus peripateticis* Tom. V. lib. IV. p. 400.

ſtris Iac. Thomasivm [11] quibus lectis, nihil deſiderabis amplius. Praecipuus locus, quo nituntur illi, qui pro Aristotele verba faciunt, hic eſt: [12] *θεος δοκει το αιτιον πασιν ειναι, και αρχη τις. Deus videtur omnium eſſe cauſſa et initium quoddam rerum.* At quis neſcit generaliores eiusmodi ſententias ita accipiendas eſſe et exponendas, ne primis fundamentis diſciplinae ſcriptoris cuiusdam repugnent? Secus ſi quis fecerit, breuiaque eius generis enuntiata pro norma ſumat, ad quam vniuerſum corpus doctrinae philoſophi cuiusdam conformandum ſit, is incerta reddet omnia, quae certiſſima videntur eſſe et in medias eos tenebras detrudet, quorum intereſt, veterum dogmata perſpecta habere. Nec eſt in hoc Aristotelis dicto aliquid, quod ſuum facere nequeant, qui formarum tantum et modorum auctorem eſſe Deum arbitrantur, tametſi mundum aeternum eſſe velint. De Stoicis plane ſileo, quos ſupra [13] ſignificaui a Clemente Alexandrine in eorum relatos eſſe ordinem, qui Deo nullam praeſto fuiſſe materiam cenſent, quum hanc mundi molem fingeret ac inſtrueret. Teſtatiſſimum enim eſt, duo rerum principia hanc ſectam poſuiſſe, Deum et materiam nec per ipſa philoſophiae quam profitebantur, initia licuiſſe illi, materiae exordium aliquod tribuere.

§. XXI.

Igitur dimiſſis Graecorum ſectis et philoſophis ad *gentes* tranſeo *barbaras*, quae ſanam viris do-

 ctis

[11] Libro de *ſtoica mundi exuſtione* Diſſ. IV. p. 58.
[12] Libro I. *Metaphyſ.* c. II. p. 263. Tom. IV. opp.
[13] §. III.

ctis ſententiam de creatione rerum fouiſſe videntur. Dudum eſt, quod conſtituo, diſputationem omnem, quae de veterum populorum philoſophia et religione ſuſcipitur valde lubricam, incertam et ancipitem eſſe. Neque enim antiquae nationes certis legibus, confeſſionibus et formulis colligabantur, vt idem omnibus ſentiendum eſſet, qui adſcribi in ciuitatem vellent, ſed liberum erat ſingulis ſacerdotibus et ciuibus ea probare et amplecti, imo proponere et tradere, ſcita, quae meliora ceteris et veriora ſibi viderentur, modo cultum Deorum, qui legibus ſancitus erat, haud prorſus negligerent et conturbarent. Atque ipſas caerimonias et religiones publicas quilibet pro lubitu interpretabatur, nemine intercedente, id quod innumerabilibus veterum dictis et exemplis conſtat. Hinc fieri potuit, vt tot eſſent in vna gente religiones, quot prouinciae, imo quot vrbes, quot collegia ſacerdotum, quot *homines* denique, qui non alienis, ſed ſuis *oculis* diiudicare volebant, quae de re ſacra ſentire fas eſſet. Nos vero ex paucis ſcriptorum quorumdam verbis totius plerumque populi cuiusdam religionem et ſenſus de Deo aeſtimamus: quod vitioſe fieri, vel ipſa diſcordia, quae inter hoſce ſcriptores viget, nos edocere poteſt. Quod enim Perſarum et Aegyptiorum religionem diuerſo modo et ratione antiqui auctores exponunt, id, meo quidem iudicio, declarat, nihil certi in his gentibus de religione, ſi ſumma quaedam capita demas, decretum fuiſſe, nec tam publicam omnium, quam priuatam quorumdam opinionem ſcriptores illos enarraſſe. Sed haec pluribus alio loco iam ediſſerui: nunc tritam ſequamur viam, nec

ſecus

ſecus agamus, ac ſi hodie a nobis de popularum veterum religionibus in vniuerſum firmiter aliquid ſtatui poſſet. Initium ab *Aegyptiis* faciam, qui ſapientiae fama, vetuſtate, aliisque rebus ceteris fere omnibus populis praeſtant. Hanc vero gentem HERMETEM, *Trismegiſtum* quem vocant, creationem ex nihilo docuiſſe, ferunt: idque ex ſcriptis eius, quae adhuc leguntur patere affirmant. [1] Addunt, idem ex *Phyſiologia* conſtare Aegyptiorum, in qua materiae αρχη diſerte tribuatur: Sic et vniverſae materiae, inquit DICKINSONVS: [2] την αρχην, id eſt, *principium attribuit Aegyptiorum Phyſiologia atque eam, quando primum coepit exiſtere valde confuſam rem fuiſſe, commixtam ſcilicet omnigenorum corpuſculorum molem poſteaquam vero deceſſiſſent a ſe iſta corpora, mundo contigiſſe illum, quem nunc videmus ordinem.* Denique IAMBLICHVS quem ſententiarum et dogmatum Ægyptiorum peritiſſimum fuiſſe putant plerique verbis diſſertis confirmare videtur, nil dubitaſſe hac de re Aegyptios. Contentioſe ſi hic agere vellem, his auctoribus eos opponerem, qui longe alia de Aegyptiis memoriae prodiderunt, ſigillatim materiam pro rerum omnium principio ab hac gente ita eſſe habitam, retulerunt, vt Dei ne rationem quidem habuiſſe videantur in explicandis rerum originibus: his teſtibus auditis, praeferendos eos eſſe contenderem ſuperioribus illis, cum propter antiquitatem, tum propter multitudinem et numerum. Nec, puto, haec diſputatio inanis et grauitatis omnis expers cuiquam videri poſſet. Sed paullo lenius rem expediam, et quo

[1] Liuius Galantes Comparat. Theol. Platon. p. 237. 238.
[2] Phyſic. veter. et verae cap. XII. p. 198.

loco haec teſtimonia ſint habenda, ordine videbo. Primum ab HERMETE, qui vocatur, teſtimonium hac in cauſſa peti poſſe nego. Nam qui nomine eius inſcripti circumferuntur libri, ſpernuntur hodie a ſapientioribus, et ſi quid habent ex germana veterum Aegyptiorum diſciplina, quod valde dubium eſt, multis tamen contaminati ſunt fraudis et doli malis notis, vt quid vere ſit Aegyptium in illis, quid minus, diſcerni plane nequeat [3]. Verum haec quoque ſeponamus et rem propius contemplemur. Quid tandem dicit, ter maximus ille HERMES quod in eam nos inducere queat opinionem, creationem de nihilo Aegyptiis ab ipſo fuiſſe traditam? Nihil praeter id, quod paullo poſt IAMBLICHVM tradere audiemu , quodque vniuerſa fere iuniorum Platonicorum turba ſanxit, mundum ex ipſo Deo ab omni aeternitate fluxiſſe, et Deum idcirco eſſe omnia. [4] Exeat vero a nobis, ſuasque ſibi res ſolus habeat, cui tam foeda poteſt placere ſententia, quam ego deteriorem illorum eſſe dogmate arbitror, qui perennem aeterno Deo materiam adiungunt. *Phyſiologia* Aegyptiorum, quam DICKINSONVS in auxilium vocat, illa eſt de ortu omnium rerum narratio, quod ex ipſis eius verbis liquet, quam DIODORVS SICVLVS [5] nobis reliquit: nam haec vulgo a viris doctis pro Aegyptiorum habetur *Phyſiologia*, quamuis nec ipſe DIODORVS hoc ſignificet, nec EVSEBIVS [6] a quo repetita eſt, Aegyptiis, verum Graecis eam tribuat. Vtcumque eſt, aut nihil videt,

[3] Vid. CVDWORTHI *ſyſtema intellect.* p. 373.
[4] Vide CVDWORTHI ſyſtema p. 388. etc.
[5] *Biblioth. Hiſt.* lib. I. p. 7. 8.
[6] *Praeparat. Euang.* lib. I. c. VII. p. 19.

videt, aut nil cernere vult, qui perhibet, principium materiae adſcriptum eſſe ab auctoribus philoſophiae huius de mundi procreatione. Legant haec ipſa DIODORI verba, et iudicent deinde aequi rerum aeſtimatores, quantum ſibi veteres Aegyptii, ſi quidem auctores illi ſunt huius ſapientiae, gloriae ex illis promittere queant: *Οι δε γεννητον και αφθαρτον ειναι νομισαντες, εφησαν ομοιως εκεινοις τους ανθρωπους τυχειν της πρωτης γενεσεως αρισμενοις χρονοις. Κατα γαρ την εξ* ΑΡΧΗΣ *των ολων συστασιν, μιαν εχειν ιδεαν ουρανον τε και γην μεμιγμενης αυτων της φυσεως. μετα δε ταυτα διασταντων των σωματων απαλληλων, τον μεν κοσμον περιλαβειν απασαν την ορωμενην εν αυτω συνταξιν.* *Qui mundum generatum atque occaſurum putauerunt, iis perinde atque ipſius, hominum etiam generationem certo quodam tempore principium habuiſſe defenderunt. Quippe cum huius primum vniuerſi coagmentatio fieret, vnam aliquam coeli et terrae ex permixta confuſaque amborum natura formam exſtitiſſe: deinde vero ſimul atque corporum diſtinctio ſucceſſiſſet, continuo mundum quidem totum hunc, quem videmus, partium ordinem accepiſſe.* Hic coagmentationi quidem rerum omnium *αρχη* ſeu *principium* quoddam tribuitur: ex quo apparet, eos, quibus haec philoſophandi forma quondam placuit, pro aeterno hunc mundum haud duxiſſe: at materiam, non ſecus ac mundum coepiſſe, tradi minime video. Adde, quod maius eſt, ne Dei quidem mentionem fieri in hac explicatione originis huius vniuerſitatis: quod iam dudum viros doctiſſimos adduxit, vt philoſophiae huius auctores in illis numerandos eſſe ſuſpicarentur, qui ortum huius orbis cauſſis naturalibus,

et fortuitae materiae commotioni adſcribere [7] non verentur. In IAMBLICHO binos offendi locos, qui ad hoc negotium, quod agimus, pertinent. Quaeſiuerat PORPHYRIVS *epiſtola ad* ANEBONEM ſacerdotem Aegyptium, inter alia, quidnam de materia ſentirent Aegyptii; vtrum eam *aeternam, vel genitam et procreatam* exiſtimarent? Ει αγεννητον υλην, η γεννητην. Ad hanc quaeſtionem IAMBLICHVS hiſce verbis reſpondet: [8] υλην δε παρηγαγεν ο θεος απο της ϐσιοτητος υποσχιθεισης υλοτητος, ην παραλαβων ο δημιϐργος ζωτικην ϐσαν, τας απλας και απαθεις σφαιρας απ' αυτης εδημιϐργησε το δε εσχατον αυτης, εις τα γεννητα και φθαρτα σωματα διεκοσμησε. *Materiam quod attinet Deus eam produxit diuidendo materialitatem ab eſſentialitate: hanc materiam opifex Deus accipiens vitalem ex ea ſimplices incorruptibilesque ſphaeras fabricauit, ipſius vero quod erat poſtremum ad corpora generabilia et corruptibilia facienda tranſtulit.* Eadem, quae in hoc, in altero eius loco, ſententia eſt, licet non aeque luculenter, atque perſpicue expreſſa ſit: [9] μη δη τις θαυμαζετο εαν και υλην τινα καθαραν και θειαν ειναι λεγομεν απο γαρ τϐ πατρος και δημιϐργϐ των ολων και αυτη γενομενη, την τελειοτητα εαυτης επιτηδειαν κεκτηται προς θεων υποδοχην. *Sed nec mirum cuiquam videatur, ſi et materiam aliquam puram et diuinam eſſe aſſeramus: nam ipſa quoque materia, cum ab opifice, patreque omnium facta ſit, merito perfectionem ſui*

[7] Ita iam EVSEBIVS cenſuit l. c. cap. VII. p. 21. cum quo recentiorum multi conſentiunt. vid. *Sentimens des Philoſophes ſus l'origine du monde* p. 56.

[8] *De myſteriis Aegyptior.* ſect. VIII. c. 159.

[9] Sect. V. c. XXIII. p. 138.

ſui quamdam accepiſſe cenſenda eſt aptam ad Deos recipiendos. Haeccine igitur dicta tantum apud nos valebunt, vt Aegyptios pronuntiemus putaſſe, materiam ſupremi numinis opus eſſe? ſpeciem, fateor, non inconcinnam habent ad eos permouendos, qui non nimis conſiderati ſunt in iudicando. Sed efficiam, vt haec pereat nec IAMBLICHVS melior ceteris ſociis ſuis videatur, quos totos a Chriſtianorum praeceptis de origine rerum diſſenſiſſe conſtat: Principio non is eſt IAMBLICHVS, homo vanus et corrupti ingenii, ex quo Aegyptiorum veterum ſententias et dogmata diſcas. Incidit aetas eius in ea tempora, quibus dudum antiqua HERMETIS diſciplina perierat et variis de cauſſis oblitterata erat: nec, ſi tum temporis haec diſciplina floruiſſet adhuc, Platonicus homo vt legitimus et iuſtus eius interpres ſpectari poſſet. Etenim hoc hominum genus numquam id agit, vt quis veteres vere ſenſerint pateat, ſed potius omni ſtudio antiquorum opiniones peruertere ſtudet, ne a ſuis diſſentire videantur. Nec aliter IAMBLICHVS affectus fuit animo. Dederim ego, eſſe quaedam in eius opere philoſophiae Aegyptiacae *Fragmenta*, qualis illo tempore apud ſacerdotes quosdam exſtitit, quo vixit: At rerum tamen Platonicarum valde ſit ignarus neceſſe eſt, qui haec non perſpicit mirifice corrupta, ad ingenium ſcitaque familiae, in qua vivebat IAMBLICHVS, prorſus accommodata, denique natiua forma et virtute ſua plane ſpoliata et contra ſententiam auctorum ſuorum expoſita eſſe. Mittamus vero haec, meliusque ſentiamus de hoc ſapientiae Aegyptiacae doctore, quam meretur: haud tamen ex his eius locis id licebit efficere, Aegyptios de materia

ria idem, quod Christianos, praecepisse. Materia dicitur ab eo producta esse a Deo: ex materia ab eodem deinceps omnia perhibentur esse condita. Non est vero vnius generis haec materia, sed in *subtiliorem* et *grauiorem* diuiditur. Ex subtiliore et coelesti Deus sidera comparauit, ex concretiori et grauiori reliqua corpora. Velle nec insipienter prorsus si verba spectes vnice: sed in vim si sententiarum inquiras, quas comprehendunt, aliter sentiendum videbis esse quaere primum: qua ratione, quo modo Deus materiam produxerit? Respondet IAMBLICHVS: *Diuisit Deus, quum materiam conderet, materialitatem ab essentialitate.* Haec quam vim habeant, quis aegre perspicit? significant, Deum ex ipsa essentia et interiori natura sua eduxisse materiam aut materiam a sua natura secreuisse ac separasse. Ergo in eorum numero IAMBLICHVS est, qui materiam tamquam partem naturae diuinae, considerant eamque ex Deo aliquando manasse, volunt.[10] Quorum dogma plane distat a Christianorum sententia, qui Deum materiam ex nihilo creasse sanciunt. Nam quod in Deo fuit semper, id haud ex nihilo procreatum est, verum iam existit antequam ex Deo efflueret, et a Natura diuina disiungeretur, alia licet forma, alioque modo et habita. Ac parum mihi referre videtur, num aliquis intra Deum vel extra naturam diuinam materiam semper exstitisse statuat. Non sum nescius, numerosum agmen ex antiquioribus et recentioribus

[10] Idem IAMBLICHVS Sect. I. c. IX. p. 15. profitetur τα δ' επι γης εν τοις πληρωμασι των θεων εχοντα τα ειναι. *Quaecumque in terris sunt a Deorum pleromasi habent suam essentiam.*

ribus temporibus produci posse eorum, qui creationis modum hac ratione explicarunt, nec tamen Christianae veritati vim esse afferre, opinati sunt: sed idem noui AVGVSTINI iam aetate publice hoc dogma proscriptum fuisse, nec amari posse, nisi ab illis, qui vel ingenii ludificationibus plus tribuunt, quam simplicitati Christianae, aut quo difficultates quasdam effugiant, portenta et flagitia sententiarum recipere non recusant [11]. Sed perge quaerere ex IAMBLICHO, quo cum nobis hic vnice res est: *Vtrum putet, hanc materiam ex omni aeternitate de Deo fluxisse, an vero certo tempore hoc contigisse arbitretur?* et turpitudo sententiae, quam Aegyptiorum fuisse dicit, clarius apparebit. Ipsa hominis verba posteriori sententiae videntur fauere: sed caue Platonicorum verbis credas, quibus longe alius saepe sensus subest, quam is, quem prae se ferunt. Solent hi philosophi de Deo ante creationem non raro magnifice differere et ipsam ita creationem describere, ac si certo quodam momento contigisset, libereque a Deo suscepta esset. Verum hoc cum faciunt, Metaphysicorum personam sustinent, et statum *rationis* seu *abstractionis mentalis*, vt in scholis loquuntur, intelligunt, id est, Deum mundum et creationem *absolute*, *secundum se* et *sine determinatione quadam* animo concipiunt: a qua mentis abstractione, quum recedunt, mundum, aeque atque Deum, ex omni aeternitate fuisse et numquam ex eius natura manasse, praecipiunt. Idem de IAMBLICHO nos oportet statuere. Mundum is non

[11] Lege B. ABRAH. HINCKELMANNI *Detectionem fundamenti Boehmiani* p. 69. f. qui ex instituto contra hanc opinionem disputat.

quod suum esse, non absolute, sed cum fluxu generationis connexum habet, et vt perpetuum esse possit, aliunde acquirit: qualis Platonis sententia est mundus. Declarabitur haec distinctio aeternitatis infra, cum ad iuniores ventum erit Platonicos.

§. XXII.

Ab Aegyptiis *Sinas* seu *Sinenses* pergo, quos probabili valde coniectura doctissimi viri Aegyptiorum esse suspicantur propaginem. Pessime populus hic audit apud plerosque [1] inamque multitudo plebs foedissimis superstitionibus deuincta putatur, litterati qui vocantur, Dei prorsus et omnis veri cultus diuini expertes et nescii habentur. Inuenti vero sunt doctissimi viri, qui veteres Sinenses antequam Indorum et aliorum populorum in hoc regnum irreperet impietas, longe rectius sensisse, nec nimis a vera religione et sapientia remotos fuisse contendunt. Neque contemnenda sunt, quae vt hoc testatum faciant, in medium ex ipsis Sinensium libris, aliisque monumentis proferunt. Inspiciant, quos haec

[1] Effuse tamen disciplinam Sinensium moralem laudarunt quidam, quos inter, (neque enim id omnes malo animo fecerunt) quos inter ii inprimis vel liberales vel impudenter loquaces fuerunt, qui pessimo in sanctissimam Seruatoris sapientiam sunt animo. Ne vero res sacra ex confictis his laudibus vel iusto maioribus detrimenti quid caperet, erudite et curate cauit auctor noster rerum Sinicarum peritissimus in *der Sittenlehre der heiligen Schrift, zweyt. Th.* p. 363. s. Ceterum rerum Sinensium cupidis inprimis recentiorum commendamus IO. BAPT. DV HALDE Description de la Chine, quam ciuitate donauit germanica Ven. Rambachius. v. MOSHEMII Praefationem *in teutschen vermischten Abhandlungen* p. 31. ss. (M.)

haec iuuat cognoscere ATHANASIVM KIRCHERVM Iesuitas qui CONFVCIVM ediderunt.[3] MATVR. VEIS LA CROZE,[4] et recentissimum harum rerum scriptorem, virum clarissimum et orientalium linguarum et historiarum imprimis peritum, THEOPH. SIGFR. BAYERVM, Acadamiae petropolitanae Professorem.[5] Hodie quoque aurei illius generis reliquias in numerosissima hac gente non desiderari sed esse adhuc viros honestos et probos, qui nouam et nefariam reliqui populi religionem exsecrentur disputant. Hos igitur de rerum quoque omnium originibus et mundi creatione, tam praeclare sentire viri eximii volunt, vt indigni minime sint, quos in societatem dogmatis sui Christiani, quos ipse Deus erudiit, recipiant. In hanc nuper ingressi sunt sententiam, qui *historiam vniuersalem*[6], inter anglos condere aggressi sunt: qui quidem meliorem hanc Sinensis populi partem existimare tradunt, esse Deum, summum coeli, terraeque dominum, cuncta gubernantem et sapientissime administrantem: hunc Deum ex Chao omnia procreasse, quae concreta sunt et materia constant. Chaos autem duplicis esse generis alterum occultum et minus perfectum, quod *Yn* nominent: alterum patefactum seu perfectum cui

[2] *Chinae illustratae* part. III. p. 129. seqq.
[3] *Declarat. proemiali* part. I. §. I. p. LIV. f.
[4] *Histoire du Christianisme des Indes* Livr. VI. p. 440.
[5] *Commentariis Originum Sinicarum* §. III. f. p. 269. f. Tom. II. *Musei sinici Petropoli* 1730. 8. editi.
[6] Halae Saxonum adnotationibus S. V. BAVMGARTENII ornatam Teutonica veste (*Allgemeine Weltbistorie*) eam prodire in publicum sonsores nostri non ignorant. (M.)

cui nomen faciant *Yang*:[7] Haec duo principia in duo rursus alia abire, ex his porro quatuor exsistere, haec quatuor in octo alia diuidi, ac in multa deinceps alia, seruata tamen semper primae secretionis ac diuisionis norma[8]. Haec si antiquissimorum Sinensium et eorum, qui hodie in hoc populo prae caeteris sapientia eminent, doctrina est, haud putem inuenisse nos in China, quibuscum foedus inire nobis liceat, quum ortus mundi in disceptationem vocatur. Deum ex Chao produxisse adseuerant omnia, seu ex *Tay Kie*, vt loqui solent Sinenses, Chaos item non esse vnius generis, varieque inter se permissum, hanc vniuersitatem peperisse. Vnde vero Chaos? Num etiam a Deo conditum est? Num vero intra Deum ab aeterno exstitit, an vero extra Deum? Silent hic Sinenses philosophi. Et ego vereor, ne hoc silentium caussam eorum prodat, et Chaos ipsis aeque aeternum videri: significet, atque ipsum Deum. Qui ex Chao fecisse Deum omnia censent, nec vnde Chaos natum sit, addunt, illos cum Ovidio et aliis veterum poëtis sociari patior, qui meliorem naturam et Deum

Non bene iunctarum discordia semina rerum.

diremisse ac composuisse canunt, non item cum Christianis, qui nihil omnino fuisse sciscunt, quum Deus materiam et mundum conderet. Verum eruditi *hi Historiae vniuersalis* conditores non optimos

[7] Alii YAM habent.

[8] *Sentimens des philosophes sur l' origine et la création du monde* p. 153. conferri hic omnino debent Iesuitae, qui *Confucium* ediderunt: quippe qui doctrinam hanc in tabula aenea exprimi curarunt. *Declarat. Proemial.* part. I. §. VII. p. XLII. XLIII.

timos sequuti videntur esse auctores, veteremque ac nouam, quae dicitur, Sinarum philosophiam inter se confudisse. Igitur eos potius in consilium adhibeamus, qui maioribus instructi praesidiis hoc argumentum tractarunt, vt quid vere nobis constituendum sit appareat. Hodierni Sinarum philosophi primum rerum omnium principium appellant *Tai Kie:* de quo tametsi verbis loquuntur magnificis, ipsimet tamen Iesuitae confitentur, *meram materiam primam*,[9] hoc nomine indicari: neque negant iidem *clare satis intelligi posse* ex horum magistrorum *loquendi modo, aeternitatem eos quamdam rerum orientium, occidentiumque antecedentem agnoscere numeroso illo annorum cursu*, quem mundo huic nostro tribuunt, infinitis vicibus repetito. Qui tam turpiter sentiunt illi profanis potius et Dei negatoribus, quam sapientiae consultis annumerari debent: nec dissentiunt Iesuitae: *Nam*, inquiunt, *vbi multis de suo* LI et TAI KIE, *sed admodum intricate perturbateque disputarunt, sensim delabi videntur in Atheismum, quatenus excludunt omne principium efficiens supernaturale; et quamuis subinde abstrahere videantur, ab sensu et materia, reuera tamen in materia persistunt.* Probant hoc iudicium quotquot cum cura res Sinensium perscrutati sunt: illi etiam, qui huic populo plus prope tribuunt, quam reliquis omnibus nationibus, quae terrarum orbem incolunt. De pietate igitur eorum, qui hodie sapientiam videri volunt curare in China, conclamatum est. At negant viri praestantissimi, maioribus Sinensium idem, quod his visum esse, voluntque vix ante exterorum quorumdam philoso-

[9] *Proem. declarat. ad Confucium* part. II. §. I. p. LVI. LVII.

phorum, Indorum maxime, aduentum tam pe
niciosam doctrinam in hac gente auditam fuiſſ
Audiamus omnium inſtar Clar. Vir. THEOPH. SIGF
BAIERVM qui: *ſunt*, inquit, [10] *in Sinis alii, qui r*
rum principium ab hoc diuerſum in libris ſuis co
ſtituunt TAY KIE. *Quoniam autem voces illae m*
gnum terminum et polum ſignificant, vides vt op
nor, hoc totum ex aliquo ratiocinio philoſophiae v
tuſtam maiorum fidem vt vanam et futilem ſperna
tis profectum eſſe. Quae enim Bramanum eſt op
nio, ea quoque ante annos mille et ſeptingentos Sin
inuaſit, perpetuam mundorum conuerſionem infin
tis ante nos ſaeculis exſtitiſſe, vt alii ex aliis n
ſcerentur, hunc quoque vt ex ſuperiore proceſſi
ita orbe ſuo confecto deſiturum et alterius relict
rum ſemina. Concedamus, haec ita ſeſe haber
nec enim cauſſae nobis eſt aliquid, cur fidem i
lis adiungere recuſemus, qui litterarum ſinic
rum inprimis gnari ſunt, et antiqua populi mon
menta ſummo ſtudio perluſtrarunt, maxime quu
omnis doli mali hac quidem in re ſuſpicio ab i
lis abſit. Reſtat igitur, vt exquiramus, quema
modum de rerum origine illi ſenſerint, qui prin
cipes philoſophati ſunt inter Sinas. Ieſuitae a qu
bus CONFVCIVS eſt editus, tradunt, eos rebus o
mnibus principium aſſignaſſe: *in quo*, inquiun
[11] *pugnant equidem*, (recentiores philoſoph
cum ſenſu communi antiquitatis Sinicae, vt qu
ex taditionibus ſaltim ſuis ſenſuit coelo et terrae pr
moque homini et foeminae ſuum fuiſſe principiu

[10] *Commentariis originum Sinicar.* §. III. p. 272. Tom.
Muſei Sinici adde omnino Ieſuitas l. c. p. LIX. qui lat
hanc rem perſequuntur.

[11] Loco citato p. LVI.

ē prorſus, vt et horam ipſam, qua coeperint exiſte-re, non dubitanter aſſignent. Diligentius paullo in hoc argumento verſatus Cl. BAYERVS. Obſeruauit is ex libello *Siao vl lun, paruorum liberorum inſtitutio*, quem pueris explicare ſolent magiſtri Sinenſium, antiquiſſimos gentis huius ſapientes rerum omnium principium dixiſſe *Tay Ku*, idque alio nomine etiam *Puen Ku* appellari.[12] Hoc vero *Tay Ku*, tametſi perperam exiſtiment aliqui, antiquiſſimum eo nomine Regem dici, cum CHRISTIANO MENZELIO contendit vaſtam eſſe aeternitatem, quae ante vniuerſitatis exſtiterit initia: *Nempe Sini*, inquit, *a maioribus acceperunt, vaſtam illam aeternitatem ante rerum principia exſtitiſſe, quam percommode dixere* TAY KV *ſummam vetuſtatem, ſiue* PVEN KV *primam antiquitatem.* His conſtitutis et explicatis, opinionem conditorum gentis Sinicae de rerum originibus his verbis declarat.[13] *Priſci illi mortales nihil de mundorum rerumque aeterna viciſſitudine inaudiuerant; ferebant enim hoc Tay Ku, quod coelis terraeque ortus anteceſſerat tranquillum atque quietum rerum omnium Chaos continuiſſe, donec impulſu quodam motum formam indueret, quae opinio a Patriarcharum noſtrorum Moſisque ſanctiſſima fide non ita multum abhorret, ſi recte interpreteris.* Hinc longius progreditur vir doctiſſimus Sinasque vetuſtiſſimos eamdem fouiſſe ſententiam demonſtrare ſtudet, quam Phoenices, Thales, et alii dicuntur tenuiſſe, *ex aqua, tamquam materia, rerum formam productam eſſe.*[14] Certa ſint haec o-

[12] *Comment. Origin. Sinic.* §. III. p. 269. 270. 271.
[13] p. 272.
[14] §. IV. p. 274. ſ.

ad Chriſtianam diſciplinam temere accommodaſſe, quod tamen ſaepiſſime ab illis fit, qui gentium peregrinarum ſacra et religiones explorant: hoc vnum tamen ex verbis eius efficias, alienam eſſe hanc ſectam a dogmate eorum, qui mundum volunt aeternum eſſe. Nam et illi, qui Deum ex perenni materia feciſſe omnia docent, nil verebuntur eadem, quae genus hoc de rerum creatione profiteri atque probare. Confer, ſi velis, *Timaeum* PLATONIS cum hac ſententia, et ſummam vtriusque cognationem ſenties. Sed metuo, ne opinionis errore lapſus ſit FROESIVS, melioremque huic familiae, quam decebat, ſententiam adſcripſerit, verborum conuenientia quadam et ſimilitudine inductus. Nam qui recentiſſime in ſectas, religionem et dogmata Iaponum tanta ſagacitate inquiſiuit, quanta nemo ante ipſum alius, ENGELBERTVS KAEMPFERVS, nil niſi tenebras et impietatem vbique hac in gente offendit, nec vsquam in homines incidit tam ſobrios tametſi et ſacros gentis, ſectarumque ſingularum libros diligenter euoluerit, et cum omnium religionum myſtagogis verſatus ſit. Tres in primis, ſi a minoribus diſcedas, ſectae florent inter Iapones. Prima, quae *Sintos* dicitur, reliquas antiquitate ſuperat et in ipſa inſula nata videtur eſſe et educata: Altera *Budſdo* nominatur ſeu *religio peregrinorum Nominum*, quae ex vicinis Aſiae regionibus ad Iapones translata eſt, nec ab ea, quam Indorum *Bramines* profitentur, differre videtur. Tertia eſt philoſophorum, quam *Siuto*, id eſt, *viam ſapientum* nominant. Hanc facile vident, qui nonnihil diligentiae in Orientalium populorum religiones cognoſcendas contulerunt, pro-

ximе

xime ad hodiernorum Sinensium philosophorum disciplinam accedere; nec id diffitentur sectatores eius, qui CONFVCIVM summis honoribus officiunt, Sinensiumque ritu maiores et defunctorum parentum animas reuerentur. Qui *Sintos* dicuntur, populum fabulis pascunt de Diis et eorum rebus gestis, veram autem doctrinam suam de rerum originibus studiosissime occultant, nec discipulis suis aperiunt, nisi horribili antea sacramento promiserint, numquam sese sublime hoc mysterium profanae et stupidae multitudini patefacturos esse. At KAEMPFERVS ex libro huius sectae, quem *Odaiki* nominant, in lucem eam protraxit; quod postquam fecit, patuit, dignam esse illam, quae sempiternis deuoueatur tenebris. Insana enim haec gens opinatur, naturam illam, quae condidit, et finxit omnia ex aeterno Chao seu materia procreatam esse et fatali quadam necessitate omnia perfecisse.[a] Placet ipsius libri, quem dixi, verba describere Latine versa, quibus vniuersa haec sacra doctrina comprehenditur. *In principio, quum res omnes in lucem prodirent, Chaos quoddam non secus fluctuabat ac mouebatur, atque pisces in aquis natare solent, quum voluptate feruntur. Ex hoc Chao res quaedam exislebat, spiculum forma referens, eaque mobilis et ad formas varias recipiendas apta. Haec res animus fiebat siue spiritus: atque hic spiritus dicitur KVNITO KODATSNO MISKOTTO.* Parum abest, quin coniiciam, FROE-

O 5 SIVM

[a] *History of Iapan* Livr. III. cap. I. p. 207. *In the beginning of the opening of all tings a Chaos floated, as fisbed swim in the water for pleasure. Out of this Chaos arose a thing licke a prickle moveable ac transformable. This ting became a soul or spirit, and this spirit is calld* KVNITO KODATSNO MISKOTTO.

sivm huius sectae aliquem audiuisse ortum mundi enarrantem, verbaque eius ex doctrina Mosis interpretatum esse, quem narrare nouimus, spiritum Domini super aquis vectum esse, quum haec vniuersitas a Deo conderetur: Vnde euenit, vt reliqua etiam doctrinae huius in sensum flecteret Christianis praeceptis consentaneum. Qui religionem, cui nomen fecerunt Iapones, *Budsdo*, sequuntur, aeternam quamdam mundorum successionem, qualem Stoici olim professi sunt et Indorum multi fingunt, animo sibi videntur concipere. *Siodosju* denique seu philosophi tam peruerse de re omni sacra sentiunt, vt nihil erret, qui cum Atheis eos sociandos esse putet. Plerique eorum nullum alium colunt Deum, quam animam mundi aliquam, quam per totam vniuersitatem permeare, nec nisi fataliter et necessario agere arbitrantur. Aliqui, esse fatentur quidem mentem aliquam a corpore secretam, sed eam parentem negant esse rerum omnium, immo tam sunt amentes, vt hanc mentem, quam regere tamen omnia et gubernare censent, ex coniunctione coeli et terrae, sed *In* et *Io* procreatam aliquando, et genitam esse statuunt.[3] Vtrique mundum esse putant aeternum, homines vero et animalia virtute coeli et quinque elementorum terrenorum producta esse arbitrantur.[4]

§. XXIV.

De *Indorum* religione et sententiis de Deo, rebusque diuinis quum quaeritur philosophi potissi-

3 KAEMPFER *History of Iapan* Livr. III. cap. VII. p. 249. 250.

4 L. c. p. 250. *They make the world eternal and suppose men and animals to have been produced by in Io, the heaven and five terrestrial elements.*

tiſſimum Indorum intelliguntur, quos *Brachmanes* ſeu *Bramines* nominant, qui magna in ſapientiae laude ab antiquiſſimis temporibus fuere poſiti. Reliquam enim multitudinem veſanarum fabularum et errorum turpiſſimorum copia oppreſſam viuere, raroque animo ad rerum a ſenſibus abſtractarum contemplationem eniti, fatentur omnes, qui cum hac gente vixerunt. Et hos igitur *Bramines* viri quidam docti, peregrinatorum quorundam freti narrationibus, non dubitant illis annumerare, qui rerum omnium et ipſius materiae origines ad vnum Deum referunt. Si quid vero dubium, anceps et incertum eſt, certe hoc eſt Braminum religio, de qua tot fere ſunt ſententiae, quot homines qui eam ex inſtituto enarrandam ſuſceperunt: quapropter nec exploratum eſt, quemadmodum de ortu rerum omnium aut ſentiant, aut ſentire debeant. Sunt, qui tradunt aeternam mundorum ſibi ſuccedentium ſeriem ab his hominibus induci, Sinasque hodiernos hoc ab illis dogma accepiſſe: nec caret haec opinio veri ſimilitudine, quod vel ex illis liquet, quae MATVR. VEISS. LA CROZE,[1] de magno mundorum numero, quem praedicant, retulit. Alii perhibent, ſtatuere eos, creationem nihil eſſe aliud, quam naturae diuinae amplificationem, Deumque, quum mundum condere vellet, rerum omnium materiam ex ipſa eſſentia ſua extraxiſſe, non ſecus ac aranea fila ex ventre ſuo educit: ex quo ſequitur, Deum eſſe omnia, et quidquid exſiſtit, naturae diuinae partem eſſe.[2] Ab his non multum

[1] *Hiſtoire du Chriſtianiſme des Indes* Livr. V. I p. 467.

[2] FRANC. BERNIER *Voyages aux terres du Grand Mogol*, Tom. II. p. 164.

multum illi discrepant, qui credere eos narrant, Deum semetipsum primum in ouum quoddam aut in materiam ipsam conuertisse, et ex hoc ouo postea aut potius ex ipso Deo coelum, terram, omnia [3] fluxisse. Sed longe alia ex Indorum libris narrat nobis BARTHOLOMAEVS ZIEGENBALG, quem notum est aetate nostra doctrinam IESV CHRISTI inter Indos summa cura, nec infelici successu propagasse: etenim is gentis huius sapientes generationem quamdam Deorum tradit proferre, quum de rerum omnium initiis sententiam iubentur dicere. Initium familiae totius, quam sibi effingunt animo, naturam esse statuunt infinite potentem et originis omnis nesciam, quam *Barabara wastu* vocant: hanc naturam, quae idem est, quod supremum Numen, generasse dicunt aeternitatem: ab aeternitate procreatum esse *Tschiwen*. Deum praepotentem: ex hoc Deo natam esse Diuam *Tshadely*: Deam hanc genuisse *Putadi*, seu mundum ex elementis constantem et sensibus subiectum. [4] Ita pergant nugatores infinitamque fere seriem texunt tam Deorum, quam rerum, mutuo ex sese prodeuntium, et pendentium, dum ad hominum creationem longo ordine veniant: mihi fabulae initium recitasse satis est. Suspicor autem, haec omnia vberiorem tantum esse declarationem sententiae illorum, qui ex ipsa diuina natura volunt manasse omnia: namque summam et potentissimam naturam, vnde initium huius generationis ducunt, fontem esse praedicant

[3] CROZE loc. cit. p. 462. *Sentimens des philosophes sur l'origine du monde* p. 150.

[4] *Der Koenigl. Daenischen Missionarien Berichte aus Ostindien*, Tom. I. Part I. p. 47.

dicant illum, ex quo fluxerint omnia et ad quem reuerti cuncta debeant. Quae quid sibi velint, apertum est. Aliam formam religionis, *Braminum* exhibet ABRAH. ROGERIVS, cuius accuratam diligentiam plerique omnes commendant, qui ad res Indicas cognoscendas animum appulerunt. [s] Vnum tradit hic, et summum Numen colere *Bramines*, quod VISTNOV appellant: hoc numen credi ab illis, antequam aliquid esset ac existeret, alium produxisse Deum, cui nomen sit *Brama*: Rogatos, vnde hic *Brama* genitus sit, respondere solere: Factum esse Deum hunc ex flore, qui immensa in abysso ante rerum creationem natauerit: Addere eos Bramae tantum fuisse fidem ac virtutem, vt supremus Deus potestatem ipsi impertiret rerum naturam creandi. Hic quis non videt vestigia veteris erroris de aeternitate materiae? Nam immensa vorago illa, cui flos innatauit, ex quo Brama procreatus est, quid aliud est quam aeternum Chaos, quod Bramam postea digessisse volunt illi, quos ludicra haec sapientia delectat? Plures, si liberet sententias enumerare possem, quae Indorum philosophis passim in eorum libris attribuuntur, qui his in Orientis regionibus commorati sunt. Sed nil opus est pluribus: satis enim habent in illis, quae attulimus, vnde discant harum rerum studiosi, in dumeta veluti compelli, ex quibus eluctari nequeunt, qui veram recentiorum Brachmanum de mundi origine doctrinam

[s] *Offene Thür zum verborgenen Heydenthum*, P. II. cap. I. quem egregium librum amplissimis adnotationibus rem sacram populorum, extra Europam terram prementium mirifice illustrantibus locupletauit *Christophorus Arnoldus*, Norimb. 1701. (M.)

ctrinam exquirere ſtudent. Sunt haud dubie plures inter eos hac de re ſententiae, et quisque pro lubitu, quod vult, amplectitur, quum lex nulla rogata ſit, quae certis eos opinionibus alliget: nec enim deceptos fuiſſe opinor, aut fallere nos voluiſſe illos, qui hanc dogmatum et fabularum varietatem retulerunt. At in omnibus tamen, quas vel recitaui, vel ſcriptas legi, nulla eſt quae Chriſtianis auribus placere queat, aut dogmati, quod nos profitemur, de rerum originibus conueniens ſit. Dederim abeſſe plerarumque harum opinionum profeſſores ab illis, qui mundum nunquam coepiſſe volunt: contra cum illis conſentire, qui infinitam quamdam naturam hanc vniuerſitatem condidiſſe autumant: at certum ſimul eſſe reor, aliquos eorum de modo creationis tam peruerſe ſentire, vt parum aut nihil diſcriminis inter Deum et mundum conſtituant, reliquos aeternum ſibi Chaos quoddam, vnde nata ſint omnia fingere. Ita vero vtrique ſecluduntur a Chriſtianis, qui ab his ſententiis non poſſunt non abhorrere, niſi ſacrarum litterarum auctoritatem aſpernari velint. Si qui tamen ex Indis ſiſti posſent, quod quidem valde dubito, quibus Chriſtiana veritas de rerum initiis ex omni parte probaretur, diſpiciendum foret ante omnia, vtrum germanam illi maiorum ſuorum diſciplinam inuiolatam retinuiſſent, an vero ex conſuetudine cum populis Europaeis et diſputationibus eorum, qui Chriſtianae religionis diſſeminandae cauſa ad Indos mittuntur, nonnihil emendaſſent. Nam id dubio arbitror carere, Brachmanum multos, eorum maxime, qui in oris maritimis habitant, ex colloquiis cum Chriſtianis haud parum profecis-

ſe

ſe et ad horum dogmata vi veritatis coactos, nonnullis in rebus ſapientiam ſuam accommodaſſe.

§. XXV.

Dicet hic fortaſſis aliquis: Recentiorum Braminum in hac quaeſtione rationem eſſe nullam habendam: Deſciuiſſe enim hos homines ſenſim innumeris in rebus a maiorum legibus et inſtitutis, ab eo vero tempore, quo *Mogores* rerum Domini apud eos facti ſint, alios paene factos eſſe, atque fuerint antea: Nec ſatis quidem eos hodie antiquum illud ſermonis genus intelligere, quo vetuſti libri exarati ſint, quibus philoſophiae Indicae ſumma continetur, multo minus ipſa veterum dogmata habere cognita. Dominari iam diu in hac gente magnam ſentiendi et opinandi licentiam, nec obſtare cuiquam in ea aliquid, quo minus pro lubitu et arbitrio maiorum philoſophiam de rebus a ſenſu remotis interpretetur. Poëtas etiam, quorum ingens ſit apud eos auctoritas, fabulis ſuis puerilibusque ornamentis antiquam ſapientiam mirifice obſcuraſſe et contaminaſſe: Pleroſque horum hominum plane rudes et rerum ignaros eſſe, multaque ſaepenumero garrire, quorum ipſi vim et ſententiam neſciant: Libros, ex quibus ea depromſerunt, quae de Indorum religione nobis narrant peregrinatores et doctores Chriſtiani, qui religionis cauſſa Indos adeunt, recentiores eſſe ac poſt ea tempora conſcriptos, quibus antiquioris diſciplinae forma et ratio immutari et peruerti coepit. Ad antiquos igitur Brachmanes, qui ante hanc rerum Indicarum conuerſionem vixerunt, hanc cauſſam totam deuoluendam eſſe. Exſtare horum ſapientum et philoſophiae, quam tradiderint, memoriam in ſcriptoribus Graecis,

cis: Et hodie adhuc antiquissimum volumen apud illos custodiri et sacrosanctum haberi, cui omnes, qui Bramines dici velint, obedientiam spondeant, tametsi mirifice opinionibus diffideant inter se. Hinc igitur vnice veram et germanam Indorum religionem sumendam, recentiorum Indorum commenta vero suis auctoribus esse relinquenda. Haec ego magnam partem vera esse non diffiteor: et vellem haec et alia numquam ex memoria sibi sinerent exidere, qui de populorum orientalium religionibus deliberationem instituunt. Sequamur itaque hanc viam, videamusque, num ea duce conficere nobis liceat, antiquos Indorum sapientes sanam de ortu huius mundi sententiam fouisse, posterisque eorum, nisi degeneres videri velint, ad eam accedendum esse. Scita veterum Brachmanum de mundi natura et rationibus exponit MEGASTHENES apud STRABONEM.[1] Refert is, *mundum* huic generi *et ortum et corruptioni obnoxium, globi autem forma praeditum videri*: *οτι γαρ γεννητος ο κοσμος και φθαρτος, και οτι σφαιροειδης*. *Deum, conditorem et administratorem eius totam molem peruadere et animare*, seu, quod idem est, Deum mundi esse animam. *οτι διοικων αυτον και ποιων θεος δι ολε διαπεφοιτηκεν αυτε*. *Aquam, quum mundus conderetur, primum esse factam*: *της δε κοσμοποιιας αρχη το υδωρ*. Reliqua praetermitto, quia parum ad rem, quam tractamus, lucis afferunt. Cum his prorsus ea consentiunt, quae PHILOSTRATVS, aut, si mauis, IARCHVS, Indorum philosophorum princeps, apud PHILOSTRATVM his de rebus disserit.[2] Luculentius

[1] *Geograph.* Lib. XV. p. 677.
[2] Vitae *Apollonii Tyanaei*, Lib. III. cap. XXXIV. p. 125. f.

tius hic inter alia mundum esse animal docet; quod dogma quo illustret, cum *naui* mundum comparat. Deo vero, qui hoc animal fecit, primas regendi partes in ista naui tribuit, cui minores, alios Deos sociat. την μεν γαρ δη πρωτην και τελεωτατην εδραν αποδοτεον θεω γενετορι τε δε τε ζωε. *Primus ac perfectissimus locus in mundo Deo est tribuendus animalis huius conditori* Sint haec vera et certa: quis enim contrarium doceat? At talia tamen minime sunt, vt Brachmanes ostendant, ipsi quoque materiae principium adscripsisse. Nam qui mundum statuit a Deo esse conditum, qui Deum mundo instar *animae* adesse tradit, qui creatum huncce mundum dissolui rursus et interire posse adseuerat, is vna tamen ab illis stare potest, qui materiam ipsam, ex qua conflatus est mundus initio et fine vacare volunt. Nescio, qui fiat, quod eruditissimi quoque viri quum veterum quosdam legunt praecepisse, Deum mundi esse auctorem, repente concludunt, totam Christianam veritatem de ortu rerum istos homines complexam tenuisse: quasi vero qui mundum factum esse fatetur, non possit, quin materiam quoque factam esse putet. Graeci ergo scriptores quum nihil iuuent Indos, ad ipsos eorum libros veniendum erit, quos diuinos et a gentis suae conditore sibi traditos esse, narrant. Exstat adhuc collectio quaedam librorum antiquissimorum inter Bramines, quam *Vedam* [3] nominant: hanc coeca gens

[3] *Legum* hic liber Brachmanibus ita sacro-sanctus est, vt magis fideli et anxia custodia, quam Colchi aut Chimici aureum suum vellus, eum asseruent. Quare desperarunt iam

gens ab ipſo Deo Brama ſeſe accepiſſe perhibet: hanc incredibili ſtudio et veneratione, immo maiori, quam Chriſtiani veteris et noui foederis libros, reuerentia perſequitur: hanc a nullis legi patitur ex ipſa Braminum familia, niſi ab hominibus ſacro ritu antea praeparatis et cunctis animi corporisque ſordibus purgatis: hanc denique omnis religionis et ſapientiae vnicam eſſe regulam et normam perhibet, nec quisquam eſt Braminum, quin omnem ſcientiam ſuam praeceptis hoc volumine comprehenſis ſubiiciat, tametſi variis ceteroquin ſententiis inter ſe diſtincti ſint. Largior, ex hoc libro veram Indorum religionem vnice metiendam

iam prorſus eruditi, fore, vt vmquam illius copia ſibi fiat, cum ante aliquot annos ex Gallis P. CALMETTVS ſacer legatus, in epiſtola ad Cartignium ſcripta ſpem potiundi illius non in certam harum rerum cupidis faceret. v. *Lettres edifiantes curieuſes des Miſſions Etrangeres Recueil* XXI. p. 455. vbi quidem non ſcripto traditam, ſed ore a Bramana quodam et quidem clauſis oculis, profundam mentis venerationem prodentibus, recitatam famoſam legem Miſſionariis fuiſſe, ait. Eſt autem, ſi teſtibus his fidem adhibere tuto poſſumus quadruplex omnino *Vedam*, ſiue cognitionis principium. Primum eſt, quod *Rũgwedam* ſeu *Ircuuedam* ſua lingua gens iſta appellat; (v. mox notam 6.) alterum eſt *Yaegiur* vel *Iadſur-Vedam*, quod iterum in quatuor capita diuiſum eſt, atque de variisque rebus praecipit, v. c. de ſacrificio ignis, de gloria et numine Deorum, de formulis quibusdam, de bonis operibus. Tertium ſequitur *Sçâma-Vedam* inſcriptum. Quod quarto denique loco ponunt, *Adbaer-Wana Vedam* arcana quaedam de artibus, quas exercere ipſi nefas ducunt, praecepta tradere pronuntiarunt, optandum rei Chriſtianae inter barbaras gentes promouendae cauſſa omnino eſſet, vt praecipua reconditae ſapientiae capita proderentur, quo felicius diſputare noſtri cum hoc genere ſapientum, (ſi dîs placet,) eosque cum erroribus ex latebris ſuis in lucem protrahere queant. (M.)

dam esse: et dudum est, quod cum viris eruditis opto, vt vetustissimum hoc monumentum in lucem prodeat et in linguam notiorem transferatur. Sed Bramines sibi solis hanc legem esse scriptam et rogatam aiunt: quare religiosissime illam custodiunt, nec vel inspiciendam aliis praebent, nisi ex tribu sua ortis: omnium vero minime Europaeorum, quos profanos esse ducunt, aliquem versare illam sinunt. Quidquid etiam Iesuitae, qui Braminum tamen mores et instituta imitantur, seque Bramines ex regionibus septemtrionibus subiectis esse dicunt, conati sunt, vt exemplum huius *Vedam* consequerentur, spes tamen adhuc vota eorum prorsus destituit: ex quo apparet, ne aureum quidem Vellus tam arcta custodia olim septum fuisse, atque lex haec, quam Indi diuinam esse censent. Retulerunt, non ignoro, nonnulla nobis viri quidam docti de rationibus et argumento huius libri, quae ex ore Braminum sese accepisse testantur: sed haec pauca primum sunt, deinde pugnant inter se, vt Indos pateat aut mentiri et decipere percontatores voluisse, aut ipsos rerum suarum non satis gnaros fuisse. Mittam ego reliqua, quae, nisi breuitatem consectarer, disserere mihi de rebus his liceret, et ad id tantum veniam, quod hic agitur, ad doctrinam, scilicet de ortu huius vniuersitatis, vt in hoc Vedam tradita est. Consentiunt, qui de arcano hoc volumine reliquis luculentius et accuratius commentati sunt ABRAH. ROGERIVS, BOVCHETVS, Iesuita, et FRANCISCVS BERNIERIVS, in quatuor illud libros esse distributum, et primo horum librorum de Deo, de mundo, eiusque ortu, de materia prima, cognatisque argu-

mentis exponi: ipsam vero, quae hoc primo libro continetur doctrinam non eodem modo explicant. ABRAH. ROGERIVS perscriptum esse in eo significat, summum Numen ex flore immensae voragini innatante Deum *Brama* genuisse primum, Brama vero reliqua creasse omnia, id quod supra iam retulimus. FRANC. BERNIERIVS narrari perhibet in eo, summum omnium Deum, quum mundi creationem aggrederetur, tres ante omnia naturas perfectissimas produxisse, *Brama, Beschen, Mehahdeu:* ab illa mundum esse conditum, ab ista euamdem conseruari, ab hac denique aliquando eum destructum iri.[4] Breuius BOVCHETVS, qui postremus, quod sciam, ad PETRVM DANIELEM HVETIVM, de hac Braminum lege retulit.[5] Scriptum enim in ea legi, tantum memorat, in exordio rerum nihil exstitisse, nisi Deum et aquam, Deum vero summis aquis innatasse: quae quidem Iesuita hic non multum differre ab illis existimat, quae MOSES de origine rerum tradidit.[6] Haec inter se qui contulerit, is

4 *Voyages aux Etats du grand Mogol*, Tom. II. p. 139. Aliis quidem nominibus BERNIERIVS sacros Indorum libros appellat, quam reliqui, qui de illis retulerunt: ex ipsa vera narratione eius liquet, de eadem illa collectione ipsum loqui, quae *Vedam* Indis dicitur.

5 In *Epistola*, quae legitur dans les *Lettres édifiantes et curieuses ecrites des Missions etrangeres par quelques Missionaires de la compagnie de Iesus*, IX. *Recueil* p. 38. s.

6 L. c. p. 40. *La premiere partie du Vedam, qu'ils appellant* Irroucou-Vedam *traité de la premiere cause et de la maniere dont le monde a esté crée: ce qu'ils m'en ont dit de plus singulier, par rapport au notre suiet, c'est qu'au commencement il n'y avoit que Dieu et l'eau. La ressemblance de ce trait avec le premier chapitre de la* Genese *n'est pas difficile a remarquer.*

is intelligit quidem, non ita ea distare inter se, vt nullo componi modo et in vnum quoddam corpus cogi queant: idem vero, nisi me fallunt omnia, sentiet, minus esse lucis in illis, quam necesse est, ad vniuersam Braminum de vniuersitate doctrinam percipiendam, plusque etiam adiumenti sumere inde posse, qui veteres Indos suspicantur materiae perennitatem adscripsisse, quam eos, qui contrariam de illis opinionem fouent. *Aqua* enim illa seu immensa vorago; quam vna cum Deo fuisse ab initio tradunt, quid, obsecro, est, quam Chaos illud, quod Poëtae Graecorum canunt, aut rudis illa materia, quam PLATO Deum ad salutem generis humani artificiose composuisse docet? Et quid de *flore* dicemus illo, ex quo *Brama* conditor orbis fertur esse genitus? Ineptusne prorsus id foret, qui suspicaretur, hanc gentem a Iaponum dogmate non esse nimis alienam, quos supra ostendimus sibi persuadere, naturam illam genetricem, quae molem materiae digessit, ex ipso eius sinu prodiisse et intra materiam ab aeterno abditam latuisse? Sed nolo coniecturis lectores morari: quos certos tantum esse volo, nec antiquos Indorum sapientes hac in re iunioribus meliores videri.

§. XXVI.

Phoenicum prope oblitus fuissem, gentis inclytae? multisque olim nominibus laudatae. EVSEBIVM si audias, populus hic a summa erga Deum impietate propius abfuit, nec Deos alios coluit, quam solem, lunam et sidera, quibus rerum omnium ortum et interitum adscripsit:[1] Φοινικας α-

 παν-

[1] *Praeparat. Evangel.* Lib. I, Cap. VI. p. 17.

παντων κατεχει λογος ηλιον και σεληνην και αστερας θεος αποφηναι, μονες τε ειναι της των ολων γενεσεως και φθορας αιτιες· Phoenices vulgatum est, soli, lunae ac stellis diuinitatem attribuisse, iisque solis rerum omnium ortus interitusque caussam adsignasse. Id ipsum aliis in locis repetit et ex notissimis illis fragmentis, quae SANCHONIATHONIS, philosophi ex hac natione celeberrimi, esse feruntur, studiose confirmat. Et hanc eius opinionem viri probant perspicacissimi. Haud passus tamen est tam insignem culpam in Phoenicibus residere EDMVND. DICKINSONVS, qui, renitente EVSEBIO, totque aliis viris doctissimis, in eorum numero eos ponit, qui summum Numen ipsius materiae conditorem et parentem esse statuunt. *Hinc*, inquit,[2] *Cosmologia Phoenicum palam docet, haud ipsum mundum dumtaxat, sed eius etiam materiam quae fuit σπορα κτισεως, seminium creaturae, γενητον, id est, factam esse.* Verum aut fallere nos voluit vir doctissimus, aut ipsemet, ne verum cerneret, temere adscitis opinionibus, impeditus fuit. *Cosmologia*, in qua tam bellam sapientiam sibi videtur inuenisse, ipsae sunt illae SANCHONIATHONIS reliquiae, ex quibus manifestum esse contendit EVSEBIVS[3] Phoenices de mundi origine adeo impie et nefarie philosophatos esse, vt Deum ipsum tollerent. *τοιαυτη μεν αυτων η κοσμογονια, αντικρυς αθεοτητα εισαγεσα. Huiusmodi a Phoenicibus mundi ortus ponitur, qui omnem plane diuinitatem exterminet.* Verba, quae in suam pertraxit sententiam, haec sunt: *και εκ ταυτης εγενετο πασα σπορα κτισεως και γενεσις των ολων. Ex hac sequuta*

[2] *Physicae vet. et verae* cap. XII. p. 198.
[3] Loc. cit. Lib. I. cap. X. p. 33.

ta productionis omnis semina, ipsaque adeo rerum vniuersarum generatio exstitit. Persuasit sibi vir eruditus, his in verbis σπορὰν κτίσεως, *semen creationis*, materiam designare eamque dici a Deo genitam et productam esse: nihil autem minus verum est, quam hoc. Namque res illa, ex qua SANCHONIATHON semen creationis exstitisse affirmat, non Deus, sed *Mot* est, quod vocant Phoenices, natura nescio quae, quam, vt ipse ait, alii dictitent *limum* esse, alii *corruptionem aquosae mixtionis.* Hoc quid fieri potest magis a disciplina Christiana alienum? Neque *semen creationis* prima est rerum materia, quae diu ante illam rem, quam *Mot* nominabant Phoenices, ex ipsorum sententia exstitit, verum dispositio quaedam materiae ad formas illas recipiendas, in quas conuersa fuit, quum ipsa contingeret productio rerum et creatio. Equidem tantum abest, vt eos sequar, qui diuinae veritatis non mediocrem partem in Phoenicum doctrina, vt exponitur a SANCHONIATHONE, cernunt, vt potius EVSEBIVM optime perspexisse censeam disciplinae huius flagitia, cumque illis sociandam esse hanc gentem constituam, qui virtute quadam et lege naturae ex aeterna materia prodiisse cuncta tradunt, Deumque prorsus a creatione huius mundi segregant. Credas oportet primum, si Phoenicibus vti magistris velis, ex omni aeternitate caliginosum quemdam fuisse aërem, spiritu quodam foecundum, et simul turbidum, rude et indigestum Chaos; atque bina haec principia fine omni et termino carere. Quam haec turpia sunt et in Deum iniuriosa? Negant enim homines, Deum sese agnoscere alium, quam spiritum quemdam tenebrico-

ſo aëri permiſtum. *Nihilo* meliora ſunt, quae ſequuntur. *Spiritus hic exarſit aliquando amore Chaos, et idcirco cum illo ſeſe coniunxit.* Hanc copulationem *ſpiritus et rudis* materiae appellant ποθον, *cupiditatem.* Et ab hac cupiditate omnis creationis *initium* ductum fuit. Haec quam vim habeant, *haud* difficulter conieceris. Poſtquam ſpiritus in *materiam* aeternam ſeſe inſinuauit, et eam *peruaſit*, exſtitit in ea coecus quidam impetus ad ea *ex* ſeſe parienda et producenda, quae creata *deinde* ſunt. Nec eſt, quod exiſtimet aliquis, ſpiritum illum via et ratione egiſſe, materiamque prudenti conſilio temperaſſe: non is erat hic ſpiritus, vt eiusmodi quid ſuſcipere poſſet. Ignorabat e contrario, quid fieret, nec proſpiciebat, quid euenturum eſſet, id eſt, neceſſario et fataliter eueniebant vniuerſa. *αυτο δε πνευμα*, ait SANCHONIATHON, *ουκ εγινωσκε την αυτου κτισιν. Spiritus minime opus ſuum*, ſeu ea, quae copulationem eius cum materia conſequebantur, *agnoſcebat.* Ex coniugio Spiritus et Chaos natum eſt *Mot*, limus quidam, quod iam dixi: *Mot* ſolem, lunam, ſtellas primum procreauit: ſidera poſtea calore et virtute ſua hominum genus et animalia generarunt. Pulcram ſane ſapientiam, quam libenter amplectentur omnes, qui Deum ex hac vniuerſitate volunt exterminatum.

§. XXVII.

Perſas quoque veteres ad vnum ſupremum Numen materiae creationem retuliſſe, nec deterius eos ſentire, qui ſuperſtites hodie ſunt ex illa gente, viri quidam nec vulgaris ingenii, nec mediocris doctrinae ſibi perſuaſerunt. Ego vero quod me

me cogat, vt his assentiar, nusquam aliquid in antiquis et recentioribus monumentis offendi, nec attulisse eiusmodi quid video viros praeclaros, qui hac in opinione versantur. HERODOTVM si fas fuerit audire, vsque adeo a veritate remoti fuerunt antiqui Persae, vt ne summum quidem Deum haberent alium, quam concretum et corporeum. Etenim is *coeli gyrum seu vniuersum ambitum Iouem*, id est, *summum Deum ab illis appellari*, refert:[1] τον κυκλον παντα τȣ ȣρανȣ Δια καλεοντες. Verum dixi iam alias, videre mihi Graecos ideo tam deformem sententiam Persis attribuisse, quod nullis illi templis vterentur, Deumque sub dio in montibus venerarentur.[2] Itaque contemnam hoc testimonium, ac, ne longus sim, dabo, non modo Persas vnum coluisse praepotens et aeternum Numen, sed etiam putasse, huius Numinis vi et potentia vniuersitatem rerum esse creatam. Restat, vt illi, qui Persis bene cupiunt, veteris cuiusdam scriptoris vel vnum designent locum, ex quo constet, ipsam rerum omnium materiam pro Dei opere ab illis fuisse habitam. Mihi ineptas gentis huius fabulas de binis principiis rerum, *Oromasde*, et *Arimanio*, itemque ea, quae de *Mithra* et aliis rebus tradiderunt expendenti, prorsus hoc incredibile videtur esse. Qui hodie antiquam Persarum religionem retinere videri volunt, a legibus et institutis maiorum iam diu valde defecerunt, scitisque Mahumedanorum, quo securius hos inter viuerent, multa disciplinae suae capita temperarunt: idque ne illi quidem diffitentur, qui hoc

P 5 ho-

[1] *Historiar.* Lib. I. §. 131. p. 55.
[2] *Obseruat. ad Cudworthum* p. 328.

hominum genus ceteroquin magni ob antiquitatem faciunt. Itaque testes idonei de veteri Persarum religione esse nequeunt. Sed nec tamen ex sacris eorum libris adhuc proferri aliquid memini, quod probet, ex toto sanam esse eorum de origine vniuersitatis sententiam. Narrant viri docti, qui ex instituto in opiniones eorum de diuinis rebus inquisiuerunt, communem vniuersae gentis hanc esse sententiam, Deum intra vnius anni spatium sex temporibus, ex dispari dierum numero constantibus, orbem terrarum, et omnes eius partes creasse: Primo tempore, quod quinquaginta quinque dies continet, coelum esse conditum, altero, quod sexaginta diebus terminant, aquas, tertio terram, quarto plantas et arbores, quinto animalia, sexto denique hominem exstitisse.[3] Non haec, fateor, plane remota sunt ab illorum dogmate, qui diuini scriptoris, Mosis, auctoritatem sequuntur; atque vereor, ne potius ex Christianorum aut Iudaeorum libris sumta, quam in Persarum hortis nata sint. At ne hinc quidem liquet, materiae initium ab illis adscribi: quamuis enim coelum primum a Deo creatum esse adseuerent, haud tamen indicant, vtrum illud ex nihilo, an vero ex aeterna quadam materia productum esse putent. Mihi quidem posterius probabilius videtur, idque multis de causis, quas nunc breuitatis causa praetermitto.

§. XXVIII.

Hetruscos non contemnendi scriptores perhibent

3 THOM. HYDE *Historia relig. veterum Persarum* p. 64. f. HENRIC. LORD *Account of the Religion of the Persees* p. 6. 41. f.

bent in caussis rerum naturalium inuestigandis plus posuisse diligentiae, quam reliquos populos: fruantur hac illi gloria: nos nostro vicissim iure vtemur, et quantum sapientia et eruditione profecerint hoc studio, si fieri quidem poterit, indagabimus. Equidem in plura superstitionis et leuitatis, quam sapientiae Hetruscae, vestigia incidi, veterum libros euoluens, qui de illis nonnulla memoriae prodiderunt, neque hoc negaturos esse iustos rerum et opinionum existimatores arbitror. Verum habent tamen et amicos suos Hetrusci, qui, tametsi non negent, populum hunc multis in rebus a vero aberrasse, in dogmate tamen de mundo et eius creatione eum ex toto sanum fuisse nil dubitant. Auctorem bonae huius opinionis laudant ignotum quemdam auctorem, cuius verba SVIDAS[1] seruauit. Narrat is, Tyrrhenios siue Thuscos praecepisse, Deum illum, a quo condita sint omnia,[2] duodecim mille annos consumturum esse in fabricandis operibus suis: mille primis annis coelum et terram comparatam ab eo esse; post haec caelum illud constructum esse, quod oculis nostris expositum est: tum mare et aquas omnes conditas esse: hinc solem, lunam et sidera producta: successisse his aues, pisces, ceterasque bestias: finem vniuerso labori hominis creationem imposuisse: singulis hisce operibus mille annos supremum Numen impendisse: sex igitur annorum millia effluxisse, antequam homo fingeretur a Deo: reliquos sex mille annos humanum genus in his terris versaturum esse. Desinit hic SVIDAE narratio: verisimillimum autem est, addidisse

[1] In *Lexico* Tom. III. v. *τυρρηνια χωρα.*

[2] *τον δημιουργον των παντων θεον.*

disse his Hetruscos vates, elapsis his duodocim mille annis periturum esse hunc orbem, nouumque rursus a Deo constructum iri. Nam ex PLVTARCHO [3] apparet, homines hos existimasse, certo et a Deo definito annorum numero praeterito, quem *magnum* appellabant *annum*, rerum omnium ingentem conuersionem euenire solere. Non refragabor illis, qui scriptorem hunc, cuius nomen SVIDAS silet, fide omnino dignum esse volunt, tametsi hoc iure quodam meo facere possem: hoc vero pugno, parum ex hoc testimonio auxilii sumere posse, qui Hetruscos eadem quae Christiani, de creatione rerum docuisse putant. Nec enim vel verbum in hac deprehendas narratione, quod suadeat, visum fuisse illis, materiam Deo iubente existere coepisse, quum nulla esset antea. Sunt e contrario quaedam in ea, quae adducunt me, vt credam, nihil illis huius dogmatis in mentem venisse. Deum scilicet sex mille annos tradunt in hoc mundo elaborando et ornando consumsisse. Atqui Deus infinite potens, cuius nutui parent omnia, qui verbo potest efficere, vt prodeant et existant, quae haud exstiterunt, haud indiget tanti temporis ad id, quod vult comparandum et producendum. Itaque primum ex his intelligere mihi videor, Hetruscos veteres censuisse, obstitisse aliquid Deo, ne citius opus suum perficeret, totque annos in eo fabricando contereret. Quale igitur impedimentum Deo tantae tarditatis caussa fuit? In ipsane illud eius natura fuit, an vero extra eam. Perinde mihi erit, vtri quis accedat sententiae. Ipsa natura diuina si, Hetruscis iudicibus, tam imbecilla

[3] In *vita Syllae* p. 456. Tom. I. opp.

cilla fuit, vt non poſſit vno tempore, quae meditabatur, perficere, numquam mihi perſuaſerim, Deo tam impotenti. Hetruſcos id adſcripſiſſe, quo nihil maius et grauius fieri et cogitari poteſt, creationem materiae ex nihilo. Extra Deum vero ſi quaerenda ſit ratio huius morae, aeterna ſtatim occurrit materia. Haec, niſi multum fallor, contumacia, inertia et malitia ſua effecit, ne Deus maturius, quae optabat, conſequeretur. His quum addo, quae ex PLVTARCHO retuli de *magno anno* et *mundi conuerſionibus*, quas ſibi finxerunt Hetruſci in eam lubens ſententiam deſcendo, feciſſe cum illis hanc familiam, qui aeternam quamdam mundorum ſibi ſuccedentium ſeriem animis concipiunt: quod dogma prorſus a veritate, quam nos tuemur, alienum eſt. Igitur potiores perluſtraui populos, quibus ita doctiſſimi quidam viri fauent, vt ea, quae de mundi docuerunt originibus, eodem loco eſſe cupiant, quo praecepta, quae diuinitus Chriſtianis ſunt tradita. Nam de antiquis populis, qui ſeptemtrionibus ſubiecti fuere, de Americanorum item gentibus nonnullis, erga quos non nulli eodem modo ſunt affecti, diſputare nolo, quoniam omnis harum gentium antiquior Hiſtoria nimis eſt obſcura et ſterilis, quam vt de religione earum certi aliquid et immoti conſtituere nobis liceat.

§. XXIX.

Reſtant, de quibus mihi dicendum eſt, *iuniores Platonici*,[1] qui Aegypto egreſſi, per omnes fere

[1] Vulpeculas mirifice ea quae ſequuntur, lecturum & vulpes has cognoſcendi cupidum iuuabit conſuluiſſe hic S. Ven. aucto-

ſere cultiores terrarum orbis regiones diſciplinam ſuam propagarunt, nec hodie fautoribus et amicis diſtituuntur. Sectae huius in ſententiis et ſcitis exponendis haud pauci lapſi ſunt excellentis alioquin ingenii viri, partim quod dictionem et ſtylum eius ex vulgari loquendi lege aeſtimarunt, partim quod minus, quam decebat, animaduerterunt, multa, quae ab his philoſophis diſputantur, de *ſtatu rationis*, vt in ſcholis loquuntur, ſeu abſtractionis mentalis accipi tantum debere. Et vereor, ne idem contigerit in re, quam nunc agimus. Antiquiorum Chriſtianorum aliqui dudum tam benigne quorumdam ex Platonicis hiſce de mundo ſententiam interpretati ſunt, vt nihil eam differre a dogmate ſuo arbitrarentur. Teſtem appello AENEAM GAZAEVM, clariſſimum e ſeculo quinto philoſophum; qui cum Platonicos confutat, qui aeternum ſtatuebant mundum eſſe, nec modo mundum, verum etiam mundi materiam coepiſſe aliquando, auctore Deo, pugnat, ipſa ſcholae Platonicae fulcra illis opponit, et PLOTINVM, PORPHYRIVM, vna cum oraculis, quae Chaldaica vocantur, idem quod Chriſtianos arbitrari de materia, contendit. Iuuat ipſum loquentem audire:[2] *ȣ γαρ αγεννητος ȣδ᾽ αναρχος η υλη, τȣτȣ σε και Χαλδαιοι διδασκȣσι και ο Πορφυριος επιγραφει δε καθ᾽ ολȣ. το βιβλιον, ο εις μεσον προαγει των Χαλδαιων τα λογια. εν οις γεγονεναι την υλην ισχυριζεται,*

auctoris Diſſert. 1725 Helmſtadii, Andrea Henrico Fauſto defendente habitam de *turbata per recentiores Platonicos Eccleſia*. Offert eam etiam *ſyntagma Diſſert. ad Hiſt. Eccleſiaſticam pertinentium* Vol. I. 85. et locupletior et emendatior in Cudwortho Tom. II. p. 89. ſſ. (M.)

[2] In *Theophraſto* ſeu *Dialogo de opificio mundi* p. 56.

ριζεται, και το Πλωτινȣ διανοιγων βιβλιον οθεν τα κατα φυσιν πȣ λεγει, αγεννητον δη ειναι την υλην και το εν αρχαις τιθεναι, ως αθεον δογμα παραιτητεον. Haec verba CASP. BARTHIVS ita latine vertit: *Materia ipsa neque ingenerata neque caret principio. Hoc quidem et Chaldaei te docuerint, et* PORPHYRIVS *libro, quem* Catholon *scripsit, producendis eorumdem dogmatibus compositum. In hoc factam esse materiam conuincit et* PLOTINI *enarrans commentarium statuit, opinionem eorum, qui syluam illam ingenitam et principii expertem docent in Deum impietatis explodendam.* Laborat haec versio vitiis nonnullis, quod Graeca cum Latinis conferenti statim patebit: in quibus vitiis id peius et ceteris, quod verba *καθ' ολȣ*, et quae cum his coniuncta sunt, ita BARTHIVS reddidit, ac si PORPHYRIVS librum reliquisset *Catholon* inscriptum, eoque Chaldaeorum vnice collegisset oracula. Nusquam exstat libri eiusmodi a PORPHYRIO conscripti memoria, neque postulant verba GAZAEI, vt credamus, in illo, quod hic memoratur, volumine, hominem Chaldaeorum oracula tantum congessisse et fortassis explanasse. Vidit iam errorem hunc LVCAS HOLSTENIVS, vir doctissimus, qui vocabula *καθ' ολȣ* libri negat esse titulum et totum locum ita vertit:[3] *Ille enim integrum librum conscripsit, quo Chaldaeorum oracula producit, quibus materiam esse genitam confirmatur.* Sed nec huic vt assentiar prorsus, a me impetro. Suspicor potius, libri cuiusdam PORPHYRII indicem omnino hic a GAZAEO nominari, sed corrupta esse verba eius librariorum incuria. Scripsit, vt coniicio, AENEAS *λαθ' ολης* et volumen illud hic testatus

[3] De *vita et scriptis* PORPHYRII cap. IX. p. 56. ed. Cantabr.

ſtatus eſt, quod SVIDAS refert eum conſcripſiſſe περι υλης ſeu de *materia prima.* Idque cum ex re ipſa puto conſtare: nam de materia hic ſermo eſt, tum inde, quod, PLOTINI commentarium quemdam a PORPHYRIO hoc libro expoſitum eſſe GAZAEVS addit: exſtat enim PLOTINI liber περι υλης, cui haud dubie diſcipulus eius lucem afferre hoc opere conatus eſt. Ex recentioribus multi hos antiquos ſequuntur, nec confirmare verentur PLATONEM, omnesque eius germanos diſcipulos exiſtimaſſe, materiam a Deo productam et creatam eſſe. In his primum locum BESSARIONI tribuo, qui his verbis vtitur:[4] *Deus materiam quoque ipſum producit, eſſeque ita ei impartit, vt a forma inſeparabilis ſit: haec de materia Platonis opinio eſt, haec Plotini, Porphyrii, Amelii, Iamblichi, Syriani, Procli, omnium denique, qui* PLATONIS *diſciplinam ſunt ſequuti: hoc etiam Herme Triſmegiſto placere Iamblichus ſcribit, quippe voluiſſe Hermem affirmat materiam ex ſubſtantialitate produci.* Sed nec tamen accuratus ſatis eſt hic BESSARION, quia omnibus Platonicis eamdem adſcribit ſententiam, quod fieri nullo modo poſſe, paullo poſt apparebit: nec omnino fauet illis, qui adoleſcentiorem ſcholam Platonicam Chriſtianum dogma de ortu materiae complecti adſueuerant, quia idem minime negat, ſectam hanc aeternitatem ſimul mundo attribuiſſe. Diſtinctius et diligentius hac de re commentatur LIVIVS GALANTES,[5] cuius diſputationem in ſuos artus et mem-

[4] Libro II. *contra calumniatores Platonis* cap. V.

[5] *Comparatione Chriſtianae theologiae cum Platonica* Lib. IX. p. 236. Memoria fefellit virum praeſtantiſſimum, Io. ALB

membra accurate distributam, omissis illis, quae ad summam eius haud pertinent, exhibebo. Praescribit GALANTES capiti, quo hoc argumentum persequitur, hunc indicem: *An mundus sit ex nihilo, vel ex praeiacenti materia creatus.* In ipso capite vero Platonicos in tres classes partitur. Primo genere comprehendit eos, qui materiam aeque aeternam, atque Deum, existimarunt esse, quorum principem et ducem obseruat ipsum PLATONEM a plerisque haberi. Huic subiicit alteram classem eorum, qui materiam a Deo quidem creatam et productam esse censent, at simul tamen mundum aeternum esse statuunt: *Alii,* inquit, *in hac familia praestantiores Platonici seu qui ab Ammonio Sacca profluxerunt, - - Plotinus, Porphyrius discipulus, Iamblichus Porphyrii auditor, Syrianus Iamblichi, Proclus Syriani, Ermias Procli, Damascius Ermiae, Priscianus Lydius, qui Damascii fuit praeceptor, et haec tota Schola Platonicorum insignium materiam primam vtique genitam et productam esse a Deo velle videntur.* Verum addit continuo, familiam hanc, si cuncta

ALB. FABRICIVM, quum *Biblioth. Graecae* Lib. II. cap. XII. p. 464. scriberet, GALANTEM, *Syriani, Hermiae, Damascii et Prisciani Lydi loca proferre*, ex quibus pateat, hos philosophos creationi ex nihilo fauisse. Nec enim horum philosophorum locos affert Galantes, sed nómina tantum eorum recitat, nec hos philosophos ita, vti Christianos, de creatione sensisse perhibet, sed PROCLVM tantum, PORPHYRIVM et IAMBLICHVM huius gloriae participes facit, quod ex enarratione disputationis eius, quam hic exhibemus, patebit. Non monuissem hoc, nisi metuissem, fore aliquos, qui tanti viri auctoritate freti suspicarentur, non accurate satis GALANTIS disputationem a me relatam esse.

cuncta eius dogmata rite expendantur, locum inter adsertores germanos creationis ex nihilo haud flagitare posse: statui enim ab illa mundum aeternum esse: quare quae de materiae productione et creatione tradant, non de vera et reali productione, sed de caussali tantum et rationali accipienda esse. *Nam*, inquit, *si hi mundum caussatiue dumtaxat genitum voluere, hoc est, ratione non re, sed aeternum, quomodo etiam materiam non putarunt aeternam, hac nimirum mundana aeternitate? Dicendum est igitur, quod hi, sicuti voluerunt mundum nunquam productum realiter, ita etiam materiam primam improductam reuera existimarunt, sed productam dixerunt, non productione reali, sed productione caussali, seu rationali, cum non solum ipsa sit vmquam formis destituta, sed etiam nec vix cogitari possit.* Sapienter et prouide haec animaduersa sunt: quorum similia si forent omnia, quae toto GALANTES opere disputat, summa merito laude dignus esset. At quosdam tamen ex Platonicis melius ceteris docuisse iudicat, nec vllo modo Christianum dogma de creatione mundi deprauasse: Hos tertio in genere ponit. *Sunt*, inquit, *nihilominus quidam Proclum sequentes et alios, qui materiam* Re *et tempore genitam esse a Deo arbitrantur.* In consequentibus nominatim PORPHYRIVM et IAMBLICVM huius sententiae fautores esse, tradit. Hos primum PLATONIS, HERMETIS et ORPHEI auctoritatibus sese tueri perhibet, nec obscure, bonos sibi eos horum sapientum interpretes videri, significat: tum argumentis et rationibus quibusdam sententiam eorum confirmat. Nos vtrumque hic repetere nolumus. Nam PLATONEM et reliquos illis minime

me fauere, qui materiam ex nihilo ducunt a Deo creatam esse, supra late ostendimus: argumenta vero, quibus sententiam suam hosce Platonicos ait muniuisse, ab ipso GALANTE excogitata, non ex scriptis eorum hausta et sumta sunt. Ab hoc parum remotus est RADVLPHVS CVDWORTHVS, qui, tametsi Platonicorum multos constituisse fateatur, aeternum esse mundum et idcirco materiam quoque, quosdam tamen familiae huius nil dubitat rectiora vidisse ac probasse, ipsamque materiam censuisse a Deo factam esse: Et huius generis arbitratur praeter alios PLOTINVM, PORPHYRIVM, IAMBLICHVM, HIEROCLEM et PROCLVM fuisse, quos Chaldaicorum Oraculorum, Aegyptiorum et ORPHEI legisse vult vestigia:[5] Prae ceteris omnibus Platonicis HIROCLES, tamquam acerrimus vindex recte huius opinionis de vniuersitatis originibus a viris doctissimis laudatur: Et certe clarius is, quam reliqui sectae suae, hac de re loquutus est, nec modo, id quod mox videbimus, in eos sociorum suorum aspere inuectus est, qui aeternam Deo non vererentur, materiam adiungere, sed etiam PLATONEM maximopere contendit statuisse, materiam ipsam Dei opera creatam et productam esse. Hinc PETR. DAN. HVETIVS [6] hunc vere vnum sufficere sibi ratus est, cuius testimonio conficeret, PLATONEM, et vniuersam eorum turbam, qui disciplinam eius vere sectati sunt, Christianis nihil deterius de materia sensisse. PETR. autem BAYLIVS ita Hieroclis verbis commotus fuit, vt suspicaretur hominem hoc dogma ex Christianorum libris depromsisse, cumque acrius meditando

[5] *Systemate intellectuali vniuersi* cap. V. Sect. II. p. 751. 752.
[6] Quaestion. Alnetanis Lib. II. cap. V. p. 109. 110.

verum adulteraſſet ac deprauaſſet. Alteram eius rationem optime ſic poſſe exponi et declarari arbitror: Quicumque rem ſibi minime ſubiectam et aeternam, in quam nihil iuris hábet, ex ſtatu naturali ſuo in nouum et naturae eius contrarium transfert, is peccat et maleficio quodam ſeſe contaminat. Quocirca ſi Deus materiam aeternam, ſororem veluti ſuam, non ſciuiſſet in ſtatu ſuo permanere, ſed noua ratione temperaſſet et adfeciſſet, ſine controuerſia rem molitus eſſet iniquam et a iuſtitia alienam. αλλ᾽ ουδε ο θεος αυτος κακων αναιτιος εσαι, την αρχην της δημιουργιας απο τινος κακοποιιας ενστησαμενος. *Sed neque Deus ipſe innoxius erit initium creationis a quodam maleficio inchoans.* Quae praeciſe et conturbate dicta ſunt ab Hierocle in ordinem redegi, perſpicuitatis cauſa: neque puto id ſapientem quemdam vituperaturum eſſe. His argumentis praepoſitis, eos ſigillatim adoritur, qui non ab aeterno, ſed in tempore Deum ad mundum ex materia condendum acceſſiſſe ducunt, deteriusque etiam eos ſentire contendit illis, qui ex infinito tempore Deum materiam ornaſſe tradunt. Sed haec praetermitto, ne nimis ab inſtituto abeam. Iam ſi quis quaerat quemadmodum veritas de creatione mundi ſentire iubeat, reſpondet Hierocles, ſano cuiuis exiſtimandum eſſe, Deum vna voluntate ſua ex nulla materia aeterna, aut ex nihilo, mundum tam ſpectabilem, quam inuiſum produxiſſe: atque hanc Platoni quoque ſententiam placuiſſe: οτι δημιουργον θεον, φησι, προυφιστησιν ο Πλατων εφεστωτα πασης εμφανους τε και αφανους διακοσμησεως, εκ μηδενος, προυποκειμενου γεγενημενης. αρκειν γαρ το εκεινου βουλημα εις υποστασιν των οντων.

Plato

PLATO *opificem Deum cenſuit ſuſtinere omnem aſpectabilem et ineſpectabilem mundum, nulla prius exiſtente materia productum.* Sufficere enim voluntatem Dei, vt ea, quae ſunt omnia, exiſtant. Verbis tam diſertis, et perſpicuis quis ſeſe commoveri haud patiatur? Ego vero diuturno vſu, et librorum a Platonicis conſcriptorum lectione edoctus ſum, nullius ſectae orationem acrius expendendam eſſe, quam Alexandrinae huius, et quae primo aſpectu praeclare apud illos et egregie dicta videntur, formam omnem et pulchritudinem amittere, ſi cum illis comparentur ſcitis quibus tota ratio philoſophiae eorum nititur. Documentum capere licebit ex illis quae iam dicturi ſumus; quae quidem ſententiam Platonicorum de mundo et materia a verbis multum diſcrepare, docebunt, quibus eam explicant.

§. XXXI.

Ante omnia, qui cupidi ſunt cauſſae huius cognoſcendae, animaduertere decet, vniuerſam Platonicorum ſectam, mundum duxiſſe aeque aeternum eſſe, atque ipſum Deum, atque huic non ſecus ac vmbram corpori ex infinito tempore adiunctum fuiſſe. Tritum eſt hoc dogma, et ſacro-ſanctum in ſcholis huius ſectae: nec quisquam eorum repudiare illud poteſt, niſi totam ſimul abiicere philoſophiam et ad aliam transfugere ſectam velit. Scilicet aeternitas mundi tam neceſſario conſequitur ex metaphyſicis illorum praeceptis, quam ex illo decreto rationis: *paria paribus addita numerum efficiunt parem*, hoc manat conſectarium: *Ergo bina binis addita quatuor pariunt.* καθάπερ, ipſos audis Platonicos apud

Zachariam Mitylinevm,[1] αιτιον το σωμα της εκαστου σκιας γινεται. ομοχρονος δε τω σωματι η σκια και ουχ ομοτιμος. ουτω δη και οδε ο κοσμος παρακολουθημα εστι του Θεου αιτιου οντος αυτῳ του ειναι, και συναιδιος εστι τῳ Θεῳ ουκετι δε και ομοτιμος. *Quemadmodum quodlibet corpus caussa est vmbrae suae, aequalis autem est tempore vmbra corpori non item honore: ita mundus hic sequela est Dei, qui caussa est ipsi, vt sit, et coaeternus est Deo, at non compar honore.* Haec communis est totius familiae sententia, quam qui deserere voluisset, haud dubie, res sibi suas habere iussus a magistris fuisset. Solent dogma hoc exemplis et similitudinibus nonnullis illustrare, quas ab aeterno baculo, aeternaque eius vmbra ab aeterno sole, aeternoque solis radio ab aeterno pede, aeternoque eius vestigio sumunt. Quod enim aeterna vmbra baculo aeterno, quod aeterno pedi vestigium aeternum, quod aeterno soli sempiternus eius radius foret, id homines hi aeternum mundum ratione Dei aeterni esse dicunt. Memini me iam alio loco copiosius de hac re commentari: quod me admonet, vt hic breuior sim. Ipsi quos viri doctissimi volunt creationis ex nihilo vindices esse, sectae huius philosophi huic dogmati totos sese addictos ostendunt. Plotinvs tot in locis operum suorum profitetur, mundum a Deo ex omni aeternitate fluxisse et radii instar ex sempiterno sole manasse, hospitem vt oporteat esse in scriptis eius, quem hoc praeterit. Plotini vero qui nouit dogmata, is vna cognitum habet, quid discipulus eius Porphyrivs senserit: qui praeceptoris sui tam studiosus est, vt ipsa eius verba multis

[1] Dialogo *de opificio mundi* p. 187. ed. *Barthii.*

tis in locis sua faciat, quod ex *Sententiis* eius apparet a LVC. HOLSTENIO editis. De IAMBLICHO supra iam diximus:[2] differt quidem is a reliquis Platonicis in eo, quod existimat, in disputando docendi caussa assumi posse, mundum habuisse initium; quam eius opinionem IVLIANVS, Imperator, reiicit; nec tamen dubitat, quin re ab se mundus principii omnis expers, nec secus, quam aeternum *caussatum*, vt cum metaphysicis loquar, *aeterni caussantis* spectari debeat. PROCLVS tantum abest, vt mundum certo tempore coepisse putauerit, vt singulari potius libello, id quod notum est, contra Christianos aeternitatem mundi defenderit: quem librum eius IOHANNES PHILOPONVS ex Christianis oppugnauit.[3] Nec in alia fuit HIEROCLES sententia idque satis inde patet, quod Deum *ἐξ ἀιδίου ἐνεργοῦντα* vocat,[4] seu *ab aeterno operatum esse* scribit: Nam Platonicorum stylo *ab aeterno operari* et *ab aeterno mundum creare* formulae sunt eiusdem potestatis. Idem ex eo liquet, quod summa cura et diligentia in libris de prouidentia et fato, teste PHOTIO, conatus est, PLATONEM et ARISTOTELEM coniungere probatumque dare, vtriusque eamdem de mundo et eius ortu fuisse sententiam. ARISTOTELEM vero quis nescit mundum statuisse principio carere ac aeternum esse? neque quisquam Platonicorum vmquam aliam ARISTOTELI sententiam tribuit. Non sum inscius, sectam hanc non raro de creatione

 mundi

[2] §. XXI.
[3] Vid. IO. ALB. FABRICIVS *Biblioth. graec.* Lib. V. cap. XXVI. p. 522. Vol. VIII. et Lib. V. cap. XXXVII. p. 362. Vol. IX.
[4] Apud PHOTIVM *Biblioth.* Cod. CCLI. p. 1378.

mundi magnifice loqui immo negare mundum aeternum esse. Sed haec neminem conturbabunt mediocriter in scriptis eorum versatum. Nam cum mundum dicunt conditum et factum a Deo esse, non talem intelligunt, qualem nos, creationem verum aeternam: idque passim apertis verbis significant. Rursus cum aeternitatem mundo derogant et soli Deo tribuunt, non de omni accipi hoc volunt aeternitate, sed de certo tantum aeternitatis genere. Alio nimirum modo Deum esse adseuerant aeternum alio mundum. Aeternitatem enim distribuere solent in *aeternitatem temporis* et *aeternitatem caussae*, et rursus in *aeternitatem fluentem* et *stabilem* seu constantem, de qua distinctione, caussisque eius iam alias plura disserui. Aeternitatem illam, quae *temporis* dicitur, Deo et mundo communem esse volunt: at aeternitatem *caussae* mundo detrahunt et soli Deo tribuunt. Optime hanc sententiam BOETHIVS expressit, qui et ipse eam amplexus est: *Neque enim*, inquit,[5] *Deus conditus rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturae*. Rursus aeternitatem, quam *fluentem* dixi, mundo conuenire dicunt, in quo cuncta perpetuis vicissitudinibus et conuersionibus feruntur, ita vt aliud ex alio fiat, et noua semper rerum series et successio priorem consequatur: vni vero Deo aeternitatem illam *Stabilem* et omnis Successionis nesciam propriam esse tradunt. *Aliud est*, inquit BOETHIVS, *per interminabilem duci vitam, quod mundo* PLATO *tribuit: Aliud interminabilis vitae totam pariter complexam esse praesentiam, quod diuinae mentis proprium esse manifestum*

[5] De *consolatione philos.* Lib. V. p. 138.

festum est. Itaque cum mundum aeque negant Platonici aeternum esse, atque Deum, huc eorum vnice redit sententia: *Mundum ex omni aeternitate sine vllo principio de Deo tamquam de caussa et de auctore suo fluxisse, quemadmodum de aeterno corporo aeterna vmbra, aut de perenni sole perennis radius.* Talis quum totius familiae Platonicae sententia sit, nec esse possit alia, perspicuum est, per leges disciplinae, quam profitentur, non licere illis cum Christianis de mundo et materia consentire, nec posse eos non creationem mundi et materiae reiicere? Num igitur secum ipsis pugnant Platonici, quum affirmant, mundum non modo, sed et materiam mundi factam, genitam, immo vna Dei voluntate ex nihilo productam esse? Num primorum forte philosophiae, quam probant, elementorum obliuiscuntur? Aut, fallendi caussa, aliter loquuntur quam sentiunt? Soluam ego hoc aenigma, apertumque faciam, neque sibimet ipsis hos philosophos aduersari, nec malitiosas mentibus aliorum insidias struere.

§. XXXII.

Duplicem gerunt in plerisque scriptis suis personam Platonici, *Physicorum* nimirum et *Metaphysicorum:* quod qui haud animaduertunt, illi in exponnendis eorum sententiis non possunt non grauissimos admittere errores. Quum physicorum munere funguntur; res, de quibus disserunt, sic explicant, vti in se et natura sunt, ex sententia nimirum disciplinae, cuius scita tradunt. At Metaphysicorum quando sibi sumunt habitum, res natura sociatas cogitando diuellunt, partesque rerum intelligentia seiunctas separatim ita consi-

de-

derant, ac si nullum inter eas vinculum esset, imo de illis tamquam de rebus per se subsistentibus loquuntur. Licuit hoc semper quoddammodo facere Metaphysicis: at haec secta modum omnem excedit, cum hoc iure utitur. Postquam enim ex mundo hoc, quem cernimus, in mundum transiliit *idealem* seu *intelligibilem*, ita subito ferupre effertur imaginationis et contemplationis impetu, vt animi notiones non in personas tantum, sed etiam in Deos conuertat, et de his fictis et commentitiis personis et numinibus, non secus, ac si res gestas heroum et hominum exponeret, longas narrare fabulas incipiat. Vniuersa gens hac scabie laborat: sed alius tamen deterior est alio quidam, vt PROCLVS, IAMBLICHVS, DAMASCIVS ita efferuescunt, cum naturae fines transgressi sunt, vt nullum ego fere poëtarum tantopere sese imaginationi suae tradidisse regendum, crediderim. Id in hac nos caussa imprimis oportet obseruare. Physicorum personam dum sustinent Platonici, nec supra lunam et sidera commentando euolant, mundum perhibent aeternum esse atque vna cum Deo ex omni aeternitate ita exstitisse, vt totam naturam suam a Deo, tamquam efficiente caussa, acceperit. Haec sententia non nimis differt ab ARISTOTELIS de Deo et mundo opinione, quod iam alias monuimus, et erroribus valde noxius atque summae aduersus Deum impietate vicina est. Sed iidem homines cum ingenio laxant frena, et in commentitium illum orbem, in quo ideae speciesque rerum vagantur, commeant, aut, quod idem est, Metaphysicorum suscipiunt partes, ita de Deo, de mundo, de materia mundi disputant,

tant, ac si a semetipsis diffiderent, Deumque, mundum, et materiam nulla ratione inter se colligata esse putarent. Primum Deum a mundo cogitatione diuellunt: quod cum fecerunt, de creatione mundi, tam grauiter et accurate loquuntur, ac si Deum initium aliquando huius laboris fecisse, certumque ordinem in creando tenuisse et obseruasse vellent, quod Christiani a diuino scriptore Mose didicerunt. Haec qui legunt, nec vel sciunt, vel recordantur caetera huius familiae praecepta, facile adduci sese patiuntur, vt existiment, nihil sanius hisce philosophis fieri posse: Qui vero non ignorant, quae alias in illorum libris de aeterna mundi et Dei colligatione scripta leguntur, illi vident ac intelligunt, Metaphysicam tantum esse creationem illam mundi, de qua disserunt, remque totam in Epicvri intermundiis aut potius in cerebro horum hominum agi, qui pro lubitu res natura sociatas meditando dissoluunt et componunt iterum. Nam quid est aeterna creatio, quam binorum vocabulorum coniunctio, quorum notiones disparatae sunt? at quo demum modo id, quod ex omni aeternitate fuit, et ex Deo semper pependit, certis legibus et certo ordine seruato conditum videri poterit? His nondum contenti doctores Platonici, subtilius instituunt, et quemadmodum Deum a mundi cogitatione secreuerunt, ita materiam, ex qua constat mundus, a mundo ipso seiungunt, i. e. notionem et speciem materiae in se et abstracte spectatae informant animis. Hunc vbi contemplationis gradum attigerunt, et in sublimi supra mundum et coelum constituti sunt, dici vix potest,

est, quantas excitent tragoedias. Namque de hac notione materiae, de ortu eius, de affectibus eius, non secus deliberant, et disputant, ac si hominem quemdam aut animal contemplarentur et manibus contrectarent: quod quidem ex PLOTINI libro *de materia* et aliis eius generis commentationibus apparet. Iurarent, qui non satis gnari sunt rerum huius sectae, rem maxime grauem et seriam agi, Platonicisque persuasum esse, exstitisse, antequam fieret aliquid, materiam quamdam et hanc materiam a Deo adhibitam fuisse, quum mundum fingere vellet; at qui diligentius perpendunt omnia, nec integumentis rethoricis et poëticis sese deludi sinunt, illi de notione quadam animi, de *abstractione* quadam *mentali*, de *idea Platonica*, tam verbosam, longam et spinosam disceptationem institutam esse, vident. Hanc illi notionem digitis fere dimetiuntur: hanc in omnes versant partes: hanc denique id nescio quae membra iterum discerpunt, in quorum consideratione tam acuti sint et ingeniosi, vt diligentissimum etiam speculatorem saepenumero effugiant et fallant. Quamque nullis in rebus facilius dissensiones et rixae oriantur quam in illis, quae ab omni sensu remotae sunt, nec nisi mente prorsus adducta et contenta cernuntur, ideo fit, vt de huius ideae natura et proprietatibus, in certamina incedant saepenumero acerrima, alterque alterum errorum postulat nullo modo ferendorum. Mittamus nunc reliqua, quae inter eos de materia quaeruntur et ea tantum videamus, quae de ortu eius in his scholis tradi solent. Ardua est in his scholis et valde subti-

ſubtilis quaeſtio: *Vnde exſtiterit materia?* quam idcirco PORPHYRIVS inter eas retulit, de quibus Aegyptiorum ſententiam exquirendam ſibi eſſe duxit in epiſtola ad ANEBONEM ſacerdotem Aegyptium. Patuit mihi vero libros doctorum ſtudioſe legenti, tres de hac re inter eos floruiſſe opiniones. Quidam volunt, materiam naturam eſſe per ſe ex omni aeternitate conſtantem et a diuina natura plane ſecluſam et diuiſam, quam Deus formauerit, et certis legibus conſtrinxerit, quum mundum crearet. Qui hac imbuti ſunt ſententia, illi PLATONIS *Timaeum* potiſſimum teſtantur, et in rem ſuam trahunt: Sed non ita multis hi videntur ſectatoribus valuiſſe: quare PROCLVS, HIEROCLES et alii, id quod antea vidimus, ſecure eos corripiunt, et violatae prope maieſtatis diuinae inſimulant. Alii ex ipſa diuina natura fluxiſſe materiam ex aeterno arbitrantur et diuinae idcirco *eſſentiae* partem quamdam eſſe, ſic PLOTINVS, ſic PORPHYRIVS ſenſiſſe videntur: ſic IAMBLICHVS quod ſupra probatum dedimus, vt alios praetermittam, aperte ſenſit. Alii denique, cum ne hoc quidem dogma Deo ſatis dignum eſſe ducerent, altius etiam eniſi ſunt ingenio, materiamque ex nihilo ſola voluntate diuina productam eſſe decreuerunt. Hanc ſententiam HIEROCLES profeſſus eſt, quod ex verbis eius ſupra recitatis apperet, et multi ſine dubio alii. Suſpicor autem, cum opinionis huius in antiquioribus Platonicis nullum offendam veſtigium, eam rebus Chriſtianis iam multum amplificatis ſaeculo demum tertio natam et fortaſſis ab ipſo HIEROCLE excogitatam eſſe. Qui quidem philoſophus, cum

cum saepius cum Christianis congressus, nec leuiter in monumentis eorum versatus esset, recte sese facturum opinatus est, si verbis eorum vteretur, et quo citius flecteret animos, eodem modo, quo illi solebant, rerum omnium origines explicaret. Et obseruatum iam ab aliis est. Plura eum tam verba, quam dogmata mutuatum esse a Christianis, atque cum sectae suae placitis colligasse, quo haec ornatiora redderet, et Christianis gratiora. His contentionibus et certaminibus Platonicorum de ortu materiae qui spectator veluti interest, is leui a se labore impetrat, vt hos homines credat reapse materiam a mundo et a Deo seiunctam putasse, atque pro natura habuisse per se constante. Verum secus sentire coguntur, qui interiora sectae huius dogmata non ignorant, velumque remouent, quod disquisitionibus suis obtendunt. Namque hi intelligunt, Metaphysicum mimum strenuos hosce bellatores agere, vixque meliores esse illis, qui de vmbra asini litem longam feruntur inchoasse. De *ente scilicet rationis*, quod nullum est, de *abstractione mentali*, de notione animi altercantur. Abiice figuras orationis et figmenta, atque hanc habebis disputationis vniuersae summam: *Isne sapientius et rectius faciat, qui postquam abstractam materiae notionem animo et cogitatione informauit, cum hac notione ideam aeternae existentiae vel emanationis aeternae coniungat, an vero is, qui ideam creationis ex nihilo cum ea societ?* Bellam profecto et tam acutis ingeniis dignam disceptationem! Quasi vero reipublicae aut salutis humani generis intersit, nosse, quemadmodum animo

animo concipiendae ſint ſpecies et imagines rerum, quae nusquam per ſe ſubſiſtunt, et ex infinito tempore tales fuere, qualis nunc ſunt. Finge tibi auream catenam ex omni aeternitate de manu Iouis pendentem; adde, tres philoſophos acriter inter ſe rixari, num aurum, ex quo haec conflata eſt catena, quatenus cogitatione illud a catena ſecernitur et abſtrahitur, per ſe ab aeterno fuerit, an vero ex manu Iouis fluxerit, an denique ex nihilo creatum ſit? quid diceres, ſi hos homines certare inter ſe et mutuis conuiciis pugnare audires? Diceresne, propius eos a clementia abeſſe? Nam quum talis ſemper fuit haec catena, qualis nunc eſt, et aeternum talis futura ſit, non modo inutile, ſed etiam ineptum et lepidum eſſe, contendere, qualem notionem auri, ex quo catena conſtat, mente informare, oporteat? aurum illud nec factum nec natum eſt, nec extra catenam vmquam exſtitit, ipſa etiam catena nullo non tempore fuit: quid ergo prodeſt diſputare, quale illud aurum futurum fuiſſet, ſi natum fuiſſet, et extra catenam aliquando exſtitiſſet? Transfer haec ad Platonicos noſtros et quo loco habendae ſint meditationes eorum *de materia extra mundum ſpectata*, non ignorabis. Nos, qui Chriſtum ſequimus, quum materiam ex nihilo a Deo factam eſſe, rem et naturam intelligimus vere exſiſtentem: illi cum idem dicunt, non de materia ipſa, ſed de abſtracta tantum imagine et forma materiae, de vmbra, de notione mentis ſuae loquuntur. Egrediamur itaque ex hac arena, poſtquam ſuſceptum laborem abſolui-

mus, nec oblatum nobis adhuc ex veteri memoria vel philoſophum vel populum quemdam decernamus, quem conſtet eamdem, quam Chriſtiani, de rerum originibus et creatione opinionem fouiſſe.



DE

DE
LOCO VEXATO
AELII LAMPRIDII
SANCTVM NOMEN
IN
PENETRALE DEI SVI
TRANSTVLIT
OBSERVATIO

PROBATVR AVTEM
HAC OBSERVATIONE
PER
SANCTVM NOMEN *ATTYN*
CYBELES AMASIVM
INTELLIGI.

DE

SANCTO NOMINE

AB

HELIOGABALO IN PENETRALE

DEI

SVI TRANSLATO

OBSERVATIO*

Iure Tuo a me postulas, PEZOLDE amplissime, vt quas consignare coepi de *litterario studio cogitationes* [1] qualescunque, quam id fieri possit, celeriter absoluam, ne elegantissima *Tua Miscellanea* defectu quodam laborare diu videantur. In aere, fateor, *Tuo* sum, nec tam *Tuo*, quam omnium, qui nugas nostras aliquid esse putant; qui, ne permolesto ferant animo, datam a me fidem aliquando tardius liberari, mihi pertimescendum est. Ego vero etiamsi nostro labore litteratos ciues facile carere posse intelligam, quam tamen vellem, ne lentum nomen iure quodam videri possim. Sed, cum citra meam culpam istud mihi periculum subeundum sit, non defore spero, aequos videlicet rerum aestimatores, qui cunctationem nostram a vitio remotam esse iudicabunt. Eo scilicet in loco, meae res sunt, vt ab otio omnium maxime relictus mox hoc, mox

 illuc

* Publici iuris primum eruditam hanc Commentationem fecere *Miscellanea Lipsiensia, ad incrementum rei litterariae edita.* Tom. IX. p. 271. (M.)

[1] Typis descriptae illae fuerant Tom. VI. Miscell. Lips. p. 63. quo ex loco depromtas eas lectoribus legendas dedimus supra. (M.)

Tauroboliatus est, vt typum eriperet, quae, vt paullo post repeteret, non erat necessarium; mentio Gallorum, quos ATY sacra fecisse vel ex LACTANTIO,[5] ISAACO VOSSIO[6] infinitisque aliis constat, rem satis manifeste declarat. Quorum cum hic signate ritus suscepisse dicatur HELIOGABALVS, num de alio quam ATY hic cogitari possit, equidem dubito. Coniunctus praeterea semper huic Matri Deûm seu CYBELE erat ATTYS, quapropter suauissimo LVCIANO[7] haec τον Αθθιν επι των λεοντων φερουσα dicitur. Idcirco non fieri poterat, quin, cum matrem CYBELEN in Dei sui adyta raperet HELIOGABALVS, ATYN etiam insimul eo transferret, ne suo iniuste priuaretur amatore; quem itaque ab LAMPRIDIO nominari quoque par erat: Omnium vero maxime nostram id confirmat opinionem, quod SANCTI titulus ATY speciatim a Romanis datus fuit. ARNOBIVS:[8] *Nomne illum Atym Phrigem abscissum et spoliatum viro, magnae matris in adytis, Deum propitium, Deum sanctum Gallorum conclamatione testamini.* Quid ergo hoc euidentius esse potest, κατ' εξοχην hic etiam per *sanctum*, LAMPRIDIVM ATYN indicare voluisse? Denique et hoc accedit, quod HELIOGABALVS nouum suum numen suo nomini dedicatum SOLEM esse voluerit, Phoenices imitatus, qui, refe-

[5] *Diuinar. Institut.* L. I. c. XVII. p. 108. ed. Cl. Walchii.
[6] *Obseruationibus in* CATVLLI Atyn s. Attyn p. 163. s.
[7] Tom. I. opp. ed Belgicae p. 365. περι Θυσιων.
[8] Lib. I. *aduersus gentes* p. m. 30. *edit. nitidae* DESID. HERALDI Paris. 1605. in 8. cuius vtor exemplo illo, quod Heraldus ipsemet summo SCALIGERO dono transmisit, vt ipsius in limine libri manus indicat.

referente IVLIO CAPITOLINO [9] *Heliogabalum* solem *vocabant.* AELIVS SPARTIANVS: [10] *Faustinae templum et diuale nomen eripuit, certe templum, quod ei sub Tauri radicibus fundauerat olim maritus Antoninus, in quo postea filius huius Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi vel Ioui Syrio, vel* NB. *Soli templum fecit.* LAMPRIDIVS [11]: *Opera publica ipsius praeter aedem Heliogabali Dei, quem solem alii, alii Iouem dicunt - - nulla exstant.* Idem DIO CASSIVS, [12] idem alii docent, quos enumerare nihil nunc attinet. At vero ATTYN solem esse dicebant Romani vt ex ARNOBIO [13] aliisque constat. Hinc apud SALMASIVM [14] in antiquis inscriptionibus MENOTYRANNVS quasi mensium dominator, dicitur. Quo circa si suum numen solem esse, et solis instar coli cupiebat HELIOGABALVS, id proximum erat, vt ATTYS, quemadmodum Deorum reliqui, suo fasces submitteret, in eiusque deportaretur sacrarium.

Proposita haec ita promptaque esse existimo, vt plura adiicere, praeter rem necessitatemque fore putem. Commentatoris vero vice hic non fungor: facili alias negotio de ATTY priscis scriptoribus admodum decantato, plura commemorare possem. Id mihi obseruare liceat, minime

R 5 eum

[9] In *vita Opitii Macrini* Tom. I. *Hist. August.* p. m. 759.
[10] In *vita Caracallae* Tom. I. *Hist. August.* p. 732.
[11] In *vita Heliogabali* p. m. 826.
[12] *Hist. Romanae* lib. LXXVIII. p. 899. edit. Francof. 1592. 8.
[13] Lib. V. *aduersus gentes* p. m. 234.
[14] *Notis ad Lampridii Heliogabalum* p. 805.

eum cum aliis huius nominis confundendum eſſe, ATTY, Lydorum regis Croeſi filio, de quo paſſim veteres, ATTY, Lydorum rege, Manis filio, de quo HERODOTVS [15] aliique. Prolixius de eo egit Io. LVD. VIVES vir egregie doctus [16]. Quam variae vero dubiaeque de eo inter veteres ſunt ſententiae ac narrationes vel ex ARNOBIO [17] et LVCIANO [18] intelligi poterit, quibus in CATVLLI ATTYN commentatores maxime doctiſſimus vir ISAACVS VOSSIVS adiungendi ſunt. NERONEM Auguſtum ATTYN et Bachas coram magno militum numero et vniuerſo populo ceciniſſe, auctor eſt DIO CASSIVS [19] vnde quanti Romanis, quamque celebris fuerit liquet. Aureum Dei huius ſimulacrum fuiſſe. LVCIANVS [20] docet, apud quem BENDIS, ANVBIS ATTIS et MITHRES *ολοι ολοχρυσιοι, και βαρεις, και πολυτιμητον* dicuntur. Ab eodem cum PANE ET SABAZIO inter *τȣς μετοικȣς και αμφιβολȣς θεȣς* collocatur. [21] Gentilium ſapientiores more ſuo omnes de ATTY narrationes in meras conuertebant allegorias, ne ſcilicet riſum deberent Chriſtianis, aliisque cordatioribus. Fabulas eſſe, quae de eius et CYBELES amoribus referantur, ſine tergiuerſatione confitetur PLVTARCHVS.

[15] *Hiſt.* Lib. I. c. VII. p. 4. c. XCIV. p. 40. L. VII. c. LXXIV. p. 409. edit. Francof. Iungermanni.

[16] *Ad* AVGVSTINVM *de ciuitate Dei* lib. I. c. IV. p. 1561. Pariſ. 1613. fol.

[17] Lib. V. *contra gentes* p. m. 200. 234.

[18] De *Dea Syria* T. II. opp. p. 662. 663. conf. *Dialogi Deorum* T. I. p. 206.

[19] *Hiſt. Rom.* lib. LXI. p. m. 697.

[20] *Ioue Tragoedo* T. II. opp. p. 132.

[21] *Icaro Menippo* Tom. II. opp. p. 207.

CHVS.[22] Ingeniosius alii vt supra monui, solem esse dicebant, quos salse perstringit ARNOBIVS.[23] PORPHYRIVS vero pro eo, quo valebat, acumine, flores, eorumque praematurum interitum ista de ATTY fabula adumbrari, sapienter praecipiebat[24]. Elegans sane tanti, vt sibi videbatur, viri commentum. Tantum scilicet mysterium est, florum occasus et ortus, omnium quotidie expositos oculis, vt inuolucris fabularum indigeat, ne, vt coniicio in metum et stuporem subito conuerterentur homines! sed vide, quam suauiter hominis coërceat stuporem optimus AVGVSTINVS[25] inuito fortassis EDMVNDO DICKINSONIO, cui persuasum est[26]. Ρεαν gentilium nihil aliud esse, quam *per anagrammatismi metamorphosin*, vt superciliose loquitur, ερεαν, nempe *terram*. Quo pacto saluus esset PORPHYRIVS nisi forte vtrumque somnia sibi finxisse, istum malo, hinc bono consilio, quis diceret.

Sed quo feror? Alibi haec discutiuntur, et, si Deus et valetudo permiserint, a me discutientur in libro *de studii mystici et allegorici inter gentiles vestigiis et praeceptis*, quo fabulas interpretandi rationem illis in more positam, quo potero, studio persecuturus sum. Hic itaque desino, cum

[22] *In Numa vitarum parallel.* T. I. p. 112. edit. Francof. 1592. 8.
[23] Lib. V. *in gentes* p. 234.
[24] Lib. *de ratione naturali Deorum*, vt Cl. VIVES citat ad AVGVSTIN. de ciuit. Dei p. 156.
[25] *De ciuitate Dei* lib. VII. c. XXV. p. m. 438.
[26] Diatriba de *Noae in Italiam aduentu eiusque nominibus Ethnicis* p. 176. edit. Thomae Crenii.

cum praefixos mihi limites, iam praeter opinionem meam migrauerim.

Tuum erit, *vir amplissime*, indicare, quo numero locoque nostra haec hariolatio habenda sit. Teneat, nisi Tv aliter sentias, interim in *Miscellaneis* Tvis locum quemdam, meque acutiorum experiatur iudicium. Ego, si quis vmquam, meliora docenti facillimas aures praebiturus sum. Ita vale, mihique porro faue. Dabam Kiliae d. XX Ianuarii MDCCXVIII.



DE

DE
LINGVAE LATINAE
CVLTVRA ET NECESSITATE
DISSERTATIO.

DE

LINGVAE LATINAE CVLTVRA ET NECESSITATE DISSERTATIO*

LECTORIBVS S. P. D. IO. LAVR. MOSHEIM.

§. I.

Etsi castus et integer Latinorum sermo plurimis semper, iisque grauissimis, patronis vsus est, multos tamen, vt contra meliorum omnis aeui iudicium hac in caussa starent, nescio, quis animi morbus induxit. Non veteres hic tangam ex ipsis Quiritibus, qui Latinae linguae paupertatem diuitiis Graecorum concedere, debere iudicabant, patriumque sermonem parum aptum ad litterarum studia pertractanda conquerebantur.[1] Quorum quidem sententiam incomparabilis CICERONIS industria non voce tantum, verum re ipsa, sic confutauit, vt non vocabulorum et nominum copia Latinis, verum accusatoribus ingenii et diligentiae copia prope defuisse videatur. Neque etiam illiberales senescentis Romae mores commemorabo, quae vernaculi ser-

* Primum ea Lectoribus FOLIETAE L. III. *de Linguae Latinae VSV et praestantia* dicata fuit. Ceterum conferre hanc cum illa, quae *Noltenii Lexico Antibarbaro* praefixa est, e re legentium erit. (M)

1 Vid. CICERO Lib. I. *de Natura Deor*. Tom. IV. opp. p. 196. et passim. Loca collegit FRANC. VAVASSOR *de dictione ludicra* p. 323. f. QVINTILIANVS *Instit. orator*. Lib. XII. c. X. p. 750. GELLIVS *Noct. Attic.* L. II. cap. CXXVI. p. m. 98. alii.

ſermonis propemodum oblita veſano quodam erga Graecas litteras ſtudio ducebatur, adeo vt mulieres non niſi Graece vulgo loquentes audires.[2] Satius erit, quo loco noſtris temporibus Latinorum res verſentur, quasue illis inſidias ſtruant, qui ſibi reliquis ſapientiores videntur exponere. Duplici fere genere comprehendi poſſunt, quorum in Latinas litteras iniquior hodie voluntas eſt. Alii enim, etſi Latine, ſcribendum eſſe putent, male tamen id fieri contendunt, quod in expolienda oratione et eloquentia comparanda tantum a nonnullis laboris et moleſtiae collocetur. Sufficere dicunt, modo quis cogitationes aliqua ratione litteris mandare obſoleta illa lingua poſſit: ornate id fiat et commode, an barbare et inficete, CICERONEM quis imitetur, an APVLEIVM parum aut nihil referre: Hominis eſſe, de rebus ipſis quaerere, pueri, verborum tendiculas ſtruere. Alii vero, ne hoc *quidem* ferendum exiſtimant, ſed abiiciendum plane Lationorum ſermonem ac ad inferos amandandum cenſent: ſuam cuique genti linguam eſſe; hac vtendum, hac loquendum, hac ſcribendum: qui ſecus ſentiant, coeco peregrinarum rerum amore diſtineri, nec patriae ſatis dignitati conſulere.

§. II.

Petulans et plane maledicum eorum eſſe genus ſolet, qui non litteras quidem Latinas ſpernunt, verum de ornatu dictionis et elegantia non ni-

nis

[2] IVVENALIS Sat. VI. v. 189.
Hoc ſermone (Graeco) pauent, hoc iram, gaudia curas,
Hoc cuncta effundunt animi ſecreta, - - -

mis bene ſentiunt. Si quos elegantiarum Latinarum tutores conſpiciunt, hos Grammaticaſtros, prurientes Criticos, verborum regulos, ac barbara voce *Pedantes* appellant, quin tot fere conuiciis impugnant, quot ipſi Barbarismis orationem contaminant. Ac, vt verum fatear, inconditis quorumdam, qui in hiſce elaborarunt, clamoribus, aliorum autem inconſulta in rebus nihili ſedulitate perfectum eſt, vt a veritate propius abeſſe videantur. Quoties ſane in quorumdam voces incido, quibus aut Grammaticorum Labores HERCVLIS operibus et aerumnis praeferunt, aut tantam Latini ſermonis dignitatem eſſe tuentur, vt ne coeleſtes quidem eo carere poſſint,[1] aut denique inquinatam dictionem capitalem omnis virtutis et eruditionis peſtem eſſe, praecipiunt, toties alios exſtitiſſe, qui in dictatores hoſce ſeuerius animaduerterint, minime miror. Quis vel mediocri praeditus ingenio hominem ferat, qui diuinitus inſtinctum fuiſſe hunc vel illum decernit, vt de Grammaticis quibusdam ſubtilitatibus exponeret?[2] Quis alios ſine riſu audiat, qui id demum ſapere putant, ſi quis more CICERONIS ſententiam claudat? Aut quis facile ſe contineat, ſi omnium artium et diſciplinarum ſalutem linguae Latinae caſtitate contineri, hac ſpreta illas iacere,

[1] Vid. MELCH. INCHOFERI hiſtoria S. Latinitatis Lib. V. C. II.

[2] IO. ZECHENDORFIVS Praef. ad CHR. DAVMII *Diſſ. de cauſis amiſſarum Linguae Lat. radic.* p. 450. in GRAEVII Diſſ. rarior. *Donec*, inquit, *tandem ſpiritus S. impetu, non etenim ſine Numine Iouae auguror hoc factum, incitatus - - litteratiſſimus* DAVMIVS - - *in plura conſulendo inquireret.*

iacere, hac florente illas ſtare, toties inculcantem magiſtrum intelligat. Equidem tempus olim eſſe memini, quo nugarum plauſtra et ineptiarum cohortes optimis exornatae vocibus prodierint: nec aliam fuiſſe aetatem ignoro, qua praeclara multa et exquiſita dictione mirum obſcura et ridicula deformata publice propoſita fuerint. Quod, ni fallor, argumento eſt, Litterarum et linguae Latinae gloriam et culturam non ita ſemper, vt diuelli plane nequeant, coniunctas eſſe. Britannorum gens quam in omni litterarum genere hodie dominatur? Quot Libros, quibus aut religionum veritas praeſtantiſſimis communitur rationibus, aut artium Mathematicarum intimi panduntur receſſus, aut reliquarum diſciplinarum myſteria reteguntur, beata illa inſula quotidie producit? Quod ſi tamen quam ſancte et reuerenter ibi Latinorum ſermo habeatur ſciſciteris, laborare illic bonum CICERONEM ac a paucis diligi, PRISCIANVM atrociſſimis affici iniuriis, plurimos domeſtico ſermone contentos alienum prorſus ſpernere intelliges. Io. LOCKIVM aut THOMAM HYDE quis non laudat? Quorum hic orientalibus litteris, ille ſaniori Philoſophiae immortalem nauauit operam. At hos ſi quis Venerum Latinarum arbitros conſtituiſſet, aut, vt CICERONEM ſcribendo exprimerent, poſtulaſſet, nae is ſummam eruditionem et exquiſitum dicendi genus ſaepenumero disiuncta eſſe, ſenſiſſet. Redeant itaque, vnde malis auibus egreſſae ſunt, ſuperbae iſtae quorumdam voces, qui, niſi quis optime Quiritum ſermonem calleat, nihil prorſus in litteris perficere poſſe, audacter vociferantur.

§. III.

§. III.

Nihilo tamen minus qui idcirco elegans dicendi genus in postremis habendum esse putant, magnopere falluntur. Neque enim id quaeritur: An quis sine accurata Latinarum litterarum cognitione Mathematicus aut vir bonus esse possit? Verum id explicandum est: *Num homini erudito conueniat eleganter scribere?* Aut num is, qui apte et ornate animi sensa exprimit, melior illo putandus sit, cuius oratio aut ambiguis oraculorum sententiis, respondet, aut totus vocibus vel ipso sono terrentibus scatet, aut denique decem sententias vno spiritu pronuntiare iubet? Quam quaestionem qui vel leuiter considerauerit, hunc ego de contumeliarum, quae in casti sermonis cultores coniiciuntur iniquitate, persuasum fore non dubito. Praeclare quondam CICERO:[1] *Non tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire.* Quod dictum si minus quidam neglexissent, mitius de iis, qui plane barbari videri nolunt, existimassent. Sed age, congrediamur paullo propius cum iis, *qui sermonis Latini cultum minime consectandum esse, bonasque horas melioribus negotiis impendendas praecipiunt.* Videamus, an fortassis ignauiam, aut ignorantiam, aut aliud vitium oratione ista ad speciem honesta tegant? Quid tandem illud est, quod per cultum et ornatum Latini sermonis intelligi volunt, viri caeteroquin egregii? Qui sapiunt, cultum orationis perspicuitate et proprietate; quarum vtramque vocum delectus et commoda structura sustentant, inprimis absolui iudicant. Hasne itaque virtutes scriptori negligendas esse adfirmant? Si haec il-

[1] In Bruto c. XXXVII. p. 168.

lis mens fuerit, digni profecto sunt, qui ad omnium illorum, qui vmquam inquinate et inepte scripserunt, perpetuam lectionem a conscriptis Criticorum patribus condemnentur. In quas enim molestias, bone Deus, coniiciemur, si consilio huic omnis generis scriptores obtemperauerint? Iam res molestiae plenissima erit, legendo tempus fallere aut sapientum monita memoriae mandare. Iam quem de allio scripsisse constat de cepis nonnumquam intelligemus. Iam optimos interdum homines perniciosissimorum dogmatum postulabimus. Iam, vt multa paucis complectar, quum verba rerum notae sint, immanis omnium rerum confusio exorietur. Mirum profecto, homines ita sentire posse, qui libros ipsimet emittunt, ac sine dubio ab aliis legi et intelligi volunt. Nam qui consultat: conducat rei publicae litterarum nec ne perspicue et eleganter scribere? is profecto nil aliud, quam hoc quaerit: An e re sit litterarum, vt libri, qui prodeunt euoluantur et perlustrentur? An satius sit, sic scribere, vt veritas sine molestia in animos hominum se insinuet? an vero sic, vt rebus praestantissimis verba minus opportuna et clara noceant? Quod posterius si quis est qui affirmat, is an hominis vocabulo dignus sit, vehementer dubito. Ego quidem sic animo meo persuasi, omnibus qui scribunt id in primis, propositum esse debere, vt rudes erudiant ac veritatis normam tradant. At quibus hae meta praefixa est, eos tali orationis genere vti debere, quod omnibus sese commendet, perspicuum est. Quodnam vero est dicendi genus, quod cunctis probatur? Num asperum, ieiunum, agreste, barbarum? Num humi-

le,

le, plebeium, illiberale? Num obscurum, neglectum, loquax? Nec ego, nec vllus, nisi amens, ita senserit. Quid ergo reliquum est, nisi vt statuamus, cuiusuis esse scriptoris, si minus nitidae et perfectae commodae tamen et eleganti dictioni studere?

§. IV.

Longum foret et ab instituto meo alienum, si cunctas, quas ex stylo minus proprio et perspicuo nascuntur, turbas et difficultates, enumerare vellem. Innumerabilis iste commentatorum in veterum et recentiorum libros exercitus, vnde maximam partem exortus est? Nonne ex eo, quod plurimi sic scripserint, vt diuinationibus in exploranda eorum mente opus sit? Si CASSANDRAM suam LYCOPHRON aut librum *de pallio* TERTVLLIANVS populari et perspicuo dicendi genere composuissent, quis, quaeso, magnopere tot coniectores et opinatores desiderasset? Horum autem exemplum si recentiores, quorum aliqua in studiis litterarum laus est, imitarentur, quis tandem expositionum, interpretationum, scholiorum, coniectaneorum finis foret? Et quis tandem mortalium tam infinitis molestiis et laboribus perferendis par esset, quae tum sine dubio, si quis ceteris scientia praestare vellet, suscipiendae forent? Controuersiarum dum intueor immensum agmen, quibus et sacra et litteraria res misere affligitur, totas fere legiones earum inde ortum traxisse sentio, quod duces minus accurate et proprie mentem explicuerint. Vtinam nemo vmquam inuentus esset, quem nescio quae peruersitas aut vitium, vt duriter et improprie

Graecam sapit originem, tolerandum esse perhibent, nec *Deum* vnquam, sed *Deus* inuocant, ac aliis eiusmodi ineptiis sibi aliisque molesti sunt. Bene habet igitur, quod principio perspicue et proprie scribendum esse concedatur: de reliquis facile transigemus. Ac possem quidem initio monere, nullam sine verborum delectu orationem planam et dilucidam fieri posse: verum de omnibus sigillatim exponere satius erit, quam vaga quadam disputatione, quos exitus habitura sit tractatio, incertum lectoribus facere. Vt de *vocum cura* exordiar, non equidem necessarium arbitror, vt quis cunctas dimetiatur syllabas, ac de quouis vocabulo, an purum illud aut minus purum sit, sexcentos Grammaticorum libros consulat. Neque illorum exemplum cunctis propositum volo, qui in seligendis loquutionibus cautiores sunt, quam in remediorum formulis praescribendis HIPPOCRATES. Non lenocinia viro bono quaerenda sunt, sed ornamenta tantum. Praeclare, vt solet, QVINCTILIANVS, ipse Rhetor: [1] *Plerosque, videas,* inquit, *haerentes circa singula et dum inueniunt, et dum inuenta ponderant ac dimetiuntur. Quod etiamsi idcirco fieret, vt semper optimis vterentur, abominanda tamen haec infelicitas erat, quae et cursum dicendi refraenat et calorem cogitationis exstinguit mora et diffidentia. Miser enim, et, vt sic dicam, pauper orator est, qui nullum verbum aequo animo perdere potest.* Praeclare, inquam, haec monuit vir disertissimus. Vt enim formam plerumque corrumpunt, quae fuco et pigmentis exornant: ita qui de ornatu dictionis perpetuas animo curas versant, vitium quod fugiunt concipiunt,

[1] *Instit. orator.* L. VIII. c. I. p. 447. ed. Obrechti.

cipiunt, ac languorum sibi contrahunt. Si quod de MANVTIO nonnulli prodiderunt, eum totos in epistola conscribenda menses perdidisse, verum est,[2] aut nulla prorsus memoria valuit, aut profecto stultitiae et superstitionis irridendae crimine non caruit. Dandum est aliquid proprietati et elegantiae sermonis, sine quibus consistere nequit oratio; verum qui nimium in se inquirunt, iis, quod de CALVO eleganter CICERO,[3] euenit, vt *dum metuunt ne vitiosum sanguinem colligant, etiam verum deperdant.*

§. VI.

Barbarismos et *Soloecismos*, vt vocant, nonnullos, quos et viris Latine doctissimis excidisse nouimus, vniuersam deformare orationem, etsi plurimis ita videtur, non sentio. Facile vero hominem, qui *gratitudo et certitudo* pro *eo quod certum est et grato animo* scripserit, modo neruis suis reliqua non destituatur oratio, sed apta commoda et argumento conueniens sit. Laudo eum, qui in his quoque nihil sibi indulget; verum vt alios, quorum in reliquis multae sunt virtutes, idcirco reprehendam, quod à vocibus quibusdam minus latinis, perspicuitatis forte caussa, non abstinuerint, à me nullo modo impetro. Si complexus, vt ita dicam, orationis bene se habeat, si color quidam et succus adsit, si nihil hiulcum et asperum aures offendat aut lectorem impediat,

[2] Dubitat de hac re DAN. GEORG. MORHOFIVS libro *de Patauinitate Liuiana* ac fabulam à SCIOPPIO profectam suspicatur.

[3] Bruto c. LXXXII. p. m. 181.

leues quosdam naeuos vix attendendos duco. Valet et hic illud HORATII:[1]

Vbi plura nitent in Carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

Quapropter molesta mihi semper et futilis eorum visa est industria, qui ex optimis doctissimorum hominum libris quae forte contra Grammaticorum regulas admisere, colligunt, ac non secus ac si flagitium esset, minus castam vocem vsurpare, illis odiose exprobrant. In quibus quidem CASPAR SCIOPPIVS, homo alioqui doctissimus, primas facile tenet, quem Libro *de stilo Historico*, *infamia Famiani* aliisque eius generis de summorum virorum laudibus ob vnam alteramque vocem minus puram adeo detraxisse constat, vt *Grammatici canis* nomen communi suffragio retulerit. Levius morosa haec et male sana sedulitas tolerari posset, si quibus finibus Latina dictio coërcenda esset, omnium consensione definitum, aut si nullum eorum vocabulorum, quae in recentioribus tantum offendimus, apud antiquiorés receptum fuisse, perspectum esset. Verum de altero Grammatici certant ac fortassis semper certabunt, de altero, quum tot veterum libri interierint, ne ipse quidem APOLLO pronuntiare poterit. Lis est, et erit semper, quinam meliores sint, qui viliores scriptores: quinam puriores, qui minus casti. Lis est, aurea tantum et argentea num seligenda sint vocabula, an ferrea etiam vti fas sit. Lis est, ad Analogiam noua componi possint vocabula, nec ne? Lis est, de aeta-

[1] *Arte Poëtica* v. 57. 58. 59.

aetatum linguae Latinae partitione. Hic auream aetatem a bello Punico secundo auspicatur, ille ab Augusti aeuo.[2] Non conuenit, qui ad quamque aetatem scriptores pertineant. IVSTINVM SCIOPPIVS in aureis scriptoribus numerare non dubitat:[3] quem alii vix in argenteis habendum dicunt. SOLINVM sunt: qui proximo post PLINIVM loco considere iubent: at alii ad ferrei saeculi scriptores amandant.[4] Et quis omnes his de rebus dissensiones enumeret? Contenditur, an satis alioqui scriptores quidam digni sint, ad quos dictio componatur. VITRVVIVM orationem peregrinitate et plebitate infuscasse, GER. IO. VOSSIVS,[5] SCIOPPIVS[6] et multi alii contendunt. Contra qui patrocinium eius susciperet, doctissimus BORRICHIVS exstitet. TACITVM duritiae et obscuritatis plurimi condemnant: Alii hunc vnum proprie et argute scripsisse volunt. Iam quis tam stupidus est, quin de eo quod inquinatum, quod turpe, quod barbarum non antea iudicari posse, sentiat, quam de omnibus hisce rebus constans quaedam et concors omnium sententia stabilita sit. Quod si vero quis ex Criticorum quaerat acutissimis, vnde, hanc vel illam, cui male cupiunt, vocem neminem adhibuisse veterum exploratum habeant, aut prorsus conticescent, aut rationes, quibus ne rusticus quidem cedat, afferent. *Decrementum* ante GELLIVM non reperiri, viri docti obseruarunt, atque

[2] Vid. BORRICHII *cogitat. de variis linguae Lat. aetatibus* §. II. et passim p. 4. s.
[3] De *stylo Historico.*
[4] Vid. BORRICHIVS l. c. p. 15.
[5] De *vitiis Sermonis.*
[6] De *stylo Historico* p. 54. 55.

atque adeo vocem vt minus probam notarunt. Non is ego ſum, qui pro voce damnata verba facere cupiam: mihi enim ſcientiam reſeruare, Criticis loquendi vſum conſedere ſoleo. Verum ſi quis, an idcirco certum ſit, ignoraſſe *decrementum* veteres, ex me quaerat, non liquere reſpondebo. Tot perire Scriptores, tot monumenta vetuſtas deleuit, tot libri Grammaticorum curis deprauati ſunt, vt profecto in eiusmodi rebus nemo hodie decernere poſſit. *Tot ſuperſunt*, ita celeberrimus MORHOFIVS,[7] *in gloſſariis Latinis et Graeco-Latinis voces, quas vt barbaras hodie damnamus, cum crediderim ego, pari cum optimis, quibus* CICERO *vtitur, antiquitate cenſeri debere.* CHRIST. DAVMIVS innumeras, easque optimas linguae Latinae voces variis de cauſſis hodie amiſſas eſſe, luculenter demonſtrauit.[8] Quis ergo tam audax ſit, vt de ſanitate aut vitio cuiusuis vocabuli ſententiam, praetoris inſtar, ferat? Fingamus vero nihil prorſus eorum, quae ad veterum linguam pertinent, noſtros hodie conſores praeterire, num idcirco liberius in eos, qui non numquam falluntur, inuehi poterunt? Equidem haud arbitror. Quis quaeſo mortalium tam foecunda pollet memoria, vt omninm meminiſſe queat? Quis ſummos in his litteris viros maximis ſeſe erroribus contaminaſſe neſcit? Ne Momum quidem ipſum maledicentiorem fuiſſe, quam CASP. SCIOPPIVM in eos, qui minus accurate loquebantur, puto. Idem tamen quantum ſibi ipſi tri-

7 De *Potauinit. Liuiana* p. 520. in Diſſert.

8 Diſſert. de *cauſis amiſſarum linguae Latinae radicum*, quam GRAEVIVS iterum adidit in *Syntagmate Diſſertatior.*

si tribuerit, ex ipso eius ore audiamus. *Itaque*, inquit,[9] *quod alias non semel professus sum, hoc loco nunc repeto, minime vulgarem gratiam a me initurum, qui, quam ego nunc aliis, eamdem mihi operam nauare, hoc est, libros meos --- diligenter excutere quaeque in iis vel minus Latina, vel alioqui culpis accensenda compererit; vel palam, sic si videatur, dedocere me voluerit. Huic Minerual seu διδακτρον, quale ab homine gratissimo exspectari potest, ingenua scilicet ingenii praedicatio, nequaquam a me deerit.* Parum quidem haec modestia moribus tam seueri paedagogi conuenit, quem nusquam peccare decebat.[10] Verum tamen quis hinc non perspicit, eum facillimum in eiusmodi rebus, quae sola continentur memoria, lapsum agnouisse? Hic vero si id fecit, quem in hoc genere tantum potuisse, quantum pauci, constat, quis longe inferiores stomachari ferat, vbi leuiter a quibusdam erratum sit? Multa hic, de summorum virorum erroribus, quos ista censendi libido genuit, commemorare possem; qui quidem optimae notae vocabula Latio saepe eiecerunt, aliosque ab ea vsurpata in ius perperam vocarunt. Multa Io. Gerh. Vossivs proscripsit, quae Olavs Borrichivs ab exilio reuocauit. Hic rursus plurimis bellum indixit, quae Cellarivs et alii seruata maluissent. *Neque enim*, quod probe Phil. Caroli monet,[11] *tam facilis est censura Romani sermonis, vt sibi Nizoliani fratres persuadent, cum eruditissimos etiam viros et huius prouinciae*

9 De *stylo Historico* p. 89.
10 Specimen barbarismorum Scioppii Borrichivs inter alios dedit in *Defensione Vossii contra Scioppium* p. 276.
11 *Animaduersionibus in Gellium* p. 323.

atque adeo vocem vt minus probatur :ompertum
Non is ego sum, qui pro voce d... abduceret,
facere cupiam: mihi enim scien... ater iam a do-
Criticis loquendi vsum consede... ertractata est.[12]
si quis, an idcirco certum sit ... culturam sermo-
mentum veteres, ex me qua...
spondebo. Tot perire S...
menta vetustas deleuit, ...
curis deprauati sunt, ... idcirco metuendum esse
bus nemo hodie dec... mentum capiat immedica-
ita celeberrimus N... iste Latini sermonis nitor a
nis et Graeco-La... At qui ex his contemnendam
damnamus, c... ...iam, qui *barbaras* voces et col-
mis, *quibus* ... aliis facilius euitentur, et ipsi stu-
bere. Ch... effici putat, is profecto vehe-
mas ling... Neque enim quemquam amen-
amissas ... duco, quin rusticos laudet, qui sordi-
go ta... infelici lolio feraces alioquin agros libe-
voc... Hercvlem, quod Augiae stabulum pur-
g... operae pretium fecisse fateatur. Quo-
r... [illegible] simillimi sunt, qui ne prorsus Latini
... decus multitudine spurcarum et inepta-
rum vocum obruatur, diligentissime cauent. Ar-
rogantis et temerari est, maculam quibusuis inu-
rere, quibus Nizolivm semper ad manus habere
ac voces lectoribus appendere, nimis graue et
taediosum videtur. At homines irridere, qui-
bus a veterum norma discedere ac incorruptam
Latini sermonis integritatem negligere, religio
est, insipientis plane et stolidi. Vt tolerandi
sunt nec exagitandi, quos ne veterum loquantur
more, nonnulla impediunt: ita qui id sibi datum
credunt, vt fucos et impuram cohortem a Latii
sedi-

12 Diss. de *Lingua Latina* p. 79. f.

...ceant maximopere laudati sunt. Aut num ...m audax est, vt nihil interesse inter ...inatum dicendi genus tueatur, vt ...ra vocabula pari cum suauibus et ...sari posse contendat, vt deni- ...rdes vehentem altero libere ...on inferiorem esse statuat? ...ntentia, is se omnibus, quot- ...ere, prudentibus, imprimis cun- ...apientibus, aduersari sciat, [1] quo- ...c exquisita de pura dictione consectan- ...cepta exstant. Sigillatim quod illi non- ...quam acerbe reprehenduntur, qui, ne alio ...ces sensu adhibeantur, quam quo veteres illis vsi sunt, diligentissime prouident, id ab omni ratione alienum est. Vocum enim veras notiones mutandi libertas cum nulli concessa est; tum, si semel inuoluerit, miras sine dubio turbas excitabit. Hac semel introducta is qui veterum assuetus est significationibus, male recentiores intelliget, qui recentiorum notiones recepit, pessimus veterum interpres erit, atque adeo innumeris controversiis et erroribus locus dabitur. Quibus quidem profecto obsistunt qui proprias vocabulorum notiones et erunt et aliis tradunt obseruandas. Non opus est, vt in re tam perspicua plus temporis consumam, aut virorum doctorum auctoritatibus

[1] Exstat elegans summi quondam viri D. G. MORHOFII sed nondum editus, *de pura dictione* liber. Qui profecto vt e tenebris in lucem protrahatur, Notulis nonnullis adiectis, dignus est: (Ipse paullo post obstetriciam hanc operam bono libro praestitit Ven. Auct. en nomen libri: *Dan. Georg. Morhofii de pura dictione liber. Io. Laur. Mosheimius edidit, notas subiecit.* Hanou. impensis Foersteri 1725. in 8. (M.)

uinciae praecipuos dynastas hic errasse compertum sit. At longius me fortassis haec res abduceret, quam instituti ratio ferret, et eleganter iam a doctissimo viro, FRID. TAVBMANNO pertractata est.[12] Quapropter in iis potius, quae culturam sermonis propius attingunt, pergam.

§. VII.

Vidimus itaque non idcirco metuendum esse ne ciuitas Latina detrimentum capiat immedicabile, etiamsi summus iste Latini sermonis nitor a quibusdam absit. At qui ex his contemnendam eorum esse industriam, qui *barbaras* voces et collegerunt, vt ab aliis facilius euitentur, et ipsi studiose euitarunt, effici putat, is profecto vehementer fallitur. Neque enim quemquam amentem fore duco, quin rusticos laudet, qui sordibus et infelici lolio feraces alioquin agros liberant, aut HERCVLEM, quod Augiae stabulum purgauerit, operae pretium fecisse fateatur. Quorum tamen simillimi sunt, qui ne prorsus Latini sermonis decus multitudine spurcarum et ineptarum vocum obruatur, diligentissime cauent. Arrogantis et temerari est, maculam quibusuis inurere, quibus NIZOLIVM semper ad manus habere ac voces lectoribus appendere, nimis graue et taediosum videtur. At homines irridere, quibus a veterum norma discedere ac incorruptam Latini sermonis integritatem negligere, religio est, insipientis plane et stolidi. Vt tolerandi sunt nec exagitandi, quos ne veterum loquantur more, nonnulla impediunt: ita qui id sibi datum credunt, vt fucos et impuram cohortem a Latii sedi-

[12] Diss. de *Lingua Latina* p. 79. f.

ſedibus arceant maximopere laudati ſunt. Aut num quis forte tam audax eſt, vt nihil intereſſe inter caſtum et inquinatum dicendi genus tueatur, vt horrida et barbara vocabula pari cum ſuauibus et amoenis loco verſari poſſe contendat, vt denique riuum ſaxa et ſordes vehentem altero libere et clariſſime fluenti non inferiorem eſſe ſtatuat? In qua ſi quis eſt ſententia, is ſe omnibus, quotquot vmquam fuere, prudentibus, imprimis cunctis veterum ſapientibus, aduerſari ſciat, [1] quorum varia et exquiſita de pura dictione conſectanda praecepta exſtant. Sigillatim quod illi nonnumquam acerbe reprehenduntur, qui, ne alio voces ſenſu adhibeantur, quam quo veteres illis vſi ſunt, diligentiſſime prouident, id ab omni ratione alienum eſt. Vocum enim veras notiones mutandi libertas cum nulli conceſſa eſt; tum, ſi ſemel inuoluerit, miras ſine dubio turbas excitabit. Hac ſemel introducta is qui veterum aſſuetus eſt ſignificationibus, male recentiores intelliget, qui recentiorum notiones recepit, peſſimus veterum interpres erit, atque adeo innumeris controverſiis et erroribus locus dabitur. Quibus quidem profecto obſiſtunt qui proprias vocabulorum notiones et erunt et aliis tradunt obſeruandas. Non opus eſt, vt in re tam perſpicua plus temporis conſumam, aut virorum doctorum auctoritatibus

[1] Exſtat elegans ſummi quondam viri D. G. MORHOFII ſed nondum editus, *de pura dictione* liber. Qui profecto vt e tenebris in lucem protrahatur, Notulis nonnullis adiectis, dignus eſt: (Ipſe paullo poſt obſtetriciam hanc operam bono libro praeſtitit Ven. Auct. en nomen libri: *Dan. Georg. Morhofii de pura dictione liber. Io. Laur. Mosbemius edidit, notas ſubiecit.* Hanou. impenſis Foerſteri 1725. in 8. (M.)

tatibus eam confirmem. Vnicum enim exemplum satis caussae bonitatem declarabit. Veteres vocabulo *humilis et humilitas* abiectum quid et animi vitium expresserunt. Recentiores iisdem vocibus praecipuam CHRISTI discipulorum virtutem denominant. Quam posteriorem notionem si quis ad veteres auctores secum attulerit, nonne alienam plane sententiam ex illis eliciet? *Infractus* CICERONI et reliquis idem est quod *valde fractus*. Hesterni quidam scriptores *infractum* vocant animum, quem nulla calamitas fregit. Quaenam haec dissimilitudo? Quam lepide is CICERONEM explicabit, cui novus quidam scriptor hanc significationem persuasit? Ac vellem sane, eos, qui latini sermonis hodie tutores sunt, magis in eo elaborare, vt sua sermoni constet proprietas, quam in barbarismis expungendis. Vt hi enim non prorsus orationem deformant, ita proprietas illa neglecta, quod in omni dictione potissimum et elegantissimum est, reiicit. Praeiuit strenue ANTON SCHORVS[a], vir cui plus Latinae litterae debent, quam dici potest: cuius sane libellis nemo elegentiarum studiosus facile carebit. Vtimam plures sequuti essent, ac quibus loquutionibus proprie rem quamque veteres Latini exposuerint, obseruassent! ac melius forsitan hodie Latinorum sese res haberent. Non equidem despicio hominem, qui Historiam de Seruatore in

[a] Cuius in deliciis et manibus sunt casti sermonis imprimis amantibus *Phrases linguae Latinae*, quae Tubingae 1713 cum versione germanica recusae sunt. PAREOBVM, BALDI, RHODII, LAVRENBERGII, LVBINI, CELLARII, NOLTENII nomina & merita quis est, qui non grata mente recolat. Alios vt taceamus. Mirum in tanta subsidiorum copia tot barbaros nos inter versari. (M.

in Iordane ſacro ritu tinctu enarraturus: *Coelum*, inquit, *aperuit ſeſe*. At neſcio tamen quemadmodum longe magis placeat, qui veterum formula: *Coelum diſceſſiſſe viſum eſt*, dicit. Non barbarum voco, qui ſcribit: *Clinias interfecit ſe*: voces enim Latinae ſunt. At elegantiorem tamen dico, qui ſic: CLINIAS *mortem ſibi conſciuit*. Hoc enim, non illo modo, veteres loquuti ſunt.

§. IIX.

Fateor his minutiis nimium a nonnullis tribui: fateor plurima in illis eſſe incerta nec ſatis explorata: etiam illud adiungo, qui in hiſce ſpinis conſeneſcunt, bonam temporis partem peſſime collocare, verum tamen id nullo modo obſtare contendo, quo minus eorum praedicetur induſtria, qui exemplo magni illius IVLII CAESARIS, *tamquam ſcopulum, ſic inauditum atque inſolens verbum* et fugiunt et fugiendum praecipiunt. Cogitanti mihi ſaepius de hiſce rebus, Iudaeorum magiſtri occurrerunt, qui de legibus, quas a maioribus traditas accepere, dicere ſolent, ſepimentum eas eſſe, quibus lex diuina valletur. Ita profecto de curis illorum ſentiendum eſſe duco, qui barbararum et impropriarum vocum legiones ad ineptias interdum profligant. Sepimentum hi labores ſunt, quo ne penitus in ſacrarium caſti ſermonis hoſtes eius irrumpant, impeditur. Sint itaque in illis multa nimia, alia minus certa, alia prorſus inepta et vix ſapiente digna; ſi modo hanc nobis vtilitatem praeſtent, vt dignitas purae dictionis et perſpicuae conſeruetur, maculas quaſdam, quibus nulla mortalium diſciplina caret, aequo animo feremus. Modeſtiae ſtudeant Latinitatis cenſores,

nec bonos alioquin viros ob vocem minus castam aqua et igne interdicant: Aequitatem sibi commendatam habeant, quibus illorum non tanti videtur industria, nec laboriosos viros cavillentur, et facilis vtriusque partis erit consensio. Si tot Mathematicorum subtilitates, tot Astronomorum obseruationes, etsi nec vtilitate se commendent, nec omnes cum veritate consentiant, non modo non aspernamur, verum praemiis et honoribus adficimus, quidni homines toleremus, qui ne pura Latii turbentur flumina; vigiliis, laboribus et obseruationibus prohibere student? Si tot artes admiramur et extollimus, quarum tamen pretium non ex necessitate earum et commodis, verum ex ingenii, quod eas produxit, praestantia vnice metiendum est, quare in Latinitatis custodes iniqui simus, quorum opera sine summo interdum ingenio perfici nequeunt, etiam si fortassis litterarum studia illis carere possent? Ita fere vir acutissimus, PETRVS BAYLIVS, pro hoc genere dixit: cuius verba,[1] quae in extrema adscriberem pagina, dignissima duxi.

§. IX.

[1] Mr. Bayle Nouvelles de la Republ. des Lettr. 1684. p. 682. *Leur principale raison pour mepriser si fierement ceux qui se perfectionnent dans l' étude d' une langue, est que c' est une chose peu necessaire. Ils ne voyent pas que par là ils condemnent la plupart des sciences, car que sont elles a proprement parler qu'un honnête amusement? De quoy sert pour la prosperité d'un Etat que l'on sçache l'Astronomie et l'Algebre? je dis bien plus: quel besoin a-t-on de tous les rafinemens de la Peinture, de l'Architecture et de la Sculpture? Ne sçauroit-on vivre dans l'abondance si l'on n'est logé dans un Palais, où toute la finesse et toute la symmetrie de l'Art ayent été observées? Ce n'est donc point par rapport à l'utilité publique qu'il faut juger si un Auteur merite des loüanges? quelles que soient ses occupations.*

§. IX.

Si de *peregrinis* vocibus quaeſtio ſit, quas admittere ſeueriores quidam magiſtri nolunt, et ab his, qui recuſant eas, et ab illis, qui ſponte adſciſcunt, peccari certus ſum. Peregrina autem voco omnia rerum recentius inuentarum, artificum, Medicorum, Iurisconſultorum, Theologorum vocabula quibus CICERONIS aeuo Latinorum ſermo carebat, noſtro vero tempore carere nequit. A quibus ita quidam abhorrent, vt longis ambagius rem vulgo notam explicare, quam ſuo nomine appellare malint. Nota eſt PETRI BEMBI, SEBAST. CASTALIONIS, aliorumque non diligentia, ſed ſuperſtitio, quibus modo Latinorum more loquerentur, nec pietas, nec religio curae fuit.[1] Nota ſunt aliorum conſilia, quibus ita,

 Latini

tions, il faut regarder s'il a été neceſſaire d'employer beaucoup d'eſprit pour arriver au point, où il eſt venu. C'eſt à cette regle que nous devons proportionner, nôtre admiration et les loüanges que nous donnons à la beauté du genie. Or qui peut douter ſur ce pied-là qu'il n'y ait des Humaniſtes auſſi dignes d'admiration que les plus ſubtils Mathematiciens, puis qu'il eſt indubitable qu'il y a des difficultés de Chronologie et de Critique pour l'explication des quelles il faut une auſſi grande quantité d'eſprit, ſi j'oſe parler ainſi, que pour la reſolution des plus difficiles Problemes de Geometrie, je le dis encore un coup, ſi l'utilité qui vient des occupations d'un homme étoit la regle de nos eloges, celuy qui a inventé la Charue meriteroit mieux la louange de grand Eſprit, qu'Archimede, qu'Ariſtote, que Galilée, que Mr. Deſcartes, etc. Senſit ita jamdudum CICERO *in Bruto ſ. de claris oratoribus* c. LXXIII. p. 197. *Non*, inquit, *quantum quisque proſit, ſed quanti quisque ſit, ponderandum eſt: praeſertim cum pauci pingere egregie poſſint, aut fingere: operarii autem aut bajuli deeſſe non poſſint.*

[1] Voyés *le Dictionaire* de Mr. *Bayle* T. I. voce *Bembus.*

Latini ſermonis caſtitati conſulere conati ſunt, vt nec famae ſuae, nec orationis perſpicuitati, nec voluptati lectorum conſulerent. At valeant iſtae inelegantes elegantiae, quas non ſapientum inſtituta, ſed puerorum nuces et crepundia non immerito dixeris. *Nemo ſanus dubitauerit*, verba recito ingenioſiſſimi viri, FRIDR. TAVBMANNI [2], *ſi* CICERO *cum tanta eloquentia Chriſtianus fuiſſet, et pari ſtudio in religionem noſtram et maieſtatem numinis Chriſtiani, quo in vrbem orbis Dominam Romam flagraſſet, ipſum non minus elegans in oratione iudicaturum nomen* ſeruatoris *noſtri, quam* patris *ſui* patrati: Apoſtolorum, *quam Patrum* conſcriptorum: Eccleſiam Chriſtianam *quam* Rempublicam Romanam: coetum fidelium *quam* concilium plebis aut Deorum, et reliqua. Non ego multis nunc rationibus pugnabo, licere nouis, vbi neceſſitas flagitat, vocabulis Latinam linguam locupletare. Doctiſſimi id dudum ante me viri fecere, in quibus ipſe VBERTVS FOLIETA, cuius librum nunc edo, eminet: ac nuperrime elegantiſſimi ingenii vir, CHRIST. AVG. HEVMANNVS, idem luculenter demonſtrauit. [3] Vnum tantum, quod mihi rem plane videtur conficere, notabo. Omnis iſta controuerſia: Latinis vocabulis nouae res circumſcribendae ſint, an propriis ſuis appellandae? Ex hac quaeſtione pendet: Maiorne ratio perſpicuitatis in ſtylo ſit habenda, an vocum delectus? Ego quidem, quum cuiuis propoſitum eſſe debeat lectores erudire, non dubi-

[2] Diſſ. de *lingua Latina* p. m. 38.

[3] *Epiſtola* de iure linguam Latin. nouis vocabulis augendi, nouae *Dialogi de Cauſis corruptae eloquentiae* editioni ſubjuncta.

to, quin ſatius ſit euidentiae ſermonis, quam venuſtati ſtudere, vbi virtus vtraque coniuncta eſſe nequit. Iam vero acerrimus quisquam linguae Latinae patronus ex THOMA aut SCOTO, paginam mere Latinis reddat vocibus, et alius probe quidem in eodem ſermone verſatus, ſed diſciplinae vocabula non faſtidiens, idem ſuſcipiat negotium. Niſi hic rem magis perſpicuam lectoribus fecerit, quam ille, Mineruae ſane non mediocre debeo. Nolim tamen haec eo trahi, ac ſi illorum plane ſtudium contemtum velim, qui Latina veſte loquutiones Philoſophorum et aliorum induere tentant. Nam et his eadem, quae illis, palma debetur, qui barbaris et impropriis vocibus bellum inferunt, et eos non minus peccare iam initio animaduerti, qui in recipiendis quibusuis vocabulis faciles ſunt. Euoluenti recentiorum et antiquiorum libros ingens ſeſe copia nominum offert barbarorum, in quorum locum alia Latina non minus apta ſubſtitui poſſent. Neſcio ſane quid rei ſit, quod tenaces adeo ſimus vocabulorum a maioribus acceptorum, qui ſi melioribus vixiſſent temporibus, certiſſime ab illis abſtinuiſſent. Graeci ſacris Chriſtianis imbuti ſunt prius quam Latini et diuini noui foederis libri Graecis conſignati ſunt litteris. Latini itaque a Graecis multa vocabula ſumſerunt, quibus ſacrae et religioſae res denotantur. Nobis, etſi eadem Latine poſſemus dicere, a veſtigiis tamen eorum diſcedere, crimen videtur. *Apoſtolos* appellamus, quos *legatos Seruatoris* aeque perſpicue poteramus nuncupare. *Diabolum* dicimus quem *genium infernalem* commode vocare poteramus. *Eccleſiam* nominamus, quam *Chriſtianorum coetum* La-

tino vocabulo dicere fas fuisset. Scholastici quos vocant, deinceps exorti inficetis plane vocabulis rem sacram inquinarunt: quorum magnam partem, nescio qua de caussa, retinemus, quum alia non desint elegantiora. Non is ego sum, qui meritissimos homines idcirco reprehendam, quod eiusmodi vocabula longo vsu recepta repudiare nolint. Leuior profecto res est, quam vt multis pro ea propugnetur et iniquissimus ego et ineptissimus iure dicerer, si litem cuiquam propterea mouerem. Sententiam tantum, quoniam res sermonis hic agitur, dico, nec tam leges fero, quam eos, qui cum Latinis, quam aliis loqui malunt, ab iniuriis vindico. Est enim mordax quoddam genus, quod doctissimis alioquin viris contumelias ingerit, si voces puriores impuris praeferant. Quasi vero is, qui vocabula mutet, dogmata quoque; mutaret et *diabolum* is de medio tolleret, qui *genium infernalem* vocet. Fruatur interea suo quilibet ingenio, modo omnes in eam incumbant curam, vt euidentiam sibi quam maxime familiarem reddant. Meam equidem sententiam hac regula complectar: Consectanda sunt tamdiu latina vocabula, quam id res ipsa et orationis perspicuitas patitur, nec, si voces castae suppetant, peregrinis et alienis homini purae dictionis studioso vtendum est. Quod si vero frustra commoda quaerantur apud Latinos vocabula, aut periculum est, ne tenebrae orationi inducantur, si publice recepta spernamus, aut longiori circuitu aures offendendae sint, sapientis est res, non verba spectare. Elegantissime SENECA: *Magis*,[4] inquit, *damnabis angustias Romanas, si scieris vnam syl-*

[4] Epistola LVIII. T. II. opp. p. m. 142.

syllabam esse, quam mutare non possim. Quae haec sit quaeris? το ὂν. Duri tibi videbor ingenii: in medio positum, posse sic transferri vt dicam: Quod est. *Sed multum interesse video. Cogor verbum pro vocabulo ponere.* Qui ad hanc sententiam sese adiungere nolunt, quae summorum in hoc genere virorum fuit,[s] illi videant, ne dum teneris auribus videri velint, tenera sibi esse et puerilia ingenia ostendant.

§. X.

Ad *imitationem* accedo *veterum*, quam ita plurimi commendant, vt se liberos esse natos, propemodum obliuiscantur. Vt varia hominum sunt ingenia, ita hic CICERONEM, alius LIVIVM, tertius SENERAM, quem imitetur et exprimat, sibi proponit, nec ab eius numero et compositione latum vnguem recedere, fas ducit. Hac demum ratione nos consequi florem dictionis existimant, si veteres non legamus, non laudemus, sed prorsus, inuita licet et repugnante natura, referre studeamus. Nescio, qui fiat, quod maxima pars hominum ita facta sit, vt in litteris seruire malit, quam libertatem amplecti. Certe plurimos in aliorum verba et voces iurare, paucos ingenio et diligentia ad gloriam sibi viam munire videas. Dudum est, quod de isto imitandi pruritu veteres

[s] MVRETVS accerimus casti sermonis vindex, hic consulatur, *Notis ad Senecam* p. 383. *Equidem*, inquit, *inter alia, vt de meo sensu libere atque ingenue fatear, multa puto ab istis delicatis in* S. THOMA, *in* IOHANNE SCOTO *aliisque eruditissimis hominibus irrideri, quae et necessaria sunt et talia, vt si quis ea vetustis illis temporibus protulisset, magnam ei gratiam omnes Philosophiae studiosi habituri fuisse videantur.*

conquesti sunt: *Horatii* enim quis ignorat illud: *O imitatores seruum pecus.* Verum longe magis aut conquesti essent, aut sane risissent, si auorum nostrorum aetate vixissent. Extulit in Italia cum ipsis fere litteris caput factio quaedam, *Ciceroniana* dicta, Bembo, Sadoleto, Longolio, ducibus, quae fortunas Latii in eo positas existimabat, vt nihil sine Cicerone diceretur. Hinc longiores illae verborum comprehensiones: hinc sententiarum frequentia: hinc vocum Tulliana plane conglutinatio: hinc denique, qui profecto non poterat abesse, languor orationis quem in Bembi aliorumque libris qui non videt, is sensu caret: Aderant viri praestantissimi, qui omnibus opibus hanc seruiendi libidinem impugnabant, Erasmvs imprimis, suauissimo libello, quem *Ciceronianum* inscripsit, Gvil. Bvdaevs,[1] Henr. Stephanvs,[2] Frid. Tavbmannvs[3] pluresque alii, quos nunc enumerare haud opus est. Qui licet hac diligentia id efficerent, vt Ciceronianvs[4] iste morbus paullulum remitteret, haud tamen, quo minus alii mox nascerentur, paullo illis insipientiores, impedire poterant. Planum erat Phil. Melanchtonis dicendi genus et naturali quadam simplicitate cunctis sese probabat. Noua itaque secta, *Philippica*

1 In *Commentariis Graecae Linguae*, p. 1290. f.
2 In *Pseudo-Cicerone.*
3 Diss. de *lingua Latina*, p. 38. f.
4 Simias ipso Titiano lepidiores nosse qui cuperit, ei Dan. Frid. Iani dissertatio de *nimio latinitatis studio in Comment. de doctoribus vmbraticis*, perlegenda est. Est enim illa quasi theatrum humanae et eruditae stultitiae, in quod qui intuebuntur attenti spectatores, dubitabunt forte, num irridere artificiosam stultitiam et laboriosam cum Democrito, si fabula vera est, an potius deflere Heraclitum imitati debeat. (M.)

lippica scilicet, in Germania efflorescebat, quae, vt apertam illam PHILIPPI dictionem consequeretur, enitebatur.[5] Mira profecto res! virum optimum, qui numquam eo progressus est arrogantiae, vt se vnum dicendi magistrum constitueret, inuitum post fata scriptoribus in exemplum proponi. Verum ita ratio naturae plurimorum comparata est, vt, quas in magnis hominibus enitere vident, artis et ingenii dotes, nulla sui ratione habita, acquirere studeant, quo partem gloriae ab illis collectae in se quoque deriuent. Maiores LIPSIANA dictio tumultus deinceps mouit. Is enim quum pressum, viuidum et a veterum rationibus paullo remotius dicendi genus, siue quod nouitatis et laudis esset auidus, siue quod natura hominem eo impelleret, affectaret, multos sectatores in hoc genere habuit. Qui veterum illam copiam et vbertatem sibi conciliare non poterant, nec tamen vltimi latine loquentium videri volebant, viam sibi natam esse summopere gaudebant, qua facilius ad eloquentiae laudem peruenire possent. Hinc cerebrum sibi paene nonnullos perdidisse constat, et in his BERTILIVM CANVTVM, vt Lipsianae istius breuitatis compotes fierent. Adeo verum est, quod vulgo dicitur; easdem saepenumero fabulas mutatis tantum personis agi. TVLLII enim iam aetate idem, quod tum, contigit; qua quidem factio *Atticorum* quae vocabatur, quum copiosam illam CICERONIS et aliorum eloquentiam ingenio non posset consequi, exilitatem quamdam sermonis adsciscebat, quam *Atticam* dicebant, eosque, qui dictionis vbertate gaudebant, *Asianos* esse et tumidos, criminabatur.

[5] Vid. TAVBMANN de *lingua Latina*, p. 34. f.

tur.[6] Sed quid est, quod in imitatorum factionibus enumerandis commoror? Longo plures certe commemorare possem ac ad nostra etiam tempora propius descendere, quibus sibi ipsis multi nocent, dum aliorum orationi nimis fauent. Citius enim terrarum orbem mortale genus, quam homines imitatorum secta deficiet. Verum satius erit, quid de hacce ratione habendum sit, paucis exponere.

§. XI.

Imitandos esse veteres in externis styli virtutibus, in loquutionibus, in vocibus, in praeceptis Grammaticis, nemini vmquam dubium fuit. Nouas enim regulas aut voces et loquendi modos sine necessitate confingere, nulli hodie licet. Esse etiam sanum quoddam imitandi genus, quo praecipuas, quae in priscis illis eminent, dictionis laudes, euidentiam imprimis et proprietatem, quin verborum coagmentationem illis familiarem interdum, consequi studemus, extra controuersiam collocatum est. De quo quidem imitandi genere totis libris doctissimos homines exposuisse nouimus. Exstincto enim sermonis Latini vsu quae meliora nobis exempla proponere possumus, quam veteres illos, quibus in hoc genere primas deberi, omnes omnium aetatum sapientes professi sunt? Verum ita veteres aut recentiores imitari, vt, quae nobis animo obuersantur, cogitationes totidem verbis, tot vocum comprehensionibus, iisdem formulis, pari breuitate aut ambagibus, quibus illi, exponamus, in aperto vitio positum est.

[6] Vid. CICERO in *Bruto* c. LXXXIII. p. m. 182. et QVINCTILIANVS instit. Orator. L. XII. c. X. p. m. 746.

est. Peccant profecto cum in se, tum in alios, qui hanc seruitutem exigunt ac ingeniis, quae sine libertate stupescunt, vincula iniiciunt. Infinitis prope modis homines cogitare solere de rebus suis et alienis, ac totidem fere ingeniorum esse genera, quot mortales viuunt, nemo est, qui non intelligat. Vt vero notiones in animis informantur, aut ingenii sese habet indoles, ita plerumque styli quoque et dictionis ratio componi solet. Quapropter tot fere videas orationis genera, quot ingeniorum; ac orationem animi esse indicem dudum a sapientibus iudicatum est. Hinc ipso illo CICERONIS saeculo, quo supremo gradu Latinus sermo collocatus erat, tot prope dicendi rationes erant, quot homines, qui aut publice dicebant aut scribebant. CICERO solutior et copiosior erat: ASINIVS POLLIO numerosior: CAESAR verbis et sententiis splendidior: BRVTVS grauior. Qui tamen omnes non modo ad summum in Latinis litteris decus adspirabant, verum etiam omnium suffragiis Latini habiti sunt. Haec vero si se ita habeant, quam absurdi, quaeso, sunt, qui ab huius aut illius orationis forma sibi abeundum esse negant? Stylus sequitur et sequi debet ingenium: at hi ingenium vt stylo alicuius morem gerat, misere torquent. Ex quo profecto nihil, nisi hoc, nasci potest, vt omne decus orationis pereat, ac siccam quamdam et exsanguem eloquentiam larua et vmbra scriptoris cuiusdam committetur. Licet enim ars naturam magnopere adiuuare possit, ars tamen si naturam penitus subruere studeat, non ars, sed flagitium, dicenda est. Mihi sane mollius in id genus vocabulum haud conuenire videtur, quam si ingeniorum eos carnifices dixerim,

quibus

quibus summam profecto vim cum omnium molestia et taedio inferunt. Quid de homine diceres, qui vultum suum in tabula coloribus exprimi curaturus, signum AESCINIS aut DEMOSTHENIS pictori traderet, quod imitaretur? Nonne Medici et curatoris indigere diceres? Fallor vero, aut nulli similiores sunt illi veterum simii, quam huic homini. Docendum erat oratione, quo et quali essent ingenio. Quid vero agunt? A CICERONIS ingenio aut LIVII formam mutuantur, ad quam suum pingant. Hoccine est hominum aut stultorum more viuere? voces itaque, loquutiones, ornatus, ac aliqua etiam compositionis pars a veteribus petenda sunt. Habitum vero, vt ita dicam, orationis et neruos ex suo quemlibet ingenio, non ex alieno, fingere oportet.

§. XII.

Atque hoc loco non possum, quin *eos reprehendam, qui nihil dicendi facultate leuius esse putant*, et ineptissimo cuiuis, modo voces componere nouerit, iuuenes in ea erudiendos committi posse, somniant. Magistro opus est filio meo, Caius inquit, at mediocri tantum et semi-erudito. Nondum enim litteris ipsis imbui debet; verum in expoliendа oratione nonnihil temporis consumere. Homini itaque adolescens committitur, qui, si a tenui quadam Latini sermonis cognitione discedas, nihil fere doctrinae possidet, nec ratione vti nouit. Ego vero ab hominibus, sapientia alioquin non destitutis, hanc orationem proficisci posse miror. Qui non intelligere videntur, non tam verba in oratione spectanda esse, quam ordinem, sententias et verborum circumscriptiones,

nes, nec eum eloquentem iure vocari posse, qui pure et ex Grammaticorum praescripto loquitur, verum eum, qui apte, commode et argute cogitata eloqui potest. Ieiunum semper erit et vile dicendi genus, quin obscurum, confusum et ineptum, nisi, antequam ad scribendum accedas, clare et distincte res ipsas percipias ac eadem deinde ratione in litteras referas. Atque haec sane ratio neglecta tot nobis non disertos, sed loquaces, peperit, qui sapientia non nimis exculti, verborum elegantium agmine lectores obruunt; ex quibus tamen id tantum discas, homines istos, si res ipsas intelligerent, et sapere didicissent, non inscite verba de illis facturos fuisse. Non sine voluptate nonnumquam leguntur, quibus aliquod a nitida dictione nomen est, eo quod styli rotunditas aures suauiter afficit. Verum si deposito libello, quam prudenter, quam distincte et ordinate scriptor praeceperit, quibus argumentis sententiam confirmarit, quam sapiens ex lectione discesseris, tacitus expendas, arenam sine calce sibi oblatam ac summa imis fuisse mista, senties. Vellem itaque pueri, perceptis primis linguarum rudimentis, matura assuescerent, mentem a sensibus reuocare ac de rebus quibusuis ordine et distincte cogitare, deinde quae animo conceperant vel impurissimis vocibus chartae tradere. Vellem qui erudiendis illis praeficiuntur, rationem magis initio, quam voces et dictionem formarent, ac non nisi probe exercitatos ad meliorum autorum lectionem admitterent? Vellem magistri longe seuerius in consectarium hebes et minus acutum, quam in barbarismos et soloecismos animaduerterent, discipulosque perspicue et com-

modo

modo animi sensa proferre docerent! Aut nihil enim video, aut tum demum recte et ornate scribere discerent, meliusque illis consultum esset, quam si vocabulorum et loquutionum castissimarum multa millia memoriae mendent, mente interea scientia vacua. Egregie HORATIVS: [a]

Scribendi recte, sapere est principium et fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
Verbaque prouisam rem non inuita sequentur.

Sed satis de eo, quod circa dictionis culturam iustum esse putamus, diximus. Primo omnium nulli in bonis scriptoribus locum concedi posse dicimus, nisi proprie, euidenter et ornate cogitationes animi explicare studeat. Quid enim magis sapienti optandum est, quam vt ab omnibus non lubenter modo legatur, verum etiam intelligatur? in reliquis styli ornamentis rationem, tamquam obrussam, adhiberi debere opinor. Caueamus, ne aut aucupes verborum et superstitiosi, aut castae dictionis studiosos vituperando sordidi, agrestes, et inficeti videamur. Laudemus eos, quibus nihil prius est nitore et munditia sermonis. Sed nec eos insectemur, qui rerum curam verborum deliciis praeferunt. Venio nunc ad *alterum* illud *genus, quod deletam plane et exstinctam Latinam linguam* cupit.

§. XIII.

Longa est et ab ipsis fere litterarum instauratorum initiis ad nos ducta quaestio: *Latine scribendum sit viro docto, nec ne!* Cui quidem aliorum stupor et ignauia, aliorum inconcinna diligentia, aliorum denique inconsultum erga res domesticas

[a] *Arte Poëtica*, v. 315.

cas studium locum aperuisse videtur. Quo tempore Graecorum et Latinorum litterae ex fati paene faucibus, magnorum hominum consilio et auspiciis, eripiebantur, eodem fere in Gallia et Italia sordibus patriae linguae depellendis laudabilem viri egregii impendebant operam. Suam cuique diligentiam inprimis probari, nullus nescit. Quapropter et illi, qui in sermone patrio emendando et expurgando versabantur, et illi, qui veterem Latinorum elegantiam orbi terrarum restituere connitebantur, inter se statim de praestantia laboris dimicabant. Erant quidem in Italia potissimum, qui Hetruscam eloquentiam cum Latina coniungebant, IOANNES CASA, PETRVS BEMBVS, COELIVS CALCAGNINVS, pluresque alii; pauci tamen, si cum reliquis contendantur, qui pro latina aut italica lingua pugnabant. Non omnibus utriusque sermonis lepores et veneres sibi comparare datum erat: Hinc, vt quisque tempus suum in altera earum collocauerat, ita pro hac aut pro illa sibi dicendum putabat. Augebant hominum, qui tutelam domestici sermonis susceperant, studium et voluntatem cum insitus plerisque natalis soli amor, tum Latinae factionis in exprimendo CICERONE aliisque veterum non studium, sed prope furor. Rem esse difficillimam, nec liberali dignam ingenio, praeclare intelligebant ingeniosi homines, scrupulos ad quoduis verbum concipere ac religiosius in vocibus coniungendis, quam in tectis alii et vrbibus exstruendis, versari. Quibus natura paullo tardior contigerat, illi nullo sudore se tantam venustatem consequuturos, facile animo prospiciebant. Hos itaque naturalis torpor, illos

los virtus et ingenium facile inducebant, ut speretis Latinorum deliciis, in vnius patriae linguae amplexus ruerent.

Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.

Italici sermonis satellites PAVLLVS BENIVS in libro *furfurariorum Academiae* opposito, FRANCISCVS ALVNNVS, aliique cum peculiaribus libellis, tum in aliis scriptis, passim nihil vilius et abiectius lingua Latina esse contendebant, eaque longe superiorem esse Italorum sermonem tuebantur. Contra Latinorum patroni indignum facinus esse clamabant, filiam non satis castam matri formosissimae praeferri, Latino sermone Italos orbis terrarum dominos esse loquutos. Hetruscae consuetudinem tum coepisse, quum in deterius cuncta ruerent, et quae his sunt gemina. Iidem libris erudite et eleganter scriptis, excellentiam Latinae dictionis commendabant, HVBERTVS inprimis FOLIETA, cuius nunc libros iterum edi curamus et ROMVLVS AMASAEVS, Latinis litteris eruditissimus, quem duos *de dignitate et excellentia linguae Latinae prae Hetrusca libros* reliquisse, accepimus.[1] Taceo alios, de quibus in Notis ad FOLIETAM disserui, ac id tantum moneo, utramque partem, vt fit in controuersiis, aequitatis et prudentiae fines non raro migrasse. In reliquis gentibus etsi lis haec non tantis agitata fuit motibus, quantis in Italia, pleraeque tamen suos habuere, ut ita dicam, Brutos et Cassios, qui a seruitute Latinorum ciues suos vindicare conati sunt. Quod si nullo alio constaret argu-

[1] Vid. *les Eloges des hommes savans par Mr.* TEISSIER. Tom. I. p. 143.

argumento, inde ſartis apertum eſſet, quod Galli, Angli, Hiſpani, praecipua ingenii monumenta vernaculo ſermone conficiunt, nobisque linguas iſtas addiſcendi moleſtam ſane neceſſitatem imponunt. In Gallis tamen ſigillatim IOANNES LABOVRERIVS exſtitit, qui linguae ſuae prae Latina praerogatiuas peculiari libello, a SAMVELE SORBERIO edito, explicare ſtuderet.[2] Contra quem SLVSIVS, Mathematicorum aetatis ſuae paene princeps, idemque Latine doctiſſimus, duabus epiſtolis gloriam Romani ſermonis diligenter adſeruit;[3] etſi, acutiſſimo viro PETRO BAYLIO, iudice,[4] acrius in nonnullis et luculentius cauſſam hanc ornare potuerit. Mitto ISAACVM VOSSIVM, qui ſe LABOVRERIO, cuius alioqui ingenium non ſpernit, adſentiri non poſſe, nomine tamen eius omiſſo, publice profeſſus eſt.[5] Hodie, vti dixi, praecipuae Europae gentes, dum ſua patriis commendant litteris, haud eſſe neceſſarium, Latina lingua vti, adfirmant. Quarum exemplo Germanorum plurimi in eam prope ſententiam inciderunt, vt Germanice ſcribere, glorioſum putent, eosque, qui latino ſermoni nuntium mitti poſſe negant, in hoſtibus patriae aut certe nugarum et adulterinae eruditionis patronis habendos eſſe ducant.[6]

§. XIV.

[2] *Les Avantages de la langue Françoiſe ſur la langue Latine.* Paris 1669 in 8.

[3] Additae ſunt illa LABOVRERII Libro.

[4] dans l'*Avertiſſement ſur la Critique generale de l'Hiſtoire de Calviniſme de Mr. Maimbourg* p. 5. 6.

[5] de *poëmatum cantu et viribus rhythmi.* p. 36. ſ.

[6] Conſulenda hic erit Diſſertatio Auctoris de *hodierna Romanae linguae in patria noſtra exiſtimatione*, quam haec ipſa noſtra Poecile lectorum oculis offert. (M.)

§. XIV.

Non me praeterit, plurimos his conatibus se opposuisse et opponere ac *pro linguae Latinae necessitate* diserte et erudite verba fecisse. Sed neque id ignoro, in vitiosa eosdem nonnumquam incurrere, nec semper aequo cum aduersariis Marte congredi. Raro nimirum, quibus caussam quamdam aut impugnare placet, aut defendere, intra rectae rationis limites consistunt. Video quosdam summam Romani sermonis maiestatem et intemeratum decus secus sentientibus obiicere ac reconditas quasdam virtutes eius miris modis iactare. Ego vero parum ista commendatione animum meum commoueri, ingenue fateor. Non omnes tam perspicaci sumus ingenio, ut istam maiestatem, quam tantopere praedicant, sentiamus, eique ceruices statim submittamus. Hispani certe, qui *cum Deo Hispanice ob maiestatem linguae loquendum* esse contendunt, maiorem sermoni patrio maiestatem tribuere non verentur. Alii, si vel nulli haec virtus obscura foret, in linguis tamen copiam, proprietatem, aliaque potius esse spectanda, quam inanes sonos et tragica verba, defendunt. Maiestate itaque omnibus aliis longe Latinorum sermo superior sit; modo reliqui ceteris abundent virtutibus, hi tamen a scriptoribus merito praeferentur. Equidem risum vix tenui, quum his diebus in doctissimos alioquin homines, alterum Germanum, alterum Hispanum, FRID. TAVBMANNVM, et BERNARDVM ALDRETE inciderem, eosque pro latinis dicere audirem. Hic romanorum sermonem *labium* illud *electum* esse non dubitat, quod Deus, interprete Sophonia vate, cunctis

cunctis terrarum orbis nationibus promiserit. [1] Quam quidem interpretationem, etsi aliis quoque Romani antistitis defensoribus placuit, ne pueris quidem vir alioquin magnus persuadebit. Ille Latinae potissimum linguae beneficio salutem imperii Romano-Germanici contineri, grauiter disputat: [2] *Primam*, inquit, *e tuis eras: An studium linguae Latinae adeo sit necessarium, ut eo carere nulla hodie possit liberalis disciplina. Ad hoc respondeo non tribus quidem, quod solet dici, verbis, sed uno.* Nulla: *nec illiberalis quidem disciplina, et parum abest, quin in calore addam, vix vlla pars Christiani orbis. Mihi profecto lingua Latina vinculum quoddam gentium in hac Europa videtur, diuina prouidentia quasi coelitus demissum. Et quod Tu, Imperator* RVDOLPHE, Res patriae ferro tutoris, moribus ornas, legibus emendas, et tanta negotia curas, *ut de Augusto altero illo Caesarei nominis et imperii conditore Flaccus olim cecinit, audebo dicere, etsi παράδοξον quibusdam videbitur, id sit linguarum et potissimum Latinae beneficio.* Subtilior mihi haec argumentandi ratio videtur, quam vt ab omnibus capi queat. Melius, quid festiuus homo sibi vellet, intelligerem, si milites telorum loco voces Lati-

 nas

[1] vid. ipsa eius verba Hispanica libro: *Varias Antigue dades de Espanna Africa y stras provincias*, Lib. I. Cap. II. p. m. 6. *Este fue*, inquit, *el languague escogido, que Dios Nuestro Seunor dixo por Sophonias, que avia de dar a los pueblos paraque invocassen su nombre, i todos anno pusiessen et ondro, i todo su conato para sevirle.* Quis tunc reddam populis labium electum, ut inuocent omnes nomen Domini et seruiant ei humero vno. Cap. III. 9.

[2] Diss. de *lingua Latina*, p. 19. s.

nas in hoſtes vibrarent, quibus auditis hi non ſecus ac cantionibus et veneficiis compulſi, repente terga verterent. His hominum moribus et temporibus quis ſenſus ſit verborum iſtorum, prorſus neſcio. Paullo maius quid aliorum minatur ratio, cum filias matri praeferri, turpe et inhoneſtum ducunt, ancillas dominam antecedere, fas eſſe negant. Sed metuo tamen, ne et in hac aduerſarius paullo acutior quod rodat, inueniat. Saepius filiae, ut eamdem adhibeamus translationem, matres forma, virtute et ingenio vincunt. Quas qui nihilominus matre minores et inferiores habent, non aliam ob cauſſam, quam quod filiae ſunt, illi parum aequi rerum exiſtimatores iure ſuo audient. Naturali ordine ancillae dominas ſequuntur: verum quae ſummis poſtea viris matrimonio iunguntur famulae, in illis nihil priſtinae conditionis ſupereſt. Clarius loquar: Si Galli, Hiſpani, Itali, quorum linguas e Latina natas eſſe nouimus, ſuauitate, proprietate, diuitiis, patrium ſermonem longe poſt ſe Latinum relinquere docuerint, recte atque ordine faciunt, ſi hoc abrogato illius cuſtodiam ſuſcipiant. Non dico iam, recentiores illas linguas cum Latina matre de palma contendere poſſe. Aliorum hoc eſto iudicium. Mihi de robore et vi argumenti hoc loco tantum quaerere viſum fuit. Cuius quidem argumenti virtus, etſi longe eſſet illuſtrior, ad Anglos, Danos, Germanos, aliasque gentes permouendas, ut non alia, quam Romanorum lingua, libros conſcribant, nihil profecto faceret. Horum enim populorum linguas qui Latinis ortum debere dixerint, illis nulli fidem habebunt, qui familarum

inſtar

instar eas ſpectandas eſſe docuerint, hos iracundiores male fortaſſis mulctabunt. Ad alia iam tendere poſſem eorum tela, quibus pro neceſſitate Latinae linguae propugnare placuit, quorum longe maxima pars diligentius examinata corruit. Verum de nonnullis ad FOLIETAM diximus: de reliquis vberius hoc loco commentari, non opus eſt. Tribus verbis in nouam doctiſſimi hominis, mihique inprimis amici rationem inquiram, quam litteris ad me datis haud ita pridem expoſuit, ac deinde ad alia diſcedam. Exiſtimat vir exquiſiti ingenii, ex viuentibus linguis eruditorum ſermonem haud eſſe debere, quippe quae perpetuis viciſſitudinibus et mutationibus agitentur et corrumpantur. Reliquum eſſe itaque, ut latinus ſermo, qui nulli hodie genti proprius ſit, principatum obtineat. Quod vero pace egregii viri dixerim, Latinorum mihi cauſſam haec ratio non admodum iuuare videtur. Vt Italos enim taceam, qui a DANTIS, PETRARCHAE et BOCCATII temporibus pauciſſimas linguam ſuam ſubiiſſe mutationes gloriantur: nonne is, qui Graecorum aut Hebraeorum ſermonem cariorem reliquis habet, eodem plane argumento pugnare poterit? Nonne has linguas eruditis adoptandas eſſe, quod vſus earum hodie extinctus ſit, eodem iure diſputabit?

§. XV.

Nemo vero ex his argumentis paullo leuioribus de bonitate cauſae exiſtimet. Certe infelicius longe Latinarum Litterarum hoſtes congreſſi ſunt, ac vel inuitiſſimis indignationem in-

 ter-

terdum expresserunt. Quod exteris nihil concedendum esse, dicunt, qui suis, non alienis linguis, libros componere soleant, id ieiunum profecto et exile est. Exterorum qui suadet imitationem, is vitii nihil in moribus eorum esse, ante omnia ostendere debet. Quid si ergo id inprimis vituperandum esse in Gallis, Anglis, et aliis, quod communem eruditorum linguam deserant, docendum quis recipiat? Num et sic Germanis eorum consuetudines amplecti licebit? vt scilicet se ab illis nullo modo vinci velle, demonstrent. Quod idoneum et aptum esse Germanorum sermonem litterarum studiis, publice planum esse faciendum, dictitant, id nihilo sese melius habet. Esto; nihil Germanis ad vbertatem, ad venustatem, ad proprietatem linguae deesse: esto, quasuis animi notiones elegantissime ea explicari posse: esto denique, quod tamen haud ita est, nulla Germanis vocabula a Latinis mutua sumenda esse, quando de rebus eruditis disputant. Iam vtrum magis litteris et veritati expediat, Latine an Germanice scribere, excutiendum erit? iam patrii sermonis dignitatem et eruditionis commoda ita esse coniuncta, ut illa spreta his quoque multum detrahatur, aperiendum erit? Si quis enim magis rei litterarum publicae conducere doceat, manere Romanorum linguam, vniuersa haecce ratio exstincta erit. Equidem et litteras stare posse opinor, etiamsi minor Germanorum linguae opera nauaretur, et linguam hanc dilatari, exornari, amplificari posse, etiamsi praecipua ingenii monumenta Latinis litteris commendarentur. Quod plebis alii et eorum, qui Latinae Linguae exper-

tes

tes sunt, rationem habendam esse obducunt, ne id quidem magni momenti est. Non infitior, sapientiae praeceptis rudiorum animos emendandos esse: idem vero foeminis et vulgo rerum, quae inter eruditos geruntur, cognitionem, quoniam ratione vti nesciunt, non nimis salutarem esse existimo. Habeatur imperitiorum ratio in libris, quibus vitae sapienter componendae, aut felicitatis consequendae, aut mentis ab erroribus reuocandae grauioribus, modus traditur. Reliquis profecto, id quod multis constat exemplis, abutuntur facile, qui oculorum magis consuetudini et vitae negotiis, quam rebus diligenter ponderandis, tribuunt. Quamobrem vix a me impetro, vt magno eos sibi beneficio mortales obstringere putem, qui libros hodie Philosophicos et abstrusioris argumenti Germanis lingua patria legendos exhibent. Qui non plane rerum eruditarum imperiti sunt, tantum in Latinis et Gallicis litteris temporis posuere, vt interpretis non indigeant. Viderint itaque interpretes hi, ne laboribus istis aut mulieres intempestiue et inepte philosophantes producant, aut hominibus ab ingenio et ratione relictis, quos ambitio tamen vexat, errandi et rem publicam perturbandi locum suppeditent. Aliud est genus, quod idcirco Latine scribendum esse negat, quod magna pars huius linguae amissa, nec omnium hodie loquutionum ratio in medio posita sit. Memini acutissimum BAYLIVM loco quodam, qui nunc memoriam fugit, acriter disputare, multa hodie nos praeterire in Latinorum veterum sermone: quod vel ex eo patere putat, quod quam obrem CICERO nunquam *conscripti patres*, ve-

rum semper, *patres conscripti* dixerit, prorsus obscurum sit. Memini alios in eadem re probanda multos esse. Et sit ita, quod viri eximii volunt, multa nos fugere, tonsoribus olim et baiulis Romanorum notissima; vsum potius, quam regulas esse spectandas, quae saepenumero fallant: *Eloquentissimos hodie et nitore orationis prae ceteris insignes*, quod PETRVS BVRMANNVS, vir in his litteris summis nuper statuit,[1] *tam barbaros, tam in elegantes prae antiquis esse, vt vix millesimam linguae partem adsecuti, digni forent, si pro nostris os aperire auderent, qui mulierum et puerorum sibilis exploderentur.* Addant licet alii, summam Romanorum paupertatem prohibere, quo minus optima eorum lingua habeatur. Neque sic tamen, quod putant, effectum erit, Latinorum litteras cum aliis commutandas esse. Antequam id fiat, res, quae ab eruditis pertractantur, ista lingua nec commode satis, nec perspicue exponi posse, docendum erit. Quod si quis susciperet, is immenso illo librorum ista lingua conscriptorum agmine non refelleretur, verum obrueretur. Nesciamus omnes linguae istius delicias et interiores elegantias: modo id, quod certe habemus, habeamus, apte et conuenienter omne scriptionis genus illustrari ea posse. Verum quid multis aliorum non nimis acutas conclusiones persequor? Quis nescit optimos interdum homines tam alias res agere, ut tyronibus inter veteranos, ratiunculis inter argumenta locus sit? Dicam potius breuibus, *quae mea sit de Latinae linguae necessitate opinio.*

§. XVI.

[1] Oratione in *humanitatis studia.* p. 11.

§. XVI.

Principio *propria quandam et peculiari lingua res eruditorum carere non posse*, fixum atque ratum esse volo. Sapientis est, velle, vt quam latissime veritatis imperium pateat, et ad omnes omnino gentes propagetur, quo ad Deum colendum, et officia inter se praestanda, quidquid est toto terrarum orbe mortalium excitetur. Iam tot linguis hodie, quot fere gentibus, aut omnia linguarum genera iis, qui aut alios, aut se ipsos erudire cupiunt, ediscenda sunt, id quod fieri nequit, aut ex omnibus vna aliqua deligenda, qua eruditi omnium gentium colloquantur. Quaenam igitur et qualis haec lingua sit, necesse est? Antequam praecipuas terrarum orbis partes gens togata subigeret, *Graecorum* sermone quod eruditum et elegans vnice legebatur. Quamobrem qui sapientiae flagrabant amore, illis Graecis studendum erat litteris, quibus Philosophia et omnes ingenuae disciplinae continebantur. Hinc CICERO: *Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus exiguis sane continentur.* [1] At postea Romani rerum domini ad gentes bello superatas cum imperio linguam transmittebant:[2] quae CICERONIS et aliorum industria expo-

[1] Orat. pro Archia.

[2] Vid. quae ad L. I. FOLIETAE notauimus. Quibus adde nummos a Graecis cusos exstare, quorum inscriptiones tamen Latinae. Obtulit sese mihi nuper, quum Hafniae versarer, vnus ex eorum genere et quidem aereus. Cuius altera facies Numinis cuiusdam, IOVIS aut NEPTVNI barbaram ostendit effigiem: altero *Arionem* Delphino vectum et cythara canentem, a cuius tergo Latina inscriptio: P. CORN. Inferior nummi pars Litteras

expolita et locupletata, atque adeo artibus et ſcientiis accommodata, communis facile eruditorum ſermo euaſit. Mutata rerum Romanarum facie et barbararum gentium incurſionibus lingua prorſus foedata et corrupta, aliqua tamen eius vmbra relicta fuit nec in prouinciarum, quae ſolem ſpectant occidentem, ſcholis vmquam Latine, licet turpiter et inepte, loqui deſitum eſt. Quae ratio ſummos et immortali memoria dignisſimos homines, quorum virtute, ingenio et vigilantia barbari ei iugum a ceruicibus noſtris depulſum eſt, potiſſimum induxit, vt Romanum ſermonem ſuo, quo verſatus ſemper erat, loco manere iuberent ac nouo lumine illuſtrarent. Potuiſſent illi Graecas litteras Latinis ſurrogare; quod vtinam faciſſent! Verum ita hominum ingeniis plerumque comparatum eſt, vt, *niſi ſumma* cogat neceſſitas noui aliquid, praeſertim moleſti et difficilis, haud moliantur. *Latinorum* itaque ſermo cum ipſis iterum probatus eſt *litteris*, ab eruditis receptus, et innumeris deinceps voluminibus confirmatus. Ex his falli eos, qui Latini ſermonis naturali cuidam praeſtantiae prae reliquis linguis ius illud, quo hodie vtitur, deberi diſputant, perſpicuum eſt. Conſtat etiam, non eam eſſe Latinae linguae, quod multos ſibi perſuaſiſſe miror, neceſſitatem, quam phyſicam vulgo vocare ſolent. Non ſuauitate ſua, non nitore, non copia ad eam, qua nunc eſt, dignitatem primo peruenit, ſed imperiis et victoriis. Nec renaſcentibus litteris conſilio quodam et poſt

teras quoque Latinas habet, verum vetuſtate detritas. Memini et alios eius generis paſſim et in Regiis nummis me videre.

post longas deliberationes scientiarum custos constituta est.. sed casu. Multo minus deteriori hodie conditione liberales essent disciplinae, si maioribus alio sermonis genere scientiam et eruditionem ad posteros transferre placuisset. Forte melius sese habuissent disciplinae Graecorum litteris traditae. Nam quae nunc a plurimis spernuntur praclara Graecorum monumenta, ob ignorationem potissimum linguae, in omnium fere manibus versarentur. Iactent se in puerorum concionibus, qui diuino quodam instinctu rerum Latinarum decus conseruatum esse gloriantur, sine quibus ipsa periisset eruditio. Illi, quibus ratio non frustra est concessa, numquam vt in hanc sententiam descendant, a se impetrabunt. Quanam igitur ratione, dices, Latini sermonis demonstrabitur necessitas? *Praescriptionis* iure, vt cum Iurisconsultis loquar, et metu, ne, nouo sermonis genere introducto, detrimenti plurimum res publica litterarum capiat. Nihil ego caussae video, quare Latinorum sermo, tot doctissimis hominibus probatus, possessione post tot saecula exturbari debeat? Si tot ille sordibus, tot ambiguitatibus, tanta paupertate et inopia laboraret, vt et aures lectorum offenderet, et litteris explicandis parum esset idoneus, omnino proscribendus esset. Verum quum non modo vitiis istis careat, sed multis etiam virtutibus aliis linguis praestet, quare dignitate, quamdiu tenuit, exuendus esset? Fingamus vero, quod minime metuendum, id agere eruditos, vt communibus hanc linguam suffragiis repudient, quid tum clarius erit, quam omnia vehementer perturbatum ipsirsque doctrinis

praefationes praemitti cupit. Quae minus diligenter explicata sunt, ea luculenter, ingeniose et erudite VBERTVS FOLIETA, vir in praestantissimis aetatis suae illustriori loco positus, *libris tribus de praestantia et vsu Latini sermonis Romae* MDLXXIIII. apud *Iosephum* de *Angelis* forma quarta editis, exposuit, quos nunc *Notulis* meis passim illustratos luci restituo. Non diligentiorem sane, non digniorem, non eloquentiorem Latini sermonis vindicem vel ipse, si ab inferis rediret CICERO, exspectaret. Fuit in illo ingenium non Grammaticis subtilitatibus nutritum, verum ratione et exercitatione ita politum et limatum, vt ne acutissimo quidem concedat. Quod profecto in homine admirandum, qui tam feliciter omnes Latinae linguae elegantias assequutus est, vt aetatem in illis consumsisse, nec aliis disciplinis operam dedisse videri queat. Peracutus est ad excogitandum, in componenda et distribuenda caussa solertissimus, in explanando et differendo copiosus, verbis denique mirabiliter aptus. Dubites, vt breuibus dicam, an eloquentium eruditissimum, an eruditorum eloquentissimum FOLIETAM dicas: adeo nihil omittit, quod ad caussam, quam suscepit, pertinet, adeo caste, nitide et ad animos legentium flectendos accommodate cuncta persequitur. Dicendi genus aequabile, copiosum, solutum, ac prorsus *Ciceronianum*, TVLLIVM enim, quem tum omnes Itali, qui Latinitati studebant, referre conabantur, hic vnus prudenter imitatus est, vt ab vbertate eius et nitore minime omnium discederet, nec tamen superstitiosius in verba eius iuraret. In qua quidem re quem omnes, qui Latinis delectantur litteris, in exem-

exemplum sibi proponant, dignissimus est. Fateor CICERONEM exprimendi, quod minime dissimulat,[1] studium neruos orationis interdum incidere et languoris nonnihil afferre, quod ii sine negotio sentient, qui in hisce studiis elaborarunt. Verum tot reliquae sunt, quibus abundat, virtutes, vt hoc qualecunque vitium, si quidem ita dicendum est, facile tegant. Non opus est: vt in laudibus FOLIETAE longior sim: quem ex rarissimis illis ingeniis esse constat, quae, vt Phidiae signa, simul adspiciuntur et probantur, nec cuiusquam testimonia desiderant. Id tantum dicam, summorum virorum de FOLIETAE cum hoc, tum reliquis laboribus idem dudum fuisse iudicium. Acerrimus huius generis censor, IO. GEORG. GRAEVIVS, tanti eos fecit, vt inscripta Historiam et antiquitates Italiae illustrantia nonnulla eius opuscula, licet alieni prorsus argumenti, ob summam elegantiam et raritatem interponeret.[2] Quod eius consilium vir GRAEVIO ingenio, doctrina et virtute par, IACOBVS PERIZONIVS, publice sibi probari professus est. *Sic enim demum*, inquit vir egregius,[3] *iustum se operae facturum censebat pretium, si Tibi hic exhiberet, Lector, non tantum optimos quosque singularum ciuitatum scriptores, sed simul etiam tales, quorum magna iam dudum erat penuria. Quin hoc ipsum maxime spectans, quum elegantissimos* VBERTI FOLIETAE Historias, *quae Historico vere stilo et iudicio sunt scriptae, denuo hic ederet, adiecit alia quaedam illius opuscula,*

[1] Vid. Lib. II. *de vsu Latini sermonis* sub finem fere p. 138. 139.

[2] *Thesauri Antiqq. Italicarum* Tom. II. p. 936. f.

[3] Praef. in *Thesaurum Antiqq. Italic*: p. 4.

la, licet ad Ligures nihil pertinarent - - - ne scilicet tam egregia illius auctoris scripta, quae iam nunc erant rarissima, paullatim interirent. Neque mihi vllum dubium est, quin GRAEVIVS, si hunc *de Latina lingua* librum nactus fuisset, pro eo, quo in hoc genus ferebatur, amore, reliquis eum adiunxisset. IAC. AVG. THVANVS FOLIETAM *Latine scribendi facultate praestitisse ac multa elegantissime et acri iudicio scripsisse, quin hunc vnum dignum fuisse, qui Historias sui temporis Pauli Iouii vestigiis insistens persequeretur,* iudicat.[4] Idem litterarum interesse scripta eius simul edi profitetur. AVB. MIRAEVS *mire inter scriptores Italos cum sibi placuisse, cum ob styli Ciceroniani elegantiam, tum ob aequa et vera Historiarum eius testimonia,*[5] scriptum reliquit? Et quis omnes enumeret, aut conquirat, qui virtutem eius aut eloquentiam praedicarunt.[6] Certum est neminem vnum ne ex inimicis quidem eius exstitisse, quin viri ingenium et acumen, commendatione et praemio dignum existimaret. Redeo nunc ad librum, cuius res hic agitur. Occasionem illius scribendi cum controuersia, quae tum in Italia de praestantia Latini et Hetrusci sermonis agitabatur, ipsi dedit, tum querelae nonnullorum, qui Historiam ab eo latino sermone componi, quae vernaculo conscribenda esset, moleste ferebant.[7] Ex quo

[4] *Historiar. sui temporis* Lib. LXXIV. p. 96. 97. ed. *Offenbac.* 1609. fol.

[5] De *scriptoribus Saeculi* XVI. p. m. 242.

[6] Varia eaque per honorifica summorum virorum de eo testimonia libris eius, inprimis *Historiae Genuensi* praemissa sunt. vid. *Thes. Antiqq. Italiae*, Tom. I. p. 205. s.

[7] Ita ipse FOLIETA libro *de ratione scribendae Historiae* p. 1191

quo intelligitur non modo Romanorum linguae patrocinium, verum etiam ſui ipſius ab homine diſertiſſimo ſuſceptum eſſe. Quamquam ſic in hac cauſſa verſatur, vt rerum ſuarum obliuionem conſulto quaeſiuiſſe videatur, at caſtitate potius et nitore dictionis, quam argumentorum apparatu conſilium tueatur. Iam quae mihi fuerit elegantiſſimum librum denuo edendi occaſio, paucis accipe. Inquirenti mihi, rogatu honeſtiſſimi viri, PETRI *Van der Aa*, quanam potisſimum ratione ingens, quem molitur *Theſaurus Antiquitatum et Hiſtoriarum Italiae* exornari poſſet ac amicorum idcirco opem per litteras poſcenti, inter alia et hic liber a viro longe doctiſſimo, THEOD. HASAEO, humaniſſime oblatus eſt. Ego itaque, qui GRAEVIVM noueram alia eiusdem viri ſcripta, etiamſi inſtituto non ſatis reſponderent, in hoc *Theſauro* iterum deſcribi curaſſe, ſtatim et huic aliquem in eo locum concedi poſſe, cogitabam. Verum poſtea, grauiſſimas eſſe rationes, ob quas huic conſilio fauere non poſſet *Theſauri* editor, intellexi, ac ipſemet inter *Sicularum* rerum ſcriptores haud commode hominem collocari poſſe ſenſi. Quapropter ne liber temporum noſtrorum rationibus imprimis accommodatus, isque venuſtiſſimus et accurate conſcriptus aut interiret, aut diutius lateret, operae pretium ſeparatim

1191. T. II. Antiqq. Ital. *Principio*, inquit, *conſilium meum reprehendunt, qui Latine Hiſtoriam ſcribendam duxerim.* Et p. 1193. ita: *Negantibus*, pergit, *Hiſtoriam hoc tempore poſſe latino ſermone conſcribi, ſatis copioſe, ni fallimur, in libris noſtris* de linguae Latinae vſu *reſpondimus, remque diligentiſſima ac ſatis, vt putamus, ſubtili diſputatione perſecuti ſumus.*

ratim eum edere duxi. Ac ſcio ſane, magis hoc acceptum fore harum litterarum ſtudioſis, quam ſi voluminoſi operis, quod perpaucorum teritur manibus, pars conſtituta fuiſſet. Confirmauit me in propoſito, quod eruditiſſimos homines, non librum modo vehementer laudaſſe, verum nouam eius editionem expetiiſſe memoria tenebam. IOANNES DOPPERTVS, V. C. ſibi dudum in animo fuiſſe, crebriori eum eruditorum vſui cum notis reddere, *ſi modo amatorem, qui denuo cum typis exſculperet, reperire potuiſſet*,[8] teſtatur. Io ERH. KAPPIVS, vir de elegantioribus litteris praeclare meritus, accepiſſe ſe, celeberrimum quemdam virum nouam *praeſtantiſſimi libri* editionem parare, ſignificat, ac vt ea quam primum lucem publicam adſpiciat, exoptat.[9] Quorum aliorumque magnorum virorum deſideriis obſequutus, nihil quod reprehenſionem incurrere poſſit, feciſſe mihi videor.

§. XVIII.

At *Notulae* fortaſſis meae, quos paſſim adieci, cenſuram non effugient? Fateor nihil eſſe in *illis*, quod magna laude dignum ſit. Nec enim diligenter ſunt elaboratae, verum inter negotia alieniſſimi generis in chartam coniectae. Dandum aliquid erat ſaeculi moribus, non nihil etiam *illi*, cuius ſumtibus liber prodiit. Praeterea luxuriari nolui, nec, quod multi ſolent, eruditis quidem, at peregrinis et non neceſſariis obſeruationibus, molem libro et pondus conciliare. Quam ob rem

[8] De linguae Romanae in curia obſeruatione, *Miſcell. Lipſ* Tom. III. p. 215.

[9] Notis ad *Vauaſſorem de dictione ludicra*, p. 476.

rem si quis in nostris exagitandis ingenium exercere cupit, fruatur ista voluptate. Nihil ego scio tam eruditum, tam praeclarum, tam ingeniosum esse, quod non calumniando peruerti possit. Optimus quisque furorem et inuidiam hominum imperitorum et malignorum expertus est. Nec is ego sum, qui me cunctis placere posse putem, qui nulli hanc felicitatem obtigisse noui. Quot maleuolorum tela magnus ille ERASMVS excepit? Quot cauillationes hominum stupidissimorum sustinuit?[1] Quorum insultus si modesto silentio, id quod minime fecit, vltus fuisset, maiorem sibi laudem apud posteros collegisset. Sed quid disputo? Fingere mihi fere aduersarios videor, vt ebrii lemures, ac cum vmbris iurgio contendere. Valeant notae meae, immo pereant, modo FOLIETAE sua laus, quod minime dubito, maneat. Cui quidem si nonnihil splendoris ex laboris mei exilitate

X 2 acces-

[1] Dum curiosius his diebus magni illius hominis opera, a IOHANNE CLERICO, coniunctim edita, euoluerem, non potui, quin aduersariorum eius furiosissimos clamores ac interdum ridiculos mirarer. Id vero imprimis mirabile visum fuit, quod innocentissima vocabula ab aliis vsurpata crimini tanto viro data fuerint. Exemplum dabo IO. OECOLAMPADIVS nostrum eum vocauerat ac in *Praef. Comm. in Esaiam* scripserat: *Magnus Erasmus noster*. Id maligne interpretantur hostes, et inuidiam ex eo doctissimo viro conflabant. Vid. *Epistola* DCCXXVIII. *ad Oecolampadium*, Tom. IV. opp. Bone Deus! si voces ab aliis adhibitae crimina sunt, quis tandem mortalium innocens erit? Si nefas est amicum vocari ab homine erudito, quid de sanctissimis IESV CHRISTI legibus fiet, quae hostes diligendo esse praecipiunt? Rectius tamen fecisset ERASMVS, si iniurias istas, non tot querimoniis diluisset, sed exemplo Seruatoris, id quod eius discipulum decet, silentio confutasset. Rationibus sapiens, non conuiciis respondet.

accesserit, non succensebo, sed gaudebo. V tam FOLIETAE, quam subiunxi, perfectiorem fo tassis dare potuissem, si plures mihi libros p otium inspicere licuisset. Verum facile excusat ero illis, qui rationes meas nouerint ac simul r gatu mercatoris librarii hanc operam a me susc ptam esse, recordati fuerint. Dab. Kiliae Idib. S ptembr. MDCCXXII.



CO

COMMENTATIO
DE
HODIERNA
ROMANI SERMONIS
IN
PATRIA NOSTRA
EXISTIMATIONE

DE

HODIERNA ROMANI SERMONIS IN PATRIA NOSTRA EXISTIMATIONE *

LECTORIBVS

S. ET O.

IO. LAVR. MOSHEMIVS.

Cum praefari me non nihil ad hunc librum, quem integrae orationis latinae thesaurum quemdam haud male vocauerim, necesse sit (nec enim lubens in alienam inuolaui prouinciam) placet, pauca quaedam de *hodierna Romani sermonis in patria nostra existinatione* disserere. Testes habeo locupletissimos, qui quotanis in lucem exeunt, libros partim latina oratione comta et casta exaratos, partim ad ornandas et vindicandas latinas litteras magna cura et diligentia compositos, abundare hodie germaniam viris eximiis, quibus id imprimis curae est, vt et ipsi scite et eleganter animi sui sensa Romanorum sermone exprimant, et iuuentutem bonis artibus et disciplinis dicatam exprimere doceant. Immo dixeris paene, contentius hodie et curiosius, qui Latine scribendum sibi esse ducunt, prouidere, ne sordidi et agrestes videantur, quam qui ante hos ipsos viginti aut quadraginta annos Romane lectores suos compellarunt: Quod quidem nisi me fallit opinio, bonae mentis aut rectae rationis inter nos incrementis tribuendum est, quae turpe atque illiberale scit esse, quos erudire et dele-

* Commendat haec Praefatio lectoribus V. Cl. Io. Frid. Noltenii *Lexicon Latinae Linguae antibarbarum*, quod eam in fronte gerit.

delectare cupias, eosdem aſpero, impedito et ruſtico ſermonis genere offendere. Sed naſcitur inter haec ſimul et ſenſim adoleſcit ac diffunditur ſecta non ſeuera, non triſtis, non illiterata, verum elegans, hilaris, erudita, eaque re non leuiter formidanda, quae culturam ſermonis latini diſſuadet, ridet, deſpicit, tempusque, quod in ſcholis noſtris ei dicatur, inutiliter collocari, rebusque ſanctioribus, et maioribus iniuſte ſubtrahi queritur. Factio haec, (abſit omnis ab hoc nomine inuidia!) in binos veluti ramos diſtribuitur. *Alii* a linguarum ſtudio iuuenes prorſus auocant, et mentem commentando et philoſophando acuere, non ediſcendis formulis et vocabulis, conquirendisque ſtili luminibus et ornamentis frangere et eneruare volunt: putamina haec eſſe aiunt, fucum, crepundia, aut ſi quid hiſce vilius eſt, quibus vir ſapiens et veri cupidus ſine vlla moleſtia careat: res ipſas conſectandas eſſe ingenuo homini et ad veram laudem nitenti, integumenta rerum et ſententiarum otioſis ludimagiſtris relinquenda eſſe, ne deſit, quod inter puerorum ſubſellia diſputent. *Alii* verecundiores dicam, an callidiores? ipſam quidem eloquentiam facunde laudant, at latinae male volunt. His ſatius et honeſtum magis videtur, germanum hominem patriae linguae ditandae et purgandae, quicquid habet ingenii, commodare, quam peregrinae et obſoletae. Iniuriam, inquiunt, et ipſos ſibi et genti ſuae non exiguam inferre, qui latinis verbis explicent, quod commode, commodius etiam et aptius, germanicis enunciare poſſint: Francos, Anglos, Italos, cultiſſimas Europae nationes, ſuis ſingulas linguis publice lo-

qui

qui solere: hos igitur germanis aemulandos, veterem illum Quiritum sermonem antiquitatum studiosis commendandum esse.

Cum *priori* illo genere, *quod dicendi studia prorsus*, si posset, *e ciuitate litterata eiiceret*, nunc quidem multis certare nolo. Dabit illud posteritate iustissimas temeritatis suae poenas, quae in vicos tus et piper vendentes chartas migrare iubebit, sale, lepore, venustate omni nudas, verborumque male iunctorum, minus propriorum et aures radentium mole tumentes. Quod qui non temere me vaticinari, cognoscere cupit, vt vulgo is in celebrem illam et acutam *Sbolasticorum*, nominatur, gentem oculos tantum coniiciat: quae cum multa excogitauerit et in litteras haud paruo labore retulerit, ingeniosa, vera, laudabilia, ita tamen, quia bene meditata rudi et inficeta oratione deformauit, omnibus, in quibus sensus aliquid et luminis est, hodie sordet, vt ipsa quae reliquit, volumina nauseam et grauedinem commoueant. Viderint praeterea, quibus orationis sapienter et scienter conformatae cura res adeo leuis et nugatoria videtur, viderint, inquam, si philosophi sunt, quod esse volunt, quemadmodum prudentiae doctoribus rationem suam probent, quos discipulis identidem haec monita inculcare nouimus: Non parum ad hominum animos capiendos et iusti honestique amore imbuendos referre, quali in corpore, quae credenda et agenda proponuntur, locata sint: saluberrima saepenumero et optima, si male condita sint, reiici: Contra ea molesta et acerba libenter admitti, modo formam aliquam et colo-

rem secum vehant, verbisque gratis et probabilibus vestita compareant. Haec, quae vitae vsus supra omnem dubitationem euehit, si quid possunt, refellant: nobis interea hoc vnum credant, sic longe plurimis, nec ineptis viris persuasum esse, qui vanitatis vtilem quamdam facultatem postulant, eos aut tardiores esse, quam vt eam assequi possint, aut segniores, quam vt eam comparare sibi velint.

Cum *altero* genere, quod *Germanicam eloquentiam longe latinae anteponit*, hancque contabescere et interire optat, quo illa sola viuat et valeat, paullo agam copiosius. Nam, ut nunc sunt tempora, plus in dies fautorum et amicorum sibi colligit, et a potentissimo illo, quem natura omnes sentimus, amore patriae vehementer adiuuatur et roboratur. Quaeramus ante omnia, quid in disceptationem veniat, ne visa, non oblata, sed ficta, debellare videamur: quod eo magis necessarium est, quoniam, qui germanicam linguam defensum veniunt, faciem crebro mutant, nec eamdem nobis omnes quaestionem ponere solent. Hoc igitur si vernaculi sermonis patroni dari sibi a nobis velint, qui in linguae latinae facultate sibi comparanda consenescant, et omnes animi vires absumant, nulla linguae patriae vel ipsarum rerum ratione habita, malos et ingratos ciues esse; boni et iusti ciuis esse, ad eam curiam incumbere, maxime si vulgi pars esse nolit, vt ea, quam a maioribus accepit traditam linguam pure, perspicue, concinne ac copiose scribere discat; ad germanorum hoc pertinere decus et gloriam, vt, quo vtuntur, aui-

auitus sermo, eamdem nitoris, vbertatis, perspicuitatis, dignitatis laudem, quam exterarum quarumdam gentium linguae nactae sunt, sensim adipiscatur; e republica esse, vt rationis, virtutis, sapientiae praecepta, disciplinarum humanae vitae conducentium initia, alia item quae vim ingenii excitant, mores componunt et emendant, vincula societatis muniunt, otio honeste et fructuose fallendo materiam suppeditant, vt haec omnia et cognata illis alia germanicis litteris, neque inepte ac negligenter, sed quam fieri potest accurate, et ornate, mandentur: Haec, inquam, si poscunt sibi concedi, nec verbis nec argumentis apud nos, vt, quod volunt obtineant, opus est. Valeant, quorum aciem Romani sermonis maiestas adeo praestringit, vt nihil honeste, grauiter decore, nisi latine, scribi posse putent. Quorum errorem, vt cetera minus ferenda taceam, id vnum intolerabilem reddit, quod per eum maxima pars popularium nostrorum, Latini quippe sermonis inscia, multarum rerum optimarum et vtilissimarum cognitione iniquissime interdicitur. Abeant et illi, quos adeo ignauos et illiberales esse iuuat, vt, si quid germanice siue ore, siue calamo efferendum sit, illud nullo verborum delectu, nulla norma et regula adhibita, vt sua quemque libido et inscitia ducit, enuntiandum esse confirment. Quasi vero fas sit, hominem, qui doctoris publici personam sibi sumit, ita loqui et scribere, vt barbarie sua discendi cupidos absterreat, sibique ipse magistri stolidi et imperiti nomen adquirat. Haec nempe, quod paucos ignorare arbitror, incommoda et mala illa sunt, quae neglectam plane et

im-

impolitam orationem ſequuntur. Sibi ſolis ad extremum canant, nobis parcant, qui natura ipſa magiſtra ac duce, ſine praeceptore, ſine exercitatione, ad germanici ſermonis facultatem qualis viros doctos et honeſtos decet, peruenire poſſe arbitrantur, patriaeque idcirco eloquentiae ſcholas claudere iubent. Habemus id a natura et educatione, vt loqui et garrire queamus, vt apte, vt prudenter, vt ſermonis, rerumqe indoli conuenienter loquamur, id aut artis et inſtitutionis, aut vſus et conſuetudinis beneficium eſt. Qua in re ſi nobis credere recuſant, quibus omnis intempeſtiua et parum neceſſaria ducitur cura, quae vernaculo ſermoni tribuitur, Romanis ſuis, quos in oculis ferunt, credant: hos enim accepimus in ipſa latini ſermonis ſede, in ipſa vrbe, non Graecarum tantum, ſed etiam Romanarum litterarum ludos apperuiſſe, in quibus ingenui iuuenes prauum illum loquendi morem, quem ex nutrice, vernisque tenera aetate hauſerant, dediſcerent, et ſapienter, commode et ſcienter dicendi leges acciperent. Credant item Francis, quorum mores et ingenium tantopere plurimis placent. Nam hac etiam in gente, illi qui cum populo componi nolunt, in vernaculae linguae regulis et praeſcriptis cognoſcendis tantum locant diligentiae, quantum vix inter nos illi in latinis elegantiis et dicendi praeceptis addiſcendis ponnunt, quibus Romanae facundiae procuratio commiſſa eſt.

Hactenus ergo aut nihil, aut parum nos ab illis ſeiungit, qui germanos ſuam ipſos linguam deſpicere, negligere et longe infra Latinam ponere,

nere, moleste ferunt. Atqui hos si excedant limites, quod nonnulli facere videntur vereor, vt saluo diu esse queat concordia nostra. Memini, me legere et audire quisdam, bonos quidem illos, lepidos, facetos, et ingeniosos viros, verum immoderato patriae amore inflatos, quum statuerent, aut ne quid nimis dicam, statuere viderentur, indignum facinus esse, germanum hominem latino sermone libros componere, deterius etiam et stuetum plane, cauere hoc vehementer germanos latine scribentes, ne quid calamo excidat Romanis auribus insuetum et insolens, bonamque temporis, quod maioris momenti rebus impendi poterat, in verborum latinorum et nominum potestatibus indegandis et limandis perdere; legibus principum coërcendam esse latinam illam scabiem, quae ex scholis egressa vniuersam, qua patet in Germania, rempublicam eruditam turpiter contaminet. Haec si vere sentiunt viri praeclari, ego quidem, quod bona eorum cum gratia fiat, profiteri minime dubito, secus mihi videri, et sententiam illam patriae nostrae non gloriae tantum verum etiam saluti noxiam esse.

Principio certissimus ego sum, non expedire reipublicae, vt quaecunque inter viros eruditos, quaeruntur, et disputantur, omnia promiscue sermone populari explicentur et cunctis legenda exhibeantur. Sunt quaedam, nisi me fallit opinio, quae nescire illos, satius est, quibus tantum natura luminis haud dedit, vt atra albaque, vera et falsa facile discernere possint, quam scire. Inter ea refero vniuersam illam philosophiam, ab-

stru-

ſtruſam ſane et longe a plerorumque mortalium intelligentia remotam, quae de primis rerum omnium cauſſis et rationibus, de aeternis; iuſti et honeſti originibus, de voluntate Dei, ceterisque eius immenſis perfectionibus, de generalibus eorum, quae vere ſunt et exiſtunt, affectionibus, de prouidentiae natura, de animorum indole ac viribus, ſimilibusque argumentis ſubtiliſſime diſſerit. Satis habet multitudo praeſidii ad res ſuas prudenter agendas, ad vitam ſancte et moderate ducendam, ad bene beateque moriendum, ſi tantum de his nouit et intelligit, quantum ſupremi numinis ſapientia, libris illis, quos diuinitus dictatos eſſe ſcimus, aperire nobis conſultum iudicauit.

Plura ſi perceperit, primum illi, qui aut ingenio ſupra ceteros eminent, aut eminere ſibi videntur, quaeſtiunculis et ſe et alios exagitare incipiunt: de multis deinde grauiſſimisque rebus imperite ac conturbate diſputant et dubitant, porro, quae vere et bene dicta ſunt, perperam interpretantur et ad vitae actionumque peruerſitatem excuſandam audaciſſime trahunt, poſtremo ſcientia ſua elati ſimplicem illam et ſanctam diſciplinam; quam ex libris coeleſtibus ſacrorum miniſtri, promunt et proponunt, aſpernantur, nec ſibi, hominibus ſcilicet vafris et acutis, ſed plebi, ſcriptam eſſe pugnant. Teſtamur, ne quis haec temere dici putet, temporum noſtrorum hiſtoriam. Ecquid, obſecro, quantumque felicitati Germaniae noſtrae acceſſit, poſtquam viri magno et excellenti ingenio praediti de rebus arduis et vulgi captum fugientibus ſermone

populi

populi philosophari coeperunt? Hoc vnum, si recte recordar, quod turba passim importunorum vtriusque sexus hominum obsidemur, qui quae minus distincte comprehenderunt, quia mentem a sensibus seuocare nesciunt, sublimioris doctrinae mysteria in conuentibus et circulis confuse proferunt, insanis disputationibus omnia turbant, scitisque denique et decretis male intellectis ad viuendi licentiam et religionum contemtionem impie abutuntur. Maneant ergo ista, quae populi praeteruehuntur intelligentiam, intra saepta ciuitatis eruditae, nec alio, quam eo sermonis genere, quo viri docti dudum inter se colloquuntur, exponantur. Quod philosophis, id mei quoque ordinis hominibus dictum volo. Non satis enim prudentiae monitis obtemperare mihi videntur, qui ante multitudinis oculos sine velo collocant, quae religionis antistites de sublimibus et reconditis fidei Christianae dogmatibus audacius interdum et subtilius, quam necesse est, disceptant. Fateor, si qui populum prauis opinionibus corrumpere, et in errores inducere studeant, confutationes istiusmodi monstrorum lingua, quam populus intelligit, accurate conscribendas esse. At si metus absit periculi, aut de rebus quaeratur, quas sine salutis iactura multitudo indocta ignorat, mentesque incultae et exiles difficulter capiunt, mea quidem opinione praestabilius est, controuersias sacras peregrini sermonis inuolucro tegere, quam in lucem publicam protrahere. Habent enim hoc plerumque eius generis certamina, si publicentur, vt plebem in factiones perniciosas distrahant, vt ab eo, quod vnum est necessarium,

ùm, imbecilles et contentiosos anocent, vt doctoribus inuidiam et obtrectationes pariant, vt improbis et religionis hostibus maledicendi et cauillandi materiam subiiciant. Haec tanta mala quis probus et sapiens non libenter, quantum fieri maxima potest, opera redimat? Adiicerem his alia, nisi tempus spatiumque breuitatem imperarent.

Hic si quis mihi Anglos et Francos obducat, populos in magna sapientiae et ingenii laude positos, quos de summis rebus tam sacris, quam philosophicis et ciuilibus lingua cunctis nota commentari solere constat, ante omnia commoda et emolumenta demonstrari mihi velim ex illa consuetudine nata. Si quae porro emolumenta eiusmodi, quod minime totum negem, ostendi possint, poscam, vt cum malis ex eodem fonte surgentibus ingenue comparentur, et vtra maiora sint, aequis animis expendantur. Ancipitem vides et perdifficilem disputationem, ex qua linguae latinae hostes victores esse discessuros, prope despero. Sunt certe in vtraque gente viri inclyti et eruditione maximi, qui hanc cum populo de grauissimis et subtilissimis rebus agendi libertatem fortiter accusant, et magnarum conuersionum, impietatis, bellorum intestinorum tam sacrorum, quam ciuilium infelicissimam matrem et fuisse olim et adhuc esse contendunt. In quo prorsus eos falli, nemo rerum inter Anglos et Francos gestarum peritus arbitrabitur.

Dixi de eo, quod salutare et vtile germaniae nostrae opinor esse: iam ad id venio, quod eidem

dem gloriosum et honorificum putari debet. Nullus hodie est, quod inuiti etiam fatentur inuidi et inimici nostri, Europae populus, cui Germania inuentorum vtilissimorum multitudine, ingeniorum fertilissimorum copia, scriptorum omnis generis doctissimorum prouentu cedat: multae sunt etiam gentes, quas his opibus longe superamus ac vincimus. Tantarum diuitiarum notitia et fructus, vt quam longissime diffundatur, ecquis neget non iustum tantum et aequum, verum etiam patriae nostrae honorificum esse? Hoc autem quomodo fiet, Europaeque magistra euadet Germania, si, qui nostrorum arte valent at ingenio, cogitata sua germanicis cuncta litteris perscribant, spreto illo, quem suum respublica erudita fecit, latinorum sermone. Frustra sane speramus, futurum esse aliquando, vt qui scientiis et artibus apud exteras gentes dediti sunt, linguae nostrae cognitionem omnes appetant, quo ex nostris libris proficere possint: alios ipsa rei difficultas, alios arrogantia, alios inertia, ne in hanc cogitationem veniant, impediet. Inhumani quoque simus et superbi, si viros doctos caeteris, quas, si docti velint esse, suscipere debent, molestiis, istam minime leuem, linguam nostram ediscendi, addere velimus. Eadem fere impedimenta occurrent, nostramque leuitatem nobis exprobrabunt, si forte alienigenas conuertendis in linguas suas libris nostris consulere sibi debere, putemus. Hoc illi euenturum esse, verisimile iudicent, quos omnis fugit rerum humanarum, temporumque nostrorum cognitio. Nihil ergo, nisi aut

inuidi, aut honoris nostri parum memores dici volumus, reliquum est, quam vt ea, quae scire omnium interest, communi gentis eruditae sermone explicemus.

Incidit hic aliud, quod, nisi egregie fallor, ostendit, ne in patria quidem sua diuturnam sibi laudem et famam, cuius, qui scribunt, cupidine plerumque trahuntur, polliceri sibi posse, qui latino sermoni renuntiant. Omnes, quae viuunt, et in ore hominum versuntur, linguae eodem incerto et volubili, quo ceterae res humanae, cursu feruntur, et alias ex aliis formas et habitus induunt, tempus, quod omnia, vocabula quoque, dicendi modos, formam orationis, ipsam, vt sic loquar, animam et medullam linguarum mutat. Inde fit, vt, qui castissimi, polititissimi, suauissimi scriptores aetate sua vocantur, magnam laudis huius partem paullo post fata, maiorem lustris aliquot, decem, viginti, triginta elapsis postremo saeculo, aut binis ad summum saeculis transactis totam amittant. Exempla omnes fere Europaeae linguae, nostra quoque, praebent, vt hoc tamquam notum, et ab omnibus concessum sumere mihi liceat. Alia longe ratio et fortuna est linguarum, quae in vsu esse desierunt, et linguae mortuae appellantur. His ipsa mors immortalitatem parit: facit nempe, vt, communi lege solutae, formam quam habent, constanter seruent, nec amplius mutationis aliquid subeant. Cuius rei hic fructus est minime contemnendus, vt pulchra semper, grata, luculenta maneant, incertamque et mobilem

lem rerum humanarum conditionem effugiant, quae illis ſemel ſcite et pulchre in litteras relata ſunt. Cogitent haec velim ſecum praeclari viri, qui germanos non, niſi germanice, ſcribere oportere exiſtimant, ſi quidem viuere inter mortales poſt hanc vitam et laborum ſuorum famam perennem reſtare cupiant. Quid erimus, nos, qui germanorum hodie diſertiſſimi et politiſſimi videmur, non dicam conſequentibus ſaeculis, ſed hoc ipſo, quod agimus, exeunte? Infima fortaſſis ſcriptorum faex, quibus mille notas delicata poſteritas, aliis dicendi legibus ſancitis, inuret. Id fatum non timent libri veteri Romanorum ſtilo de rebus bonis, ſaltem haud malis ornate conſcripti: hi remotiſſimis etiam nepotibus parentum ſuorum facundiam ingenium et doctrinam praedicabunt. Iacent in tabernis mole ineptarum chartarum oppreſſi, qui ante hos quinquaginta annos eloquentiae in germania principatum tenebant: atqui ante tria ſaecula primi Romani ſermonis decus inter Italos inſtaurarunt, longe licet a ſumma perfectione abſint. POGGIVS, PHILELPHVS, ARETINVS, VALLA, CAMPANVS, alii, tantum abeſt, vt ſeneſcant et ſpernantur, vt potius nouam exiſtimationem ab ipſo tempore ducant, et renouati in manus virorum doctorum tradantur, quibus nunquam moleſti et ingrati veniunt.

Sunt haec, quae monuimus et alia, quae conſulto praetermittimus, tam aperta, vt intelligentiam eorum fugere nequeant, qui his noſtris temporibus ad linguam patriam amandam et co-

lendam, iuuenes litteris dicatos tam ſtudioſe incitant. Quocirca plurimi eorum negant hoc ſibi propoſitum eſſe, vt latinam linguam plane proſcribant et germanicam in eius locum ſubſtituant. Feranus, aiunt, inueteratum illud Romani ſermonis in erudita ciuitate imperium, vt mala illa patienter ferimus, quibus fruſtra remedia quaeruntur: hoc vero quis aequo animo ferat, viros graues et ſapientes in captandis elegantiis latinis, in finiendis et determinandis nominum poteſtatibus et particularum viribus, in oratione ad ſuperbiſſimae gentis Grammaticae normam exigenda, in dinumerandis vocabulis puris et impuris, ſimilibusque nugis tantum ſtudii et otii conſumere? Satis ille latine doctus eſt, qui, quas animus effinxit imagines et ſententias qualicunque ratione exprimere, verbaque ſic inter ſeiungere valet, vt quid ſibi velit, lectores intelligant. Munditiem et incorruptam latini ſermonis integritatem qui tam cupide affectant, illi futilis diligentiae hoc plerumque referunt praemium, vt, quum germanice loquendum et ſcribendum eſt, balbutiant, et nihil concinnum et illuſtre proferre queant.

Haec illi non ſine quadam veri et honeſti ſpecie: quae tanto fallit facilius, quanto citius noſtram ſibi naturam conciliant, quae opere et laboris parte quadam nos levant. Sed accedamus paullo propius, et, num talia reuera ſint, qualia videntur eſſe, cognoſcamus. Principio quidem procul me ab illorum opinióne remotum eſſe profiteor, qui dignitatem et doctrinam hominis

nis ex latini ſermonis, qua pollet, facultate metiuntur, et pallent, ſudant, nauſeant, vbi egregios alioquin viros rerum magis, quam verborum, ſtudio duci, aut damnatis quibusdam vocabulis orationem diſtinguere vident: Non is ego ſum qui, quod ille non illepide apud comicum, inuitos canes venatum ducere et durae huius legis auctor eſſe velim: Nemini ſcribendi poteſtatem concedendam eſſe, niſi qui verba omnia et vniuerſam dictionem ad amuſſim Romanam conformare ſtudeat. Hoc autem quaeritur: Anne honori ſuo, vtilitatique publicae rectius conſulant, qui, pro ſuo quisque modo et conſilio, quae bene et ſapienter excogitarunt, munda, aequabili clara neruis ſuis adſtricta, tali, verbo, quali Romani veteres immortalitatem ſibi pararunt, oratione veſtiunt? Atque hoc vt puto, iisdem facile praeceptis et rationibus, quibus germanicae facundiae patroni aduerſarios ſuos obtundunt, effecere.

Dicite nobis, quaeſumus, viri doctiſſimi, quidnam id eſt, quod vos ſtimulat et impellit, vt de reſtituenda ſermoni patrio natiua ſua dignitate et pulchritudine, de nominibus et vocabulis peregrinis, obſoletis, ruſticis, de particularum vero vſu et poteſtate, de veteri multorum verborum pretio et originibus, de rite inſtruenda et componenda oratione haud aliter conſultetis, ac ſi patriae ſalus his quaeſtionibus criticis et grammaticis contineatur? Haec, inquiunt, ideo ſuſcipimus et fouemus conſilia, quia pura, maſcula, neruoſa et rotunda oratio incredibilem

 vim

vim habet ad persuadendum, ad animos flectendos et molliendos, ad durissima qaeuis pectora demulcenda, quia, quod verum ipsum non potest, triste natura sua et humanae indoli inuisum, id decens veri amictus et ornatus saepe efficit; qui astrenua illa, qua maxima pars mortalium delectatur, inertia scribentes monet, dulce vtili miscendum esse. Ipsum illud, si absolute spectetur, sermonis purgandi, limandi et ornandi studium exile est, nec magnorum et excellentium virorum personis dignum: idem vero, si ad finem suum referatur et cum eo copuletur, egregium est, nec postremo loco inter boni viri et humani generis amantis officia ponendum. Non exigua pars eorum, (nec enim, quod res est, difitendum ducimus,) quae inter nos magnis animorum motibus disputantur et contentiosius interdum, quam par est, disputantur, parum aut nihil habet dignitatis: litteras, apices, voculas saepe consectamur; at hoc nomine qui nos reprehendunt, illi ex his leuibus et contemtis interrogatiunculis dignitatem et splendorem orationis pendere quodammodo non perspiciunt. Si nihil aliud, hoc tamen nobis praestant istae minutae concertationes, ne maiora vitia et monstra in prouinciam nostram irrumpant, et in ipsa eloquentiae viscera penetrent.

Bene sese haec omnia habent, neque oppugnari honeste possunt, nisi ab illis, qui totam bene dicendi artem ludicram et vanam esse putant, quod tamen genus, hac tanta germaniae luce, inter homines vel mediocriter institutos et educatos nullos

nullos patronos invenit. Verum iisdem argumentis caussam suam defendunt, iisdem plane armis pugnant, ne nugas agere videntur stili Romani vindices et tutores. Quid igitur? Adeone aut vecors, aut iniquus quisquam erit, vt quod ipse caussae suae tuendae adhibitum, validum, certum, rationale statuit esse, idem in aliena, non simillima, sed eadem plane caussa infirmum, fragile, virtute vacuum iudicet? Aut igitur desinant, qui hodie Germanorum linguae excolendae, purgandae legibusque certis muniendae operam dant facere id, quod bonis omnibus et intelligentibus secundis faciunt, aut, Latino sermoni, qui eamdem praestant operam, praeposterae sedulitatis absoluant.

Sed attingamus id quoque paucis, ne quid praetermissum videatur, quod adiiciunt: Vix commode in vna sede Latinam Germanamque eloquentiam versari posse, alteram alteri natura veluti inimicam esse, altera qui valeant, alterius plerumque inopes esse solere: maius autem probrum esse, in solo patrio errare, qaam in Latio, turpius longe vitium. Patrii sermonis, quam peregrini facultate destitui: illam igitur quaerendam vnice, hanc missam faciendam esse. Demus hic, nec enim nostrum est, vel artificiose tegere, vel impudenter negare, quae omnium obuersantur oculis, demus igitur, haud paucos, copiosos, disertos, luculentos esse, dum ore romano loqui licet, eosdem infantissimos, sordidos, mutos, paene apparere, si stilus mutandus, eamdemque res germanicis verbis clare et accurate enunti-

anda ſit. Reliquum eſt, vt deliberemus, vtrum hoc a naturali quadam difficultate vtriusque linguae diuitias conſequendi veniat, an hominum ſocordiae et negligentiae adſcribendum ſit? Ego quidem arbitror, ſi, qui diuites verborum ſunt, quum latina poſcitur oratio, pauperes, quum Germanica opus eſt, tertiam induſtriae quam Romanis litteris tribuerunt, partem Germanicis dediſſent, futurum fuiſſe, vt parem dicendi et ſcribendi vim in vtramque lingua ſibi pararent. Cui quidem ſententiae tot patriae noſtrae lumina et ornamenta praeſidio ſunt, quos aeque promtos, facundos, diſertos, verborumque felices videmus eſſe, ſiue germanice expedienda ſint, quae mente voluunt, ſiue latine. Si qui tamen ſunt, quibus ingenium adeo anguſtum obtigit, vt vtriusque eloquentiae praecepta ſimul complecti et cuſtodire nequeant, illis ego humilis quidem, at forte non inſipiens, auctor ſim, vt, niſi muneris ratio repugnet, vnius in germanicae diſciplinam ſeſe tradant.

Haec quum ita ſint, laudem ſine controuerſia merentur ampliſſimam, qui ſe nobis, quibus *latine* ſcribendum eſt, duces et magiſtros praebent, ad naturalem orationis pulcritudinem et incorruptam ſanitatem aſſequendam, quaeque vel ipſi eius rei cauſſa obſeruarunt, vel ab aliis obſeruata legerunt, iuſto et concinno ordine digeſta et diſpoſita ſiſtunt. Longum eſt eorum agmen, qui aut dedita opera, aut aliud agendo, vtiliſſimo huic labori manum admouerunt. Omnes, ſi qua mihi eſt de rebus a profeſſione mea alienis iudicandi poteſtas, ſtudio, copia, facilitate vicit

vir

vir celeberrimus, ordinisque scholastici apud nos non mediocre decus Io. FRID. NOLTENIVS, felicissimus in ludo Scheningensi, cui pro Rectore praeest, fingendae iuuentutis artifex, mihi a multis annis officiis et amicitia iunctus: *Is in Lexico Latinae Linguae Antibarbaro*, quod nunc secundis curis magnifice locupletatum et emendatum, forma praeterea et habitu longe nitidiori emittit, quaecumque nescire nefas est hominem, cui dictionis barbaries magna scriptoris turpitudo videtur, partim ex diuturna veterum Romanorum scriptorum lectione, partim ex innumeris virorum latine doctissimorum commentariis hausta mirabili diligentia collegit et in classes suas accurate distribuit. Rationes instituti in praefatione ipse more suo, id est, diserte et eleganter exposuit: nec idcirco, vt a me minus apte et decore (nam a meae conditionis homine quis dilucidam, amoenam, et lepore quodam coloratam orationem exspectet?) commemorentur necesse est. Perspexerunt praestantiam et vtilitatem operis, rudis adhuc, quod ipse doctissimus parens eius, qua est ingenuitate, non dissimulat, et longius a perfectione distantis non germani modo, verum etiam incorrupti plane in hac caussa integerrimi iudices, Itali, quorum formis non ita pridem Venetiis iterum descriptum est. Quanto magis nunc latinae castitatis amicis probabitur, quum renatum quasi, et rerum optimarum infinita paene silua auctum, correctum, expolitum in lucem reuertitur? Ego quidem primus, quas mecum omnes eruditi debent, ingentes egregio viro gratias persoluo, quod incredibile molestia sua et immenso prope labore

veras fictasque latini sermonis pestes et maculas indicare et ad integrae castaeque orationis laudem contendentibus instructissimum armamentarium aperire voluit: iungent sese mihi non dubito, quotquot aequi sunt, et rerum istiusmodi gustum qualemcunque habent NOLETINVM que meum, carissimum mihi et Musis caput, ad omnem memoriam haud inuiti commendabunt. Dat. in Acad. Iulia d. XIV. Febr. A. O. R. CIↃIↃCCXLIV.



OBSER-

OBSERVATIO
HISTORICO-CRITICA
DE
EXISTIMATIONE
CELEBERRIMI PHILOSOPHI
APOLLONII TYANAEI.

DE EXISTIMATIONE CELEBERRIMI PHILOSOPHI APOLLONII TYANAEI DISSERTATIO. *

Argumentum.

Occaſio et vtilitas laboris. §. I. Magna Apollonii cum viueret exiſtimatio. Incertum tamen num pro Deo haberi voluerit? ipſe PHILOSTRATVS facit. §. II. Aliorum ſequiora de eo viuo adhuc iudicia ex PHILOSTRATO collecta. §. III. Ad fata poſt mortem *Apotheoſis* primo pertinent, quae minus certa iudicatur. §. IV. Argumentum pro ea ab imaginibus deſumtum diluitur. §. V. Nullum eius *templum Tyanae* fuiſſe et quod IOVIS ASBAMAEI erat, falſo APOLLONIO a PHILOSTRATO tributum eſſe docetur. §. VI. VII. Neque etiam *Epheſi* eum pro Deo fuiſſe cultum aduerſus HIEROCLEM et alios euincitur. §. VIII. Propagabatur fama eius tamen cum ab aliis, tum a vitae eius ſcriptoribus, DAMIDE, cuius hiſtoriae veritas funditus euertitur. §. IX. MAXIMO et MOERAGENE. §. X. Sed ita tamen ea creſcebat poſtea, vt potius decreſceret, et infamis redderetur. LVCIANI et APVLEII in eam rem teſtimonia. §. XI. Neque ipſe id diffitetur PHILOSTRATVS, qui incipiente ſaeculo III. famam ipſi reſtituere conabatur. §. XII. Quamquam licet quibusdam, et in his ALEX. SEVERO et CARA-

* Inſerta primum fuit haec commentatio Auctoris *Obſeruationibus ſacris et Hiſtorico-Criticis*, quae Amſtelaedami 1721. 8. editae ſunt, at quum rara admodum huius libri iam quidem in Germania ſit copia, gratiam viris eruditis rem facturum me eſſe ſperaui, ſi quae omnium vſui inſeruire debent, renouata editione publici iuris fieri iterum curarem. (M.)

obſcuriſſimum fuiſſe mortalium, omnibus pro nebulone habitum, famam, qua nunc eſt, diu poſt fata adeptum eſſe, contendunt. Alii e contrario nulli celebritate ſecundum, omnium populorum ſtudiis honeſtatum, Numinisque inſtar viuum mortuumque cultum, falſo ſibi perſuadent. Vtrique in hac diſquiſitione, ex quo mentem ſuam emendent, ſine dubio accepturi ſunt. Sed et alius, ſi quidem recte coniicio, fructus eius erit. Varia, dubiaque hominum de eo fuiſſe iudicia, et numquam conſtantem quamdam opinionem de eo obtinuiſſe, ex ea apparebit, vno eodemque tempore his impoſtor, illis Philoſophus, aliis malarum mentium ſodalis fuit creditus. Vnde quae de eo feruntur incerta, nullisque innixa praeſidiis eſſe, conſtat. Illi itaque, quibus Hiſtoriae viri huius auxilio ſacra noſtra adoriri placuit,[3] ſi ſapiunt, intelligent, quam prae-

[3] Scilicet iurati hi Chriſtiani nominis hoſtes quum IESV CHRISTI, Domini noſtri, ſanctitatem atque miracula in tam illuſtri luce poſita cernerent, vt negare ea pertinacius velle aeque ſtolidum ſit ac ſolem ipſum de caelo tollere, vulpina aſtutia rem Chriſtianam labefactandam ſibi eſſe cenſuerunt, cum leonina virtute nihil profecerint. Vt ſunt enim duo haec capita arx quaſi religionis chriſtianae, quae quod probe munita et firma eſt, vt eſt omnino, reliqua in ſaluo ſunt, ita hanc primum ſuffodiendam eſſe iidem cito intellexere. In bellum ſtrategema horum impietatis ducum! Sapiens, probus quin diuinus ſit Legislator veſter, o Chriſtiani! dicebant; ſanctior fuerit vita illius omnis, quam vt vllus in ea locus criminationi pateret: ſit ille conſentientibus bonis omnibus ſapientum honore et laudibus ſi quis alius, digniſſimus. At quid tum? Num igitur ſolus ille caelo diuino munere delapſus innocentiae et virtutis exemplum ceteris praebuit? Numquam certe parca aut deficiens in effingendis

praepostere et misere sibi, famaeque suae hoc pacto

gendis hominibus sapientiae laude conspicuis praepotens numinis benignitas fuit. Nec vlla vmquam aetas tam maligna erit, vt Platonis, Socratis, Pythagorae et his similia virtutis viua simulacra pia mente veneretur. Res a Christo, Deo vestro et amicis eius miraculose et praeclare gestas aeternis laudibus cantando ad caelum vsque tollitis. Sint magna illa et extraordinaria omnia. Neque enim vt fidem et excellentiam eorum impugnemus necesse est. Credimus et ipsi illa et demiramur fere omnes. At nolite, quaesumus iniquiores esse in reliquos, quos terrarum orbis vidit heroas, quum iustum vestris pretium statuere vultis. En et nostra familia signis eiusmodi et θαυματουργων imaginibus nobilitata est. Habuit, habuit omnis aetas suos Æsculapios, Vespasianos, Apollonios. Haec attrita vetustate arma illa sunt, quibus impudens Goliathi soboles ad nostram vsque memoriam abutitur. Terrent saepe nomina eorum eos, quicumque ex nostris minus in veterum scriptis versati sunt milites inexercitati. Quare praeclaram rem isti omnes facere censendi sunt, qui in veteres has fabulas studiose ac erudite inquirunt, et artificiosam fraudem publice spectandam praebent. Fecerunt id fere omnes, qui veritatem Religionis christianae ex instituto et solide demonstrarunt. Multus inprimis in hoc argumento est HAVTTEVILLAEVS in *Discursu historico et critico, de methodo praecipuorum auctorum, qui scripserunt pro et contra christianismum, a prima eius origine*, eiusdem tractatui, *Religio christiana probata per facta*, praefixa. p. 124. Miracula vero, quae de astrorum amicis falso tribuuntur, infucata et commentitia sua specie manus critica feliciter priuauit. Laudandi sunt ob praeclarum hoc factum IAQ. SERCES, in *Traité des Miracles* p. 276. Ven. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS in Dissert. de *Miraculis Vespasiani*, quae conspicitur in *Poëciles Tomo II. Libri III.* p. 427. s. Adde Reuerendiss. MOSHEMII Dissert. de *turbata per recentiores platonicos Ecclesia* §. XXVII. p. 155. in *Dissert. ad Hist. Eccles. pertin. Vol.* I. et CVDWORTHI *Systema Intellect. Cap.* IV. §. XV. p. 304. 307. *not.* 12. p. 310. (M.)

pacto seruiant. Lubrica enim et ex omni parte fluctuantia, aut quae non nisi plebis continentur sermonibus ad res omnis aeui auctoritate confirmatas euertendas accommodare, hoc est, diffluentes suspiciones cum immotis committere argumentis, nullius, nisi delirantis aut stolide ratione abutentis est. Multa ex iis, quae produco, testimoniis, iis fauent, qui Philosophum haud infimum fuisse censent, cui intempestiue et absurde laudantium, PHILOSTRATI inprimis, stultitia maculas tantum quasdam inusserit.[4] Alia pro eis faciunt qui in fraudum architectis et impostoribus iure optimo numerari sentiunt. Multa denique eorum caussam adiuuant, qui malarum artium et Magiae insimulant. Quamcumque ex his sententiam elegero, ita eam exornari, ita defendi posse intelligo, vt prae ea ceterae deformes appareant. Alius certe dixerit, quis qualisue, ater, an albus fuerit? Mihi omnibus sollicite ponderatis, collatisque pro quauis sententia argumentis, id vnum perspicuum esse fateor, talem, quem PHILOSTRATVS fingit, non fuisse. Multa circulatorum instar, praestigiis vulgus circumuenisse suadent. Sed et quaedam huic opinioni contrarium fere docent. Quo quod maius documentum esse potest, frustra laborare, qui ex eius Historia, aliquid firmi et certi eruere, eiusque beneficio, sacris nostris detrahere conatur? Alia quaedam emolumenta praetereo,[5] quae ex ipsa tractatione manifesta erunt.

[4] Hanc sententiam prostremus tuitus est Diuus OLEARIVS *Dissert. de Apollonio* p. XXXI. Philostrato praefixa.

[5] Discent e. c. hoc exemplo ii, qui veteres tractant, quam caute

erunt. Iam ipsum aggredior negotium, primoque qua viuus existimatione fuerit, expono.

§. II.

Si MOERAGENIS de vita eius narratio exstaret, quanti apud multos viuus fuisset habitus, curatius enarrari posset. Periit ea, quam ORIGENES suo tempore adhuc legit, eorum sine dubio, qui famae hominis consultum cupiebant, studio. Interiere et celeberrimi Epicuraei CELSI? *κατα μαγων* commentarii, quibus LVCIANO teste, fraudes

 et

caute in illis versandum sit, quam curate omnia sint excutienda, interque se conferenda, vt, quid verum falsumue sit menti clare pateat. Colligent sibi Historici et boni Logici exempla ex hac tractatione, quibus illustrari commodius poterunt praecepta de iis, quae veri vel mendacii speciem habent, aut minus. At ne quid diffiteamur, discent ex hac Dissertatione critica qui volent, velle autem omnes debebunt, cui bono sit ars critica, si hominem cordatum, sapientem veri commodique communis studiosum, amicum et cultorem nanciscatur. Hic scilicet non ignorat, boni ciuis esse, ad communem vniuersitatis vsum omnia referre, nec minutis et otiosis quaestiunculis committere, vt inutilius sutore membrum vasti illius corporis, quod hominum inter se societas est, homo litteris vocans iis, qui exsules videre optant eruditos, videatur. O terque quaterque beatum hominem illum sapientem, qui gloria Dei ac seruatoris O. M. nihil in omni vita et studii genere prius et antiquius habet. Huius enim in summum numen pietate atque in omne genus humanum studio efficietur, vt nec ipsi veteres fictorum numinum cultorum libri tam tetris tenebris circumfusi sint, vt non lucis aliquid ex illis in rem sacram et publicam eliciat boni critici sapientia. Nolo in vario et multiplici vsu artis criticae longior fieri post IO. CLERICVM *in Art. Crit. Part.* I. *praefat.* Sect. III. p. 8. ss. et PHILIPPI CAROLI *Dissertationem* de *Criticis*, p. 13. et seqq. conf. *Miscell. Lipsiensia, Tomo* VII. p. 285. ss. (M.)

et artificia eorum, qui ſe magos profitebantur, in quibus et hic habebatur ab eo APOLLONIVS ſtudioſe aperuerat.[1] Vnicus igitur nobis hodie PHILOSTRATVS reſtat, ex quo, quae ad vitam eius pertinent, haurienda ſunt. Huius vero fidei quantum tribuendum ſit, nulli, niſi qui ſcriptorem ipſum ignorant, ignorare poſſunt. Id vnice nugatori propoſitum eſt, vt omni ratione eiuratis diis proximum, omnibusque maiorem hominibus fuiſſe perſuadeat. Quem ſcopum vt conſequeretur, incredibili vrbium populorumque plauſu et admiratione exceptum fuiſſe, praeclariſſimaque floruiſſe fama, ſimul tueri coactus fuit. Maxima fabuloſiſſimi operis pars mihi tranſcribenda foret, ſi, quae hanc in rem narrat, exhibere vellem. E multis vnicum tantum mihi explicandum ſumam: num diuinis honoribus: viuus adhuc non inuitus quidem, celebratus fuerit? faciet hoc ad quaeſtionem eam, quam ſimul excutere animus eſt: *num pro Deo vmquam fuerit habitus?* Et ſimul quae de PHILOSTRATI inſcitia dixi, non minus confirmabit doctiſſimi viri ex PHILOSTRATO manifeſtum eſſe adfirmant, libenter eum, vt a quibusdam pro numine coleretur, permiſiſſe.[2] Recte quidem, ſi quaedam ſpectemus loca, ſi alia rurſus conſideremus, minus bene. Ego enim diligenter collatis, quae hac de re apud eum reperiuntur hominem a ſe ipſo aut ab APOLLONIO diſſidere ac ſtoliditatem ſuam aperte prodere intel-

[1] *Pſeudomanti* T. I. opp. p. 761. conf. *Origenes aduerſus Celſum* L. I. p. 53. et SPENCERI Not. p. 3. 4. *Verſionis Germ.* MOSHEM. quae Hamburgi ſumtibus Bohnii 1745 in quarta forma prodiit, *nota* 16. p. 670. (M.)

[2] Vid. TILLEMONT *Hiſtoire des Emper.* Livr. II. Part. II. p. 212.

tellexi. Quae ab eius capite calumniam hanc propulsare videntur, ex defensione praecipue coram DOMITIANO pronuntianda petuntur, quam PHILOSTRATVS *octauo libro* inseruit. Erat hoc in criminibus illis, quorum caussa in iudicium capitis adductus erat, quod se Deum appellari ab hominibus passus sit. τȣ χαριν, AVGVSTVS quaerit, οι ανθρωποι θεον σε ονομαζȣσιν.[3] *Cur Deum bomines vocant?* Respondet ille: οτι πας ανθρωπος αγαθος νομιζομενος θεȣ επονυμια τιμαται. *Quoniam vir omnis, qui bonus existimatur, Dei cognomine bonoratur.*[4] Parum adcommodata est haec ad interrogationem responsio. Nec enim Imperator id scire vult: Quare ipse APOLLONIVS se Deum vocet et vocari permittat. Quam quaestionem ea quae regerit soluunt. Caussam nosse cupiebat, ob quam homines eum ita salutarent. Quos quidem, si hoc vocabulo eum honestarunt, Pythagoricae disciplinae rationes ob oculos habuisse, prorsus incredibile et a plebis ingenio remotum est, vt obiectum crimen maximam partem remoueant, arrogantiaeque improbissimae maculam eluant. PHILOSTRATVS, dum hanc memorat responsionem, e Philosophorum Indorum doctrina eam profluxisse addit, quibuscum eum familiariter quondam versatum fuisse narrauerat. Certe sectatores PYTHAGORAE tam magnifice de se locutos esse extra controuersiam est, et SCHEFFERVS mul-

3 Lib. VIII. p. 325. ed. *Olearii* L. VIII. c. II. p. 376. edit. *Morell.*

4 TILLEMONTIVS l. c. cum dixisset: *Il ne trouvoit pas mesme mauvais qu'on le traitast de Dieu*, ad haec eius verba prouocat. Sed addere debuisset, quo sensu id permiserit.

multis testimoniis demonstrauit.[5] Quorum e numero cum Indi illi fuerint ipsi quae APOLLONIVS, nil mirum est iisdem vsos fuisse loquutionibus. Praeses eorum ab hoc interrogatus *τινας αυτους ηγοιντο, quales se ipsos putarent*, *Θεους* illico regerit.[6] Qua ratione Persas quoque magos suos Deos appellasse, ipse auctor est APOLLONIVS.[7] Quod si eo itaque, quo discipuli Pythagorae, sensu Dei nomine se appellari passus est, istam multis modis eneruatam esse accusationem liquet. Vberius sese ea, quam memoraui, Apologia purgat, suamque luculenter explicat sententiam, quae fere haec est: omnem sapientem Deum dici posse, quoniam, vt Deus mundum, sic is inordinatas mentis commotiones et appetitus gubernat et regit, et sicuti is bonitate sua commotus omnia condidit, sic et hic pluribus prodesse cupit.[8] Hanc enim obscurorum verborum summam esse arbitror. Eodem loco, nec se a quoquam cultum flagitasse diuinum, nec a quoquam recepisse diserte tuetur: *ουτε*, aut,[9] *δοξας περι εμαυτου τοιαυτας απεστειλα, ουτ᾽ ες λογια και χρησμων ωδας εξηλθον, οια των θεοκλυτουντων φορα ουδ᾽ οιδα πολιν ουδεμιαν, εν ῃ εδοξη ξυνιοντας Απολλωνιῳ θυειν. Neque talem de me opinionem disseminaui, neque vt oracula et vaticinia ederem circumiui, qualis solet fanaticorum esse*

[5] *De natura et constit. Philos. Italicae* c. VII. p. 41. f.

[6] Conf. PHILOSTRATVS Lib. III. c. XXIX. p. 119. ed. Lips.

[7] Lib. VIII. c. VII. §. 7. p. 336. 337. 338.

[8] Loc. cit. p. 336. ed. *Morelli* c. III. p. 390. 391.

[9] Lib. IV. c. X. p. 157. 189. ed. Morell. Optime OLEARIVS vertit quaestionem: *an non etiam Theophania ipsi sint celebraturi*. L. IV. c. XXXI. p. 171.

esse instinctus. Neque ciuitatem noui vllam vbi decretum fuerit, vt publice APOLLONIO *sacra fierent.* Paullo post, cum ad rem publicam nihil inde detrimenti redundaturum fuisse monuerat, si diuinis honoribus dignum populi reputassent, audacter adiungit: ἀλλ' οὐχι τοῦτο ᾤοντο. *Sed nihil tale de me existimarunt.* Ea sunt haec omnia, vt nec vnquam Diis connumeratum fuisse, nec, vt connumeraretur, eum postulasse, abunde demonstrare videantur. At PHILOSTRATVM si curatius introspiciamus, mox ea nobis succurrent, quae cum hac eius excusatione prorsus conciliari nequeunt. Fidem duo quae iam enotabo, loca facient. Corinthium quemdam ex Lacedaemoniorum legatis, quorum summum erga eum erat studium, quaesiuisse narrat: *an diuinos etiam honores viro decernere vellent?* Respondisse eos, νὴ τὼ σιὼ ἑτοῖμά γε. *Paratissimos se ad id officii genus esse;* APOLLONIVM vero ab hoc eos reuocasse proposito. Quam ob caussam vero? ὡς μὴ φθονοῖτο, *ne inuidia sibi eo pacto conciliaretur.* Illaudabilem profecto rationem! Qui commodum quoddam aut honorem propter inuidiae metum respuit, is hoc ipso, se libenter eo decorari velle, si maius illud malum, ab eo abesse posse declarat: Quod a se itaque alienum semper fuisse APOLLONIVS contendit, id ineptus eius laudator ei tribuere haud veretur. Singulare porro colloquium illud est, quod, cum iam Romae in custodia teneretur, cum tribuno quodam ab eo habitum fuisse, perhibet. Dicebat is, se non ignorare caussam, qua re in vincula coniectus esset APOLLONIVS accusari eum nimirum; quod ab hominibus diuinam reciperet venerationem. Hoc audito quaerit APOL-

LONIVS και τις ο προσκυνησας με? *Quis hunc mihi cultum exhibuit?* Εγω, respondet tribunus, εν Εφεσω, παις ετι ων, οποτε ημας ιασω της λοιμε. *Ego ipse cum adhuc puer essem Ephesi, quando nos a peste liberasti.* Quid ad haec noster? Non modo factum id esse fatetur, sed et recte factum defendit. Καλως ποιων αυτος γε συ και η σωθεισα Εφεσος πολις.[10] Praclaram vero concordiam! Quod nemini vmquam in mentem venisse cum se defenderet, contendit, id Ephesios et fecisse, et iure fecisse hic tuetur. Alter mendax erit aut APOLLONIVS aut PHILOSTRATVS. Apologiam illam si audimus purus est intentati criminis. Si hunc intolerabili, laborauit fastu et, vt se commodius purgaret, strenue mentitus est. Nobis quodnam ex his eligendum sit, nec vacat explorare, nec etiam licet. Habemus tamen nouum imprudentiae et stuporis PHILOSTRATI documentum. Quod ad nostram vero caussam, id tenemus quamuis et ipse Deum se salutari passus et a multis forte ita salutatus sit, nullo tamen vrbis cuiusdam aut populi decreto viuo templum aut statuam fuisse dedicatam.

§. III.

Inter tot ac tantas tamen quas immodice et stolide PHILOSTRATVS in eum congessit laudes, varia passim laesae a permultis eius existimationis vestigia deprehenduntur. Non id nunc, quod praeclare iam in HIEROCLIS confutatione EVSEBIVS monuit, vrgebo, omnem istum laborem ad famam viri deformandam et violandam potius, quam ad ex-

[10] Lib. VII. c. X. p. 346. *Morell.* L. VII. c. XXI. p. 301. ed. Lips.

ad extollendam valere. Facile id ii intelligunt, qui talia ei facta adscribi non ignorant, quae in nullum nisi praestigiatorem et nebulonem malis artibus imputum cadere possunt. Neque controuersiam nunc propius attingam quae inter ipsum et EVPHRATEM magni nominis Stoicum floruit, a PHILOSTRATO fusius explicatam. Quamquam vel ex ea perspicuum est, plurimorum conuiciis ac cauillationibus eum fuisse expositum plurima stoicus ille gratia et auctoritate ob castigatos mores et eloquentiam valebat:[1] qua, si EVSEBIO credimus,[2] diu post fata adhuc quasi superstes fuit. Sed is ipse editis in Apollonium libellis, quos PHILOSTRATVS memorat, grauiter et acerbe ipsi insultauerat, plurimorumque vitiorum et criminum publice postulauerat. Ex quo eos, qui huic tanto viro plurimum tribuebant, pessimam de illo opinionem imbibisse, manifestum est. Ego instituto, quod suscepi, satis me facturum arbitror, si ex iis aliqua locis, quibus insignia heroi suo peccata et delicta exprobata fuisse, aperte testatur, in medium adduxero. In *magiae* et *veneficorum* *suspicionem* multis eum venisse, passim declarat. Athenis qui sacris Eleusinus praeerat sacerdos[3]

1 Vid. PLINII epp. Lib. I. ep. X. aliosque.

2 *Libro adv. Hieroclem* p. 464. ed. Mor. c. XXIII. p. 455. Lipſ.

3 Lib. IV. c. VI. p. 174. Mor. c. XVIII. p. 155. Lipſ. Non dubium est, quin hic locus EVSEBII animo, obseruatus sit, cum a sacris Eleusiniis, eum reiectum fuisse scriberet, non solum, quod *Magus diceretur*, sed et quod NERONIS *laudes Romae decantasset*, et sodalibus, qui idem Imperatori officium praestarent, praemium solui iussisset. *Libro adv. Hieroclem* p. 461. Certe ex IV. PHILOSTRATI libro se haec habere testatur sed, aut alio vsus est PHILOSTRA-

APOLLONIVM mysteriis illis initiari posse negabat, quoniam incantatoris et Magicarum artium periti infamia laboraret. Eadem de caussa, qui HERCVLI TROPHONIO sacra faciebant, ab oraculi eius aditu eum arcebant, ne, quod aiebant, praestigiatoris illud accessu inquinaretur,[4] in Cretense vero Dicteae Matris templum cum intempesta venisset nocte sacrilegi et magi nomine in vincula a sacerdotibus coniectus est.[5] Adeo ne eorum quidem suspiciones et odia evitare potuit, qui Diis, quorum collapsas restaurare religiones summopere connitebatur, ministrabant. Eiusdem coram DOMITIANO criminis arguebatur, quod Apologia eius docet: Sed nec eius solum, verum etiam fastus et arrogantiae, auaritiae legumque contemtus, quod ex Imperatoris ad eum verbis manifesto colligitur;[6] multi quoque *parum caste* et pudice eum vixisse, libidinisque exsatiandae caussa apud Scythas toto anno commoratum esse, palam praedicabant. Alii ALEXANDRVM, sophistam, PELO-

PLA-

LOSTRATO, quod tamen nulla ratione credibile est, aut memoriae vitio lapsus est vir optimus. Non alia, cur a sacerdote repudiatus sit, adfertur caussa, quam Magiae suspicio. Deinceps, nondum, cum Athenis hac adficeretur iniuria, APOLLONIVS Romae fuerat; vrbem postea tamen vidit. Denique ipsimet NERONIS laudes haud decantauit, licet ei, qui cantauerat mercedem solui iusserit. Videatur *Philostratus* lib IV. Cap. 13. 199. emendandus hic TRISTANVS est, qui non modo hanc EVSEBII narrationem incautus sequitur, sed et errorem addit, dum *foeminam sacerdotem Apollonium mitiare noluisse tradit*, quem virum fuisse ex *Philostrato* et *Eusebio* constat. *Comment. Historiques* T. I. p. 207. voce *Neron*.

[4] Lib. VIII. c. VIII. p. 420. ed. Morell.

[5] Lib. VIII. c. XII. p. 429. ed. Morell.

[6] Lib. VII. c. XIV. p. 361. ed. Morell.

PLATOREM dictum, ex eius adulterio prognatum esse, adfirmabant. Ipsemet PHILOSTRATVS non diffitetur, quin inter praecipua eius ornamenta coëlocat, quod imperio DOMITIANI *insidias struxerit*, et NERVAM, aliosque, ad nouas res moliendas omni studio exhortatus sit. Quod tamen quantum ad laudes eius obscurandas valeat, quamque honesto et ingenuo homini indignum sit, nemo tam imperitus est, quin intelligat. Ex ipso itaque quamuis ineptissimo praecone eius constat, virum non integra atque incorrupta vsum fuisse fama, sed ab his illisque ingenii plerumque plebeii hominibus, laudatum, ab aliis vero grauissimorum criminum insimulatum fuisse.

§. IV.

Quando, et quo mortis genere obierit, incertissimum est. PHILOSTRATVS ipse, se hic nihil explorati scire, profitetur. Qua re iusto confidentiores habendi sunt, qui in tempore mortis eius constituendo elaborauerunt. In quibus omnium audacissimus opinator HVGO GROTIVS est, qui TRAIANI cum temporibus adhuc superfuisse, eique malorum Christi sectatoribus illatorum auctorem exstitisse, sibi persuadet.[1] Ita sentiendum viro maximo fuisse videtur, quo suis in IOHANNIS *visionem* commentationibus praesidium quoddam compararet. At si diuinare sine ratione sufficiet, quae non adfirmare ac defendi poterunt? Nos relictis omnibus eius generis disquisitionibus, vnice qua auctoritate et forma post fata inter mortales floruerit, exquirere conabimus.

Primo

[1] *Comment. ad Apoc.* XIII. Tom. II. opp. Theol. P. II. p. 1204.

Primo statim loco memorabilis hic nobis quaestio sese offert: *An in Deorum cooptatus numerum, templisque et sacrificiis ab vrbe quadam aut populo honoratus fuerit?* Nullum noui eruditissimorum virorum, qui non omnem extra controuersiam eam esse velit. HVGO GROTIVS ex VOPISCI et LACTANTII locis indubitatum putat, eum pro Deo fuisse habitum.[2] Quibus tamen testimoniis nihil effici, mox euidens erit. Ille AVRELIANVM Templum ei consecrare voluisse narrat. Hic quae de simulacro Ephesino habet ex HIEROCLIS fide refert. PETR. DAN. HVETIVS non modo hoc generatim, sed et speciatim ab HIEROCLE, de quo in sequentibus dicendi locos erit, factum esse perhibet.[3] Doctissimus TRISTANVS PHILOSTRATI praesertim auctoritatem in hac caussa adhibet, et praeterea IVLIANVM denuo honores ei diuinos decreuisse, ex nummo quodam euincere studet.[4] Qua de re inferius curate commentabimur. Diligentissimus TILLEMONTIVS, qui eius alioqui partibus minime fauet, non tamen dubitat, cultum eius ad quarti vsque saeculi initium perdurasse, quin Argumentum ex eo pro seruatoris praestantia ducit, cuius memoriam nulla aetas exstinguere potuerit.[5] Sed hac minime contentus est professione ingeniosis-

[2] *Comment. ad Apoc.* XIII, 14. T. II. opp. Theol. p. 1204

[3] *Demonstratione Euangelica*, p. 1064. ed. *Lipf.*

[4] *Comment. Historiques* voce Iulian. II. T. III. p. 726. f.

[5] *Histoire des empereurs* T. II. P. I. p. 215. ed. Brux. Cependant cette pretendue divinité par la terre et par l'enfer, a eu si peu de cours, que dès le commencement du quatrieme siecle, qui que ce fust ne l'honoroit comme Dieu.

niosissimus BAYLIVS,[6] qui, quidquid cum LACTANTIO dicat TILLEMONTIVS, diutius adhuc Tyanenses, aliosque in eius veneratione perstitisse disputat. Taceo alios, qui cum his, quos nominaui amice in eum conspirant, dubitari non posse, quin Deus publice APOLLONIVS salutatus fuerit. Ego vero licet nullius eorum ingenio aliquid derogatum cupiam, hanc tamen de diuinis viri huius honoribus opinionem dudum mihi suspectam fuisse, diffiteri nolo. Miror etiam, homines magna ingenii felicitate praeditos, tam facile in nugatorum verba adigi potuisse. Nec quid contra disputari posset exquisiuisse. Age videamus, quo de toto melius constet negotio, quibus magnifica haec de eo opinio innitatur, quibusque eam labefactari posse putemus. Perspicue et candide omnia explicare conabimur, neque aliquid, quod pro confirmanda ea dici potest, praeteribimus. Non vero de eo quaeritur: annon priuatus aliquis, aut multi etiam, male sana quadam erga eum superstitione fuerint, sed an *vrbis* cuiusdam aut *populi decreto* in Diis habitus, ac templis ceremoniisque cultus fuerit?

§. V.

Ante omnia igitur ea statim seponamus, quae aut imperatoribus quibusdam, vt priuatis aut aliis hic illic in deliciis et honore hominem fuisse, docere

[6] *Diction. Histor. Crit.* T. I. voce *Apollonius not.* F. p. m. 311. *Avec tout le Respect du à ce pere* (Lactance, ad quem Tillemontius provocaverat) *de l'eglise je ne saurois me persuader, que ce de Tyane eussent discontinué leurs venerations, ou qu'on eut ôté des tous les temples des images d'* Apollonius.

docere videntur. Hierocles *olim a quibusdam eum adoratum fuisse*, perhibet.[1] Quam vere, nunc non disputo: licet verisimile admodum sit, eum, vt alia omnia, ex PHILOSTRATI hoc hausisse fabulis. Iis tantum, quibus APOLLONII placet ἀποθέωσις, testimonium hoc quamuis credatur verissimum, minime subuenire posse moneo. Nullum etenim ad publicum cultum ius ex vesana quorundam opinione, einasci potuit. VOPISCVM templum Aurelianum ei dedicare voluisse, auctor est. Quo de consilio, eiusque caussis mox dispiciendum erit. LAMPRIDIVS SEVERVM imaginem eius in Larario coluisse narrat. DIO CASSIVS magnifico eum monumento a CARACALLA honestatum esse, testatur. Haec omnia tamen, cum ab Imperatorum veluti priuatorum studiis tantum profecta sint, nec ad similem venerationem subiectos obligauerint, quod res ipsa docet, nullum in hac disceptatione locum sortientur. His igitur se iunctis ad duo omne negotium capita commodissime reduci posse arbitror. De iis *primo* argumentis circumspiciendum erit, quae *generatim* diuina ipsi iura tributa esse, certa quadam vrbe aut gente non indicata, probent. *Deinde*, cum Tyana *speciatim* et Ephesus, quarum illam patriam habuit, hanc peste liberasse fertur, stultitiae huius arguantur, num hae vrbes reae illius sint, inuestigabitur. TRISTANI sententiam, quae specuIiaris ipsi est, de IVLIANI erga eum studio, cum ad eius tempora ventum erit, separatim excutiemus. Prioris generis rationem quantopere quaesiuerim, vnam tantum reperi, quae ab

[1] Apud LACTANTIVM. *diuin. Instit. Lib.* V. C. III. p. 542. 543. ed. *Walchii.*

ab imaginibus eius in templis collocatis ducta est. PHILOSTRATVS quidem Romanos Imperatores iisdem, quibus se ipsos, honoribus dignum eum iudicasse, in fine operis prodit. Sed hic locus cum nihil huc facit, tum vbi de Tyana commentabitur, attingitur. Quare praeter *imagines* eius *in templis* conspectas nihil hic considerandum est. Fuisse effigiem eius memoriae caussa a permultis conseruatam, et in delubris constitutam, equidem haud negauerim. PHILOSTRATVS in Tyanensi templo quandam, austera grauitate conspicuam, exstitisse narrat.[2] Idem factorum vitaeque eius memoriam suo adhuc tempore apud fanorum sacerdotes viguisse, refert.[3] FL. VOPISCVS diserte ab AVRELIANO *multis in templis imaginem eius visam fuisse* testatur.[4] Et quidni sacrorum ministri, quorum commodis collapsos Deorum cultus instaurando praeclare prospexerat, tantum eius honori tribuissent? In Museis inter maximi nominis viros effigiei eius non vltimum fuisse locum concessum, cum alia, tum illustris SYNESII locus, quem inferius producam ostendit.[5] In hunc vsque diem ab hominum ea oculis non remota est. Ex ingenti numo contorniato, ut eruditi vocare solent, FVLVIVS VRSINVS eam aere exprimi curauit.[6] Repetiit eamdem ex aereo reginae CHRISTINAE numismate IAC. GRONOVIVS.[7] Alia pratermitto, quibus, vix dubi-

2 *Lib.* VIII. c. XXIX. p. 369. *Lips.*
3 L. l. c. II. p. 4.
4 *Vita Aureliani*, c. 24. *Histor. Aug.* T. II. p. 475.
5 *Encomio caluitiei*, p. 68. *Opp.* ed. *Petauii* 1640. fol.
6 Imagin. viror. illustr. Tab. XXIV.
7 *Thesauro Antiqq. Graec.* Tom. III. *Tab.* LXXII.

dubitari posse, quin in fanis et delubris Deorum imago eius appensa fuerit, efficitur. Sed vero, an ex eo *diuinis eam honoribus celebratam* fuisse, certum sit, difficilior quaestio est. Ego quidem hoc tantum inde constare arbitror, quosdam, qui beneficia ei debebant, nomen eius exstingui noluisse. Nec enim PHILOSTRATVM, nec HIEROCLEM, nec alium quemquam ex eius admiratoribus honorem hunc, imagini eius habitum, vt diuinum interpretatos esse video. Quos si iure quodam fieri potuisset, ii profecto principes fecissent, quibus nihil erat antiquius, quam vt mortalium numero hominem eximerent. At curatius illi mores et instituta populorum nouerat, curatius aliis sacrorum ritus perspectos esse non ignorabant, quam vt eiusmodi aliquid tentare auderent. Varius scilicet templorum inter gentes ornatus erat. [8] Nec omnia, quae in eis conspiciebantur, Deorum referebant mysteria aut religionem singularem postulabant. Quidquid sese ab elegantia et artificio commendabat, qualecumque demum esset, in ea recipiebatur. Interiores aedis Mineruae, quae Syracusis erat, parietes vestiti erant tabulis, in quibus pugna equestris Agathoclis egregie picta cernebatur. [9] Gracchus, fuso Hannonis excercitu celebrati post praelium a militibus conuiuii simulacrum, in aede libertatis pingi iubebat. [10] Neque huic neque illi picturae a religione aut sacris pretium erat. Eadem imaginum in templis collocatarum erat ratio.

[8] Vid. I. RYCQVIVS de *Capitolio* p. 363. f.
[9] CICERO L. IV. *in Verrem* c. LV. p. 135. 136. T. II. Opp.
[10] LIVIVS *Histor.* L. XXIV. c. XVI. p. m. 526.

tio. Hae ornamenti caussa aliae in memoriam aderant, nec propterea tamen publico religionum officio colebantur. SERVIVM eleganter obseruasse recordor,[11] simulacrum Numinis, cui templum dedicatum, in medio fuisse positum, at circa illud varia signa aenea marmorea, tabulasque pictas, non religionis, sed ornamenti caussa collocare moris fuisse. Quae cum ita sint, quid imagines APOLLONII in templis ad diuinos eius honores adstruendum valebunt? Nihil enim quidem, vt opinor. Bene de patria meritorum statuas in Deorum cellulis fuisse collocatas, ab eruditis adnotatum est. Quis idcirco sacro solemnique officio eas fuisse cultas, sibi persuaserit? Crotoniatae, cum Iunonis templum, quod religiosissime colebant, egregiis locupletare vellent picturis, HERACLEOTEM ZEVXIN advocarunt, qui Helenae inter alia simulacro praestantissimo illud exornauit.[12] Num propterea Helenam in Dearum fuisse numerum relatam statuendum erit? Igitur concedo, multis in templis, iis praesertim, quorum, desperatis rebus opem tulerat, *imaginem* APOLLONII fuisse conseruatam. Quemadmodum vero ex eo pro Deo eum fuisse habitum dici queat, non capio. Sed pertinet ad hoc argumentum ab imaginibus ductum locus quidam auctoris eius, cuius *Quaestiones et Responsiones, ad orthodoxos* in IVSTINI *operibus* leguntur. Neglectus is fere a viris doctis est, qui de APOLLONIO commentati sunt. Mihi vero, ne quis aliquid me

11 Ad *Georg. Virgilii.*
12 Vid. CICERO de *inuentione* L. II. c. I. p. 59. T. I. Opp.

me ſtudioſe praeteriiſſe putet, et recitare et excutere eum haud graue erit. Statuam ille noſtro dedicatam fuiſſe innuit, quae oracula ediderit, ſuo tamen tempore iam abolitam. και τα μεν, ait, υπο τȣ Απολλωνιȣ γεγενοτα τελεσματα, επειδη κατα την επιϛημην γεγενηται των Φυσικων δυναμεων προς την σωματικην εργασιαν ανθρωπων ȣκ ανετρεΦεν ο κυριος. αυτον δε τον δαιμονα τον εν τω εκεινȣ αγαλματι ιδρυμενον, τον εν ταις μαντειαις απατησαντα τȣς ανθρωπȣς, ως Θεον σεβειν και τιμαν τα Απολλωνιον, εΦιμωσε, καταργησας αυτȣ τας μαντειας.[13] *Et Apollonii figuras teleſticas* (male vertit interpres: *effectus praeſtitos*) *quia naturalium virium ſcientia ad corporalem hominum vſum factae ſunt, Dominus non euertit: daemonis autem ipſius in illius ſtatua inſidentis, et homines oraculis edendis in errorem, vt* Apollonivm *ſicuti Deum honorarent, et colerent, inducentis, os obturauit, reſponſis eius abolitis.* Num hinc forte, qui pro diuinis noſtri honoribus pugnant, aliquid adiumenti accipient? Dubito ſtatua dedicata fertur Apollonio. Si vellem fidem viri reiicere poſſem. Diſputant de aetate eius viri docti at ſexti ſaeculi ſcriptorem eſſe minimum conſentiunt. Quantum vero hominum narratiunculis tribuendum eſt, qui diu poſt res, quas narrant, geſtas vixere, nec ex iis, qui de iisdem rebus antea expoſuere, aliquem conſentientem habent? Hanccine ſtatuam, ſi exſtitiſſet, Philostratvs ceterique eius laudatores neſciuiſſent? Athenagoras fatidicas Graeciae ſtatuas, quas ſuo tempore celebrari nouerat, commemorat, Neryllini, Peregrini, Alexan-

[13] *Quaeſt.* XXIV. p. m. 405. Opp. *Iuſtini.*

ALEXANDRI.[14] APOLLONII eius generis simulacrum, quod primo loco nominandum erat, plane nescit, scripsit is vero, quod supra demonstrauimus, A. CCLXXVII. At aliquo hominem loco hic frui patiar. Fuerit APOLLONIO statua erecta. Inclaruerit et ea praestigiis et responsis. Idcircone Deus publice declaratus fuit? Qui potest, credat, mihi vero adsensum cohibere, permittat. Multae erant huius generis in Graecia statuae, quibus vulgus praesagiensi morbosque sanandi vim inesse putabat. At num omnes illi, quorum referebant imagines, pro Diis publice habebantur? Id nemo, nisi litterarum expers, dixerit. Quapropter neque haec, si quidem vmquam exstitit, statua id a nobis impetrabit, vt ad Deos nostrum ascendere philosophum iubeamus?

§. VI.

At *Tyana* tamen ciui suo *templum excitauit*, omnique, qui Diis immortalibus deberi putabatur, cultu memoriam eius prosequuta est. Ita quidem diserte PHILOSTRATVS, cuius ab auctoritate eruditissimus quisque minime sibi recedendum duxit. Equidem doctissimos viros negligentiae haud accusabo, neque fidem temere nimis mendacissimo eos commodasse conquerar. Is in hac caussa testis videtur esse, cui minime omnium aliquid detrahendum sit. Orbem peragrauerat, templa visitauerat, sacerdotes consuluerat, commentarios eorum euoluerat. Hunccine, quid in herois sui patria gereretur, aut gestum quondam fuisset, praeomnibus non explorauisse, quis

14 *Legat. pro Christ.* §. XXIII. p. 107. ed. *Oxon.*

facile sibi persuadeat? Haec vero licet ita sese habeant, etiam hic tamen hominis deserenda esse vestigia euincere conabor. Praemittamus eius de *Tyanensi templo* testimonia, quae tria sunt. Primum hoc:[1] τεχθηναι δε εν λειμωνι λεγεται προς ω νυν ιερον εκπεποιηται. *Fertur autem in prato quodam natus esse, iuxta quod nunc fanum ei exstructum.* Succedat secundum:[2] εστι γαρ τις ωρα και περι ρυτισιν, η μαλιστα περι εκεινον ηνθησεν, ως εικονες τε δηλουσι του ανδρος εν τω Τυανα ιερω, και λογοι. *Nempe et in rugis quidam est decor, qui maxime in eo enitebat, quod et imagines viri demonstrant in templo Tyanensi, et litterarum monimenta.* Tertius hic est:[3] και ιερα Τυανα δε βασιλειοις εκπεποιημενα τελεσιν. ουδε γαρ βασιλεις απηξιουν αυτον ων αυτοι ηξιουντο. *At et ipsa sacra habetur Tyanensis vrbs, neque missis ab imperatoribus legatis obnoxia est. Neque enim Imperatores dedignati sunt iisdem honoribus virum honorare, quibus ipsi honorari sueuerunt.* Haec illa sunt loca, quibus eruditi viri innixi non dubitant, quin percelebre APOLLONII templum Tyanae fuerit. Antequam quaeramus num tanti ea ponderis sint, obseruationibus ea quibusdam illustrabimus. Vltimus hic ordine primus esto, quoniam manifesto laborat mendacio, et reliquos idcirco suspectos reddit. Tyanam eam ob caussam sacram fuisse habitam, nec missis ab Imperatore legatis obnoxiam fuisse tradit, quod tam admirabilem ciuem genuisset. Verum est, quod ait, vrbem istam ιεραν et αυτονομον fuisse. At num APOLLONII caussa

[1] *Lib.* I. c. V. p. 6. ed. *Lips.*
[2] *Lib.* VIII. c. XXIX. p. 369.
[3] *Lib.* VIII. c. XXIX. p. 371. 372.

ſa haec priuilegia adepta erat? Alias eōrum rationes eſſe potuiſſe, extra dubium eſt: fuiſſe vero ex eo luculenter conſtat, quod, antequam aliqua hic fama eſſet, eodem praerogatiua hanc vrbem fuiſſe vſam oſtendi queat. Mirus vero homo, totus officii et amoris erga APOLLONIVM plenus, quidquid bonorum ciuitati euenerat, ab hoc veluti vnico fonte manaſſe animo ſuo perſuaſerat. Igitur et hoc illi in acceptis ferendum eſſe non dubitabat. EVSEBIVS Philoſophum hunc nullum rerum a ſe geſtarum monumentum, nullum miraculorum editorum teſtimonium, poſt ſe reliquiſſe confidenter contendit. Famamque hinc et gloriam eius non tam late potuiſſe diffundi concludit: † η γαρ ουκ ατοπωτατον τεκτονων μεν και οικοδομων και μετα την των δημιουργων τελευτην επιμηκιστον τουργον διαρκειν, αθανατον που σχεδον των συστησαμενων την μνημην στηλιτευον. Θειαν δ᾽αρα φυσιν ανθρωποις επιλαμψασαν, σκοτιον που και μινυνταδιον αποτελειν, ουχι δε ες αιωνα την αρετην επιδικνυσθαι, μη ες ενα τινα Δαμιν, η και αλλους βραχεις πτωχευουσαν των ανθρωπων, αλλ᾽ες μυριων οσων ωφελειας, ου των καθ᾽ων εγνωριζετο μονον, αλλα και των μετα ταυτα γενησομενον, την παροδον ποιουμενη. *Annon quaeſo abſurdum maxima eſt, architectorum quidem opera et fabrorum, vel iis ipſis vita perfunctis in longinquum ſane tempus exſtare, vnde illorum nomen aeternitati mandetur: diuinam vero naturam inter homines ſplendeſcentem ita anguſti temporis interuallo obſcuram euanuiſſe, neque in ſaeculum virtutis ſuae monimenta teſtari: non Damidis quidem neſcio cuius, aliorumque breui dilaben-*

† Libro *ad* HIEROCLEM p. m. 440. *Mor.* c. VII. p. 435. *Lipſ.*

bentium hominum testimonia mendicantem, sed vtilitate ipsa in multa hominum millia, neque horum modo, a quibus dignosceretur, sed ad posteros pertinente longe lateque diffusam. Eiusmodi vero hominem, cuius facta cum ipsis decertabant tenebris, cuiusue nullum superabat monumentum, tanti ab imperatoribus fuisse habitum, vt patriam eius amplissimis exornarent beneficiis, cum incredibile est, tum ex consequentibus refellitur. Qui secundo positus est, locus, imagines quidem memorat APOLLONII in Tyanensi templo conspiciendas. At cur de templo in eius honorem dedicato id accipi debeat, nihil caussae est. Commode de alio Dei cuiusdam fano, in quod, vti diximus, philosophi receptum erat simulacrum, explicari potest. Quamquam si quis omnino de alio, quam ipsius, templo id nolit accipere, non repugnabo. Primus omnium est luculentissimus, ac in prato quodam, in quo natus erat, extra vrbem fanum ei fuisse conditum, aperte tradit Heroum, si huic fides, honores ipsi decreti sunt. Cum duplex enim delubrorum genus apud Graecos esset, Deorum proprie ita dictorum, et hominum inter eos receptorum, illa quidem in vrbibus magnifico apparatu exstruebantur, haec minus splendida agros et praeta plerumque occupabant. Homo itaque habebatur genere: Locum vero inter Deos beneficia in mortales collata post fata ipsi fecerant. Loca contemplati sumus ac nonnulla in ea obseruauimus: Iam cur illorum vacillare fidem existimemus, explicandum erit. VOPISCVS, dum apparitionem APOLLONII, quae AVRELIANO Tyanam obsidenti euenisse ferebatur, ortumque ex ea de templo illi

illi excitando consilium narrat, primum mihi scrupulum iniecit. Quod nimirum aliis maiorem eius fuisse gloriam persuadere posset, id, vt in minori eum versatum esse credam, me prope adduxit. Ipsum visum inferius examinabimus: Iam de euentu scriptoris verba audiamus: *Norat*, inquit,[5] *vultum Philosophi venerabilis* AVRELIANVS *atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus, et imaginem et statuas et templum ei promisit, atque in meliorem rediit mentem. Haec ego a grauibus Viris comperi, et in Vlpianae Bibliothecae libris relegi et pro Maiestate* APOLLONII *magis credidi.* Adiungo his, quod VOPISCVS ipse in superioribus eum *amicum verum Deorum*, *ipsum etiam pro Numine frequentandum* vocat. Fallor, aut haec nullum Tyanae, cum AVRELIANVS eam oppugnaret, APOLLONII templum exstitisse docent. Viderat in pluribus templis imaginem eius Imperator. Iam id concessimus, ac nullum ex eo diuinum cultum elici posse probauimus. Cur vero non in templo praecipue Tyanensi, prope quod siquidem exstabat, constitutus erat Augustus, eam conspectam quoque fuisse memorat? De aliis loquitur: quare quod primo loco nominandum erat omittit? Imaginem statuas, templum promittit. Probe. Igitur nullum Tyanae eius fanum tum fuit. Si quod floruisset, ingressus illud fuit, thureque ac supplicationibus iratum placare Numen studuisset, votiuis etiam more consueto tabulis illud exornasset. Ipsa durante obsidione id fieri poterat, quoniam, PHILOSTRATO teste,

[5] *In vita* AVRELIANI c. 74. T. II. *Histor. Aug.* p. 474. §. 75.

teste, extra vrbem constructum erat. Quod pollicetur tantum; id nullam animi reuerentiam declarandi occasionem adfuisse documento est. Egregia vero adfuisset, si vicinus eius fuisset delubro? Nihil de eo VOPISCVS, nihil ZOSIMVS, nihil ceteri, qui res eius gestas persecuti sunt, scriptores. Splendidum ab eo templum Soli consecratum esse et ZOSIMVS[6] et alii memoriae tradidere. De APOLLONII aut fano aut statua nihil proditum legitur. VOPISCVS cum incredibili APOLLONII amore flagraret, si quid eius generis aedificii molitus fuisset, numquam praetermisisset. Is vero tantum abest, vt hoc dicat, vt potius neque ab vrbe Tyana, quod vel solum eius silentium alioqui indicat, neque ab alia quadam ciuitate pro Deo eum fuisse habitum, diserte testetur. *Amicum* vocat *Deorum, venerabilem Philosophum, hominem denique pro Numine frequentandum,* id est, talem, qui, vt amplissimi ei honores decernerentur, dignus esset. Qui, quaeso te, cultus eius in patria florere potuit, si tum pro Numine nondum frequentatus erat? Statuendum igitur ex his esse manifestum est, *nullum* AVRELIANI temporibus APOLLONII templum TYANAE fuisse: nullum etiam qui sub DIOCLETIANO vixit VOPISCI aetate. Hoc vero si certum, cum PHILOSTRATVS scriberet, aliquod ibi visum fuisse, prorsus incredibile est. Saeculo tertio incipiente APOLLONII is concinnabat Historiam: de anno nullam hic mouebo litem. Oppugnatio Tyanae ab AVRELIANO suscepta in A. CCLXXII. cadit. Quam exiguum temporis interuallum, si, PHILOSTRATO scribente, nobile illic APOLLONII fanum

[6] *Histor. nouae* L. I. c. LXI. p. 99. ed. *Cellarii.*

num fuiſſet,' et illud ibi ſine dubio AVRELIANI tempore. Ne leuiſſima quidem cauſſa enim poterit reddi, quare id deſtructum interea aut euerſum fuerit. Rationes e contrario ſuppetunt, quae ſumma id induſtria ac cura conſeruari debuiſſe doceant. Iam vero, AVRELIANO vrbem cingente nullum adfuiſſe, euidens eſt. Qui rem bene putare ſolent, facile mecum in his conſenſuros eſſe arbitror. Quin argumenta illos quoque addituros eſſe praeuideo, quibus euidentius nullum, cum ab AVRELIANO obſiderentur, tale templum ab Tyanenſibus fuiſſe cultum pateat. Quae licet ego quoque perſpiciam, ſtudioſe tamen, cum cuiuis facile ſuccurrant, praetereo. Sed forte antequam aliquid in litteras PHILOSTRATVS referret, fanum quoddam exſtitit. Caue hanc ſuſpicionem aliquid rationis habere pictes. Quod ſi enim temporum diſtantia, quae a PHILOSTRATO ad AVRELIANVM decurrit, nullum cauſſae cuiusdam veſtigium oſtendere poteſt, ob quam illud deletum fuerit, multo minus anni a morte APOLLONII ad PHILOSTRATVM aliquod ſuppetitabunt. Quo recentior hominum, qui magni putantur, fama, eo florentior eſſe potius ſolet. Vetuſtas ſaepenumero quorumdam exſtinxit cultum et gloriam, in quae tempori, quod eorum fata conſequitur, nullum plane ius ac poteſtas erat.

§. VII.

Si quis tamen eſt, qui in hiſce nondum acquieſcere velit, eum iam, vt meus fiat, iis quae ſequentur facile cogam. Ad DIOCLETIANI nos tempora conferamus, ſub quo et VOPISCVS vixit

et HIEROCLES CHRISTI gloriam APOLLONII celebritate obſcurare voluit. Tum ſi nullum eius Tyanae fanum exſtitiſſe docuero, numquam ipſi ſacra ab eius vrbis ciuibus facta fuiſſe, planum ſimul fecero. HIEROCLES ipſe, admiratorum APOLLONII facile princeps, qui, vt alio loco demonſtrauimus.[1] Suos in Chriſtianos libellus A. CCCIII. in litteras retulit, hic, inquam, ſuo tempore diuinis honoribus Tyanae eum non fuiſſe adfectum, teſtis erit. Ipſe quidem diuinum eum faſtigium aſcendere noluit, ſed Deorum tantum amicum et Philoſopho quouis potiorem nominauit: *εἴπερ*, ait, *ἡμεῖς μὲν τὸν τοιαῦτα πεποιηκότα ἐ Θεὸν, ἀλλὰ Θεοῖς κεχαρισμένον ἄνδρα ἡγούμεθα.*[2] Quin vt apud LACTANTIVM eſt, et EVSEBIVM[3] ex eo potiſſimum Chriſtianis inuidiam creare ſtudebat, quod, cum mirabiliores Chriſti factis res eſſent APOLLONII, *gentes eis tamen ſtatim diuinitatis fidem non adiunxerint, cum ob exigua portenta illi* CHRISTVM *Deum crediderint.* Idem vero neque Tyanenſes hac ſe contaminaſſe dementia, nos edocebit. Commodum LACTANTII nobis conſeruauit induſtria, quae de diuinis herois ſui honoribus *ſcripſerat; ſtultum igitur eſt*, eloquentiſſimus vir ait, *id putare* APOLLONIVM *noluiſſe, quod optaret vtique ſi poſſet: quia nemo eſt, qui immortalitatem recuſet, maxime quum eum dicas et adoratum eſſe a quibusdam ſicut Deum, et ſimulacrum eius ſub Herculis Alexicaci nomine conſtitutum ab Epheſiis nunc etiam honorari.*

[1] Diſſ. de *figuris teleſticis Apollonii.*
[2] Ap. EVSEBIVM *libro adu. Hieroclem* p. m. 434. c. II. p. 430. ed. *Lipſ.*
[3] Vid. illum *diu. inſtit.* L. V. c. III. p. 543. hunc I. c. II. p. 430. ed. *Lipſ.*

rari. Concidit Tyanense templum, quocunque etiam modo haec verba consideremus. Proficiscuntur ab eo, cui neque voluntas, neque facultas Christianis nocendi, seruatorisque factis ex Apollonii gestis obscuritatem comparandi deerat, ab eo cui nihil magis, quam vt nostrum extolleret, cordi erat, ab imperatorum amico summaque auctoritate viro. Tantus hic, tantaque vir malitia, cum omnia, quae gloriam eius augerent, corraderet, eo, quo de cultu eius exponit, loco, nihil praeter haec duo, fuisse eum olim a quibusdam adoratum et Ephesi adhuc coli, tradere potuit. Quae de sacris ab Ephesiis ei factis dicit, mox sub examen diligentius vocabo. Quod dum fiet, viri simul apparebit studium remotissima quaeuis conquirendi, quo suum altiori gradu collocaret. Quo pacto iis occurretur, qui omissa forte quaedam ab eo, quamquam sine vlla caussa, suspicari possent. Hic eius tantum de Tyanensi templo silentium obseruari volo. Nemo melius, si quid eiusmodi exstitisset, Hierocle illud scire potuisset, viro amplissimis honoribus ornato. Nemo citius, quod exploratum habebat, eo aperuisset, homine vt in Christianos iniquissimo, sic Apollonio amicissimo. Is vero cum sileat, nihil sibi tale innotuisse testatur. Cum se eius notitia caruisse, docet, luculenter Tyanam templo illo caruisse, indicat. Colligamus paulisper dispersas demonstrationis vires. Diocletiani aeuo, quod ex Hierocle patet, vrbs Tyana in Diis Apollonium non habuit. Si habuisset, Hierocles, et qui cum eo in Christi saeuiebant discipulos, operam summo studio dedissent, ne cul-

tus

tus ille exſtingueretur. Quae vel ſola ratio totum perficit negotium. At ſi DIOCLETIANO regnante fanum eiusmodi Tyana neſciuit, tum, cum AVRELIANVS illi immineret, nullum etiam ibi conſpectum fuit. Ratio manifeſta eſt. Ne per ſomnium quidem cauſſa quicquam ſuccurret, quae vt eo interuallo iſtud diruerent, ciues commouere potuiſſet. Id potius intelligo, mala, quae tum maxime Chriſtianorum incumbebant ceruicibus, ac indelebile in eos odium, quemuis Deorum cultorem, vt de eo inſtaurando, ſi forte collapſum eſſet, ſerio ageret, incitare debuiſſe. Quod ſi vero cum AVRELIANVS Tyanam oppugnaret, nullum ibi templum APOLLONII exſtitit, eamdem ob cauſſam, quam dixi, PHILOSTRATI aetate ibi illud eſſe haud potuit. Num ante itaque, quam hic deliraret? Etiam hoc perfugium obſtruximus? Quid ergo reſtat? vt nullo tempore religioſo cultu ac templo Tyanenſes eum honoraſſe concludamus. Ea mihi haec videtur demonſtratio, qua in hoc praeſertim genere vix certior, aut firmior requiri poſſit. At qui tam ad impudentiam mendax PHILOSTRATVS? Noli quaeſo mirari. Ita ſolent, qui Rhetorum potius fucos, quam rerum veritatem quaerunt. Sed vt plane mirari deſinas, latentem erroris cauſſam iam eruere conabor. Celeberrimus ſaeculi IV. ſub IVLIANO et aliis Hiſtoricus AMM. MARCELLINVS viderat Tyanam, viderat etiam locum, in quo natus ferebatur APOLLONIVS. At nullius templi eo loco in honorem eius exſtructi ſcriptor alioqui diligentiſſimus meminit, neque etiam ante ſe aliquod ibi floruiſſe prodit. De Iouis vero Asbamaei templo in eo prato condito

vlti-

vltimae commemorat. *Apud Asbamaei quoque Iouis templum*, ait,[4] *in Cappadocia vbi amplissimus ille Philosophus* APOLLONIVS *traditur natus prope oppidum Tyanae stagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus sesque resorbens numquam extra margines intumescit.* Vide totius erroris fontem. Quod hic pari diligentia ac eruditione scriptor templum eiusmodi ignorauit, famae illud mendacis opus esse nouo documento est. Quod Iouis Asbamaei templum eo loco dedicatum fuisse perhibet, quid PHILOSTRATO fraudi fuerit docet. Ipse fontis huius mentionem facit, de quo AMMIANVS: ipse Ioui sacrum illud pratum fuisse non negat, cum APOLLONIVM, quod in lucum in eo editus esset, testetur.[5] Genitoris itaque, qui putabatur, templum male ad filium, quem ita vocabant, pertinere censuit. Stabat id eo loco, quo ortum fuisse APOLLONIVM constans fama ferebat. Is, cui dedicatum erat, huius credebatur parens. Imaginem denique Philosophi, quem ibi natum credebant, memoriae caussa in eo Tyanensium collocauerat superstitio. Quid mirum, ex Iouis templo APOLLONII fanum factum esse, ab eo praecipue, qui quadrata rotundis miscebat, vt huic immortalitatem compararet?

§. IIX.

Collapsum est Tyanense templum. Iam faces Ephesino, quod HERCVLI ALEXICACO et sub eius nomine APOLLONIO destinatum fuisse ferunt, submouebimus. HIEROCLEM apud LACTANTIVM dicere

4 Histor. L. XXIII. c. VI. p. 370. ed. *Vales.*
5 L. I. c. IV. p. 7. VI. p. 7. *Lips.*

dicere audiuimus: *Simulacrum eius sub Herculis Alexicaci nomine constitutum ab Ephesiis suo adhuc tempore honoratum esse.* Etiam in his nihil esse quod diuinos eius honores stabiliat, iam demonstrabimus. Quae LACTANTIVS olim respondit, frigidiora sunt. Rem ipsam concedit, at in ignominiam hominis conuertit, qui alieni nominis titulo diuinum olam surripere cultum, cum proprio non posset, ausus sit. *Non potuit ergo,* ait, *post mortem Deus credi, quia et hominem et Magum fuisse constabat: et ideo alieni nominis titulo adfectabat diuinitatem, quia suo nec poterat nec audebat.* Recte iam ingeniosissimus vir PETRVS BAYLIVS[6] plus in hac responsione subtilitatis, quam roboris esse animaduertit; neque eo modo diuinis APOLLONII honoribus, multum detrimenti allatum esse, vidit. Quamuis enim sub peregrino nomine adoratus fuerit, ciues tamen Ephesinos Herculis simulacrum dedicando APOLLONIVM eo ipso honorare voluisse, quippe qui pestem

[6] *Dictionaire Histor.* et *Critique*, voce *Apollonius* l. I. nota F. p. 311. *J'avoüe*, inquit, que Lactance *suppose, que personne n'honoroit Apollonius comme un Dieu, mais il ne s'inscrit en faux contre ce que l'Auteur qu'il refute avoit avancé, que l'on honoroit encore à Ephese un simulacre consacré à* Apollonius *sous le nom d'*Hercule: *il se contente de se prevaloir de ce que* Apollonius *n'étoit point honoré sous son vrai nom, mais sous un nom emprunté. . . Cela est plus subtil que solide. Car quand les Ephesiens consacrerent ce simulacre ils n'eurent intention que d'honorer* Apollonius *et ils ne se servirent du Titre d'*Hercules [illegible], *où* Alexiacus *que pour marquer qu'* Apollonius *delivra de la peste. Il n'eut apparemment nulle sorte d'Artifice dans tout cela.* Apollonius *ne chercha point à se couvrir d'un autre nom par aucune crainte que le sien ne jettât quelque scrupule dans les esprits.*

-estem depulerit. Neque etiam aliqua cum veri specie tectae cuidam huius arrogantiae id posse tri-bui, ac si inuidiae caussa latebras et alienum no-men quaesiuerit. Bene quidem hactenus. De-disset certe, si requisita fuisset, LACTANTIO pro-batio astutiam in hoc facto APOLLONII versatam fuisse, sed qui non absurde LACTANTIVM impugnat vir doctissimus ipse in humanae incuriae et negli-gentiae reprehensionem incurrit, dum ex his HIEROCLIS verbis certum esse censet, quarti adhuc seculi sub initium de diuinitate APOLLONII opi-nionem nondum desiisse, eique tum sacra adhuc esse facta.[7] Mihi quidem neque LACTANTIVS ipse, neque alii omnes HIEROCLEM recte hucus-que cepisse videntur.[8] Non is adfirmat, Ephe-sios religioso cultu nostrum honestasse. Sed id tantum vult cum Herculis illi vellent imaginem expri-

7 L. c. sic concludit: *Voilà donc un bon temoin produit par* Lactance, *touchant le culte qu'on rendoit éncore a notre* Apollonius *au commencement du IV. siecle.*

8 Male vir celeb. GODOFR. OLEARIVS et cum eo alii errores hic admissi LACTANTIVM accusant. *Singulare autem est*, ait ille *Not. ad Philostrat.* L. VIII. c. VII. p. 341. *quod* LACTANTIVS *habet, ipsius* APOLLONII *simulacrum esse, quod sub* HERCVLIS ALEXICACI *nomine constitutum ab Ephesiis honoretur. Quod commentum est* LACTANTII, *cui* PHILOSTRATVS *occasionem nisi negligentissime inspectus, dedisse non potest.* Conf. *Prolegom.* eiusd. ad EVSEBIVM *adv. Hieroclem* p. 413. Si quid reprehensione dignum, quod tamen haud existimo, hic occurrit, illud non in LACTANTIVM, sed in HIEROCLEM vnice conferendum est, cuius ille verba recitat. Idem vero Celeb. OLEARIVS *Prolegom.* ad EVSEB. p. 423. recte aliud ab eius capite delictum deuoluit, cuius a viro quodam non indocto postulatus erat. Errasse is putabat LACTANTIVM,

exprimere, quem pestem ab vrbe propulsasse putabant, hunc APOLLONIO honorem habuisse, vt ad eius vultum illam fingi curarent. Nihil melius cum ipsis verbis, nihil pulcrius cum temporum illorum moribus et rationibus congruit. Dii olim in numis et templis Imperatorum aut aliorum magnorum hominum facie vestiti cernebantur. Sic LIBANIVS Iouis aliorumque Deorum simulacra IVLIANI tempore ita caelata et fabricata fuisse testatur, vt Imperatoris huius vultum referrent.[9] Ad eumdem modum IRENAEI haec ego verba de SIMONIS MAGI sectatoribus interpretor.[10] *Imaginem quoque* SIMONIS *habent factam ad figuram Iouis et Helenae in figuram Mineruae et has adorant.* Homines illi a Deorum cultu non recesserant. Vt SIMONIS tamen simul memoriam conseruarent, Ioui eius faciem circumdabant, Mineruae vero Helenae scorti eius vultum tribuebant. Qui aliter intelligunt, ac tam stolidos homines fuisse illos existimant, vt SIMONEM suum IOVEM *optimum maximum* crediderint, nae quid sibi persuadeant, non satis considerant. Alia exempla, cum res inter viros eruditos explorata sit, emitto. Quare cum ob pestem pulsam singularem HERCVLI honorem exhibere vellent Ephesii, vna tamen APOLLONIO gratum animum declaraturi

TIVM, quod HERCVLEM ALEXICACVM pro *ἀποτρόπαιον*, vt PHILOSTRATVS vocat, substituerit. Eodem, quo prius, modo accusatio haec dilui potest, HIEROCLEM non LACTANTIVM hic teneri. Sed et bene sese habet OLEARII Defensio *ἀλεξικάκου* et *ἀποτροπαίου* nomina litteris tantum differre, prius etiam posteriore frequentius inueniri.

[9] *Orat. de Morte* IVLIANI p. 330.

[10] Lib. I. c. XX. p. 95. ed. *Grabii.*

raturi essent, cuius consiliis res gesta erat, huius vultum in exemplum artifici proposuerunt, ad quod HERCVLIS simulacrum fingeret. Num is igitur propterea Deus? Antiquorum rituum expers sit, necesse est, qui sic colligit. HERCVLES colebatur APOLLONII vestitus lineamentis. Ergo Deus ille fuit. Num IVLIANVS idcirco IVPITER aut Deus, quod simulacra Iovis vultum eius exhiberent? Igitur hoc sensu si HIEROCLIS accipiantur verba: omnis iam de Ephesino cultu opinio corruit. Si quis tamen foret, qui ita nollet intelligere, Ephesiosque APOLLONIVM ipsum HERCVLEM putasse, eique sacrificasse contenderet cum ipso APOLLONIO eiusue Praecone PHILOSTRATO, qua ratione transigat, viderit. Vterque enim erroris ipsum arguit. Hic quidem quamuis mortalium impudentissimus, Ephesios tamen APOLLONIO statuam decreuisse, scribere non ausus est, sed diserte, HERCVLI LIBERATORI hoc quidquid erat monumenti suscitatum fuisse, tradit.[11] Ille vero in *oratione ad* DOMITIANVM idem aperte testatur: *οτῳ δευξαμενος, δηλοι το ιερον, ο εν Εφεσῳ υπερ τουτου ιδρυσαμην, Ηρακλεους μεν αποτροπαιου εστι.*[12] *Cuius implorata* (id factam nempe sit) *ope declarat sacrum statua Ephesi huius rei gratia a me dedicata, quae* HERCVLIS *est auerrunci.* Quid apertius? His qui repugnat testibus, at antiquitatis moribus, ipsiusque rei non commouetur ratione, cum eo vltra congredi ineptum duco.

§. IX.

[11] Lib. IV. c. X. p. 148.
[12] *Lib.* VIII. c. VII. p. 340.

§. IX.

Igitur id iam euictum esse opinor, rerum non satis obseruasse naturam viros eruditissimos, qui huc vsque APOLLONIVM inter Deos immortales locum quondam tenuisse sibi persuaserunt. Quod licet ita sese habeat, praeclaram tamen et nobilem eius inter plurimos post fata fuisse memoriam, non tollit. Quid enim aliud magines, quas in templis fuisse visas negari nequit, ostendunt? Quid sacerdotum quos se inspexisse PHILOSTRATVS testatur, commentarii aliud docent? Quid denique qui res eius gestas memoriae mandarunt, aliud indicant? Horum speciatim beneficio illa, quam nactus erat, fama propagabatur. Quare diligenter hic quoque de iis agendum esse statim arbitror. De veteri enim illa Romana inscriptione, qua *prophetam* eum vocari, IO. SAVARO ait,[1] cum nihil compertum habeam, tacere satius erit. Tres praecipue sunt, quos *de vita eius* exposuisse accepimus, DAMIS Assyrius, MAXIMVS et MOERAGENES. PLVTARCHVM is, quem nominaui, SAVARO in vitae eius scriptoribus numerat.[2] Mihi vero non dubium est, quin vir doctus memoriae vitio in eo lapsus sit. Certe in nullo veterum de PLVTARCHO hoc me legisse memini. DAMIDIS illius commentarios, quem assiduum peregrinanti comitem adfuisse perhibet, qui praeter PHILOSTRATVM ex antiquis viderit, nemo vnus est. Ne HIEROCLEM quidem eos vsurpasse ex EVSEBII *aduersus eum libro* constat, quo ex PHILOSTRATO cuncta eum hausisse traditur. Quidquid itaque

[1] *Not.* ad. *Sidonii Apollinar. Epist.* L. VIII. ep. III. p. 463 ed. *Paris.* 1599. 4.

[2] L. c. p. 467.

itaque de iis fertur, id deploratae huius hominis fidei innititur. Haec vero sunt, quae de illis habet. DAMIDIS quemdam familiarem in lucem eos primum protraxisse, ac IVLIAE, Augustae obtulisse. Hanc, cum artis dicendi studiosa esset, sibi id laboris imperasse, vt qvae agresti et incondita oratione DAMIS prodiderat, expoliret et meliori ordine digereret. Fecisse se id opere quod de *vita Apollonii* hodie adhuc tenemus. Ex his statim intelligitur, cum ante SEVERI tempora volumen hoc nulli visum fuerit, nullam etiam APOLLONIO parere existimationem potuisse. Deinceps vero actum esse de omni eius auctoritate ex hac ipsa narratione constat. Quis DAMIDEM illud consignasse, auctor est? Obscurus quidam homo, cuius nomen aut nescit, aut tacet PHILOSTRATVS, qui DAMIDI tamen sese familiarem fuisse gloriabatur. Quis praeter hunc? Nullus plane. Nec erat qui testis esse posset, cum scriptio ista in obscuro antea latuisset. Praeclarum vero testem: Nihil possidet rationis, qui non statim monstri quid suspicaretur hominemque fortassis illum aut laudis aut pecuniae auidum, vt quamdam apud Augustam, librorum eius generis cupidam, gratiam iniret, totam fabulam confinxisse coniiceret. Sed quis rustico labori exornando praeficitur? PHILOSTRATVS, Rhetor, ex eorum nimirum ordine, quibus omnia fucata et simulata erant. Egregie sane! Satis in his esse caussae ad repudiandos hosce commentarios, nisi lepidissimis scaterent fabulis, arbitror. Quare nec iis me adiungam, qui ad fabulas, quas Romanenses vocant, eos ablegant. Quod de saeculi enim istius rationibus viri docti tradunt, quod in nugas eiusmodi pro-

penſiſſimum fuerit, non ſatis exploratum mihi videtur.[3] Neque etiam cum iis me facere profiteor, qui, vt CHRISTI ſectatoribus inuidia crearetur, ipſum PHILOSTRATVM omnem hancce fabulam ex ingenio ſuo confinxiſſe putant. Coniectura haec eſt, a qua alienior idcirco ſum, quoniam non adeo certis circumſepta eſt praeſidiis. Bre-

[3] Auctor inter alios libri anglici, egregii ceteroquin, ſaepiusque editi: *A ſhort and eaſie method with the Deiſts, wherein the certainty of the Chriſtian Religion is demonſtradet be infalible, proof from four Roules.* Lond. 1712. in 8. in praefatione p. IV. V. ſic: *Let me obſerve here, that this was an Age, wherein the Mileſiaca, or feign'd Romantick Stories were much in vogue; ſuch as Heliodorus his Ethiopicks, the amour of Clitophon and Leucippe, etc. And it is very probable, that Philoſtratus living, as he tells, at Court, wou'd Endeavour not to te out of the Faſhion.* Vellem luculentius vir doctus probaſſet, quod adfirmat; tertium et ſecundum a nato Seruatore ſaeculum eiusmodi quisquiliarum amore caluiſſe. Quod ATHENAGORAE ſuperbit nomine nihili opuſculum: *de vero amore*, cum ab aliis exploſum, tum a Celeb. Viro MAT. VEISS. LA CROZE editori eius, MARTINO FVMAEO GENILLIACO vindicatum eſt, in litteris ad Vener. WOLFIVM, *Fabricii Bibl. Graec.* Lib. V. P. II. C. VI. §. VI. p. 800. 812. Plures eius generis ſcriptiones, quas aetas illa protuliſſe feratur ignoro. Exempla, quae vir eruditus producit, ad alia pertinent tempora. Antiquiſſimum ex hoc ordine ſcriptum, ſi IAMBLICHI forte *Babylonica* excipias, HELIODORI, Triccenſis, *Aethiopica* eſſe, cum illuſtr. HVETIO *de orig. fabul. Roman.* p. 38. cenſent viri docti. Hunc vero HELIODORVM quinto floruiſſe ſaeculo, omnes ſciunt. Fuit HELIODORVS quidam, HADRIANI familiaris, philoſophus, cuius SPARTIANVS meminit in *vita Hadriani* Tom. I. Hiſt. Aug. p. 147. 159. Laudat HELIODORVM, Sophiſtam, aequalis eius PHILOSTRATVS *de vitis Sophiſt.* L. II. p. 625. At neuter horum Aethiopica compoſuit. Pariter amores *Clitophonis et Leucippes* ſerioris aeui notas continent.

Breuibus adhuc vero notari velim, ſic negotium hoc comparatum eſſe, vt fiere non poſſit, quin aut DAMIDEM plurima, quae non ſcripſerat, litteris mandaſſe PHILOSTRATVS mentitus ſit, aut ipſe DAMIS omnium, qui vmquam vixerunt, amentiſſimus ac mendaciſſimus habendus ſit. Multa nimirum ex eo refert PHILOSTRATVS de orientis, aliisque rebus, quae apud PLINIVM, CTESIAM, aliosque eorum ſimiles leguntur, et ab ipſa dudum experientia falſitatis conuicta ſunt. Aut PHILOSTRATVS ſuo ex adparatu lectionis haec depromſit, aut ipſe eorum ſcriptor et auctor DAMIS eſt. Quoduis eligas, tota libri cauſſa deſperata erit. Si prius, quod aliud PHILOSTRATO nomen, quam impoſtoris et fallaciis cooperti hominis, competere cenſes? Cui quidem adſentiri, nullius eſt, niſi qui mentem amiſerit. Quod ex alio mutuatus ſit, DAMIDI tribuere, manifeſtum alios decipiendi ſtudium indicat. Si poſterius, ex his tribus vnum ſimul eligendum erit, aut DAMIDEM itinerum APOLLONII ſocium minime fuiſſe, cui omnis tamen Hiſtoriae eius fides innixa eſt: aut oculis aut auribus caruiſſe, ſemperque ſomniantem, cum iter faceret, ambulaſſe, paucis, inſaniiſſe: aut denique ad ſummam impudentiam mentitum eſſe. Sed de his, ſi vixero et fata velint, vberius in *ad Philoſtratum Exercitationibus.* Quibus nihil ineptius, nihil turpius, nihil ab omni fide alienius eius Hiſtoria cogitari poſſe, cum indubitatis aliis rationibus, tum ex ipſa temporum computatione, planum facturus ſum.[4]

4. Manu adſcripſit haec Auctor: *Fabulam Philoſtrati Hiſtoriam eſſe vult* PRIDEAVX *Hiſt. des Juifs* T. II. p. 572. *Qui errorem eius de Babylone notat.* (M.)

§. X.

Quod tamen DAMIDIS negatum fuit labori, vt famam viri statim augeret, quoniam in obscuro latebat, id MAXIMI et MOERAGENIS Historiae praestiterunt. Ille quidem MAXIMVS, Aegiensis, quem Imperatori cuidam ab epistolis fuisse PHILOSTRATVS narrat,[1] dicta et ob facta ab eo, cum in Aesculapii templo Aegis versaretur, persequutus est.[2] PHILOSTRATVS labore eius vsus est, et ex eo, quae de rebus Aegis ab eo gestis tradit, depromsit.[3] Omnia in illis praeclara sunt ac mirabilia: omnia diuinam testantur indolem, omnia singulari Deorum, AESCVLAPII praesertim, gratia eum polluisse docent. Quocirca satis intelligitur, quid MAXIMVS de eo senserit, quoue simul ingenio et sapientia fuerit. Neque dubium est, plurimos, quibus alioqui superstitio et ineptiae pro religione erant, augustiorem de virtute et prudentia APOLLONII opinionem ex eo acquisiuisse. Diu ceterum hoc opus superfuisse et ab EVSEBIO adhuc lectum fuisse videtur. Quod mihi quidem haec eius verba verisimile fecere:[4] *ο δε Μαξιμος κομιδη βραχεα των κατα μερος αυτω πεπραγμενων ανεγραψατο.* MAXIMVS *autem paucis singularia quaedam facta eius descripsit.* Paucis eum scripsisse PHILOSTRATVS non prodidit. Quam ob rem ex ipsa eius lectione didicisse, id videtur EVSEBIVS. Contraria vero MOERAGENI fuisse certum est studia, qui quatuor libris de Historia nostri exposuerat. Quis aut qualis ille fuerit, num ille, quem in sodalibus

[1] L. I. c. XII. p. 14. vbi *Olearii* notas inspice.
[2] *Philostratus* L. I. c. III. p. 5. ed. *Lips.*
[3] Vid L. I. c. XII. p. 14.
[4] *Libro in Hieroclem* c. III. p. 430.

libus suis PLVTARCHVS laudat,[5] hodie non satis constat. At quis libri ipsius scopus, qualeue Argumentum fuerit, euidentius est. Legit illum etiam PHILOSTRATVS: at spernendum esse, cum scriptor multa perperam tradiderit, monet. ϐ γαρ, inquit?[6] Μοιραγενει τε προσεκτεον, βιβλια μεν ξυνθεντι ες Απολλωνιον τετταρα πολλα δε των περι τον ανδρα αγνοησαντι. MOERAGENIS *enim nulla habenda erat ratio, qui libros de* APOLLONIO *quatuor scripserat quidem, multa tamen eius viri gesta ignorauit.* Adsentior Celeberrimo OLEARIO, qui MOERAGENEM in eis non habendum esse, quod PHILOSTRATVS sequutus sit, postremaque verba quibus τα πολλα των Απολλωνιϐ αγνοησαι dicitur, non *de praetermissis*, sed de *male atque perperam traditis* accipienda esse, contendit.[7] Aperte quae praecedunt hunc sensum postulant. Et est luculentus ORIGENIS locus, qui egregie eum confirmat. Hic nempe cum CELSVM confutaret, MOERAGENIS librum omnium instar proponebat, ex quo insignes eorum, qui se *Magos* dicebant fraudes et praestigiae addisci possent. Accipe verba:[8] περι μαγιας φαμεν οτι ο βϐλομενος εξετασαι, ποτερον ποτε και φιλοσοφοι αλωτοι εισιν αυτη, ει μη, αναγνώτω τα γεγραμμενα Μοιραγενει των Απολλωνιϐ τϐ Τυανεως μαγϐ και φιλοσοφϐ απομνημονευματων, εν οις ο μη χριστιανος, αλλα φιλοσοφος, εφησεν αλωναι υπο της εν Απολλωνιω μαγειας ϐκ αγεννεις τινας φιλοσοφϐς, ως προς γοητα αυτον εισελθοντας. Εν οις, οιμαι, και περι: Ευφρατϐ πανυ διηγησατο,

[5] *Symposiacorum* Lib. IV. cap. V.
[6] L. c. III. p. 5. 6.
[7] Diss. de Apollonio p. XXXII.
[8] L. VI. *adu. Celsum* p. 4. 302. ed. *Spenceri.*

γησατο, και τινος Επικουρειου. *De magia hoc tantum dicimus, quicumque vult cognoscere vtrum et philosophi capi ab ea possint, annon, legat scripta Moeragenis, qui prodidit* Apollonii *Tyanensis Magi et Philosophi res memorabiles: vbi non Christianus, sed Philosophus, ait captos ab* Apollonii *magia non ignobiles Philosophos, cum tamquam ad praestigiatorem accessissent, et in his, opinor, etiam de famoso illo Euphrate narrat et quodam Epicuraeo.* Ea sunt haec verba, vt quid opere suo Moeragenes sibi proposuerit, euidenter ostendant, ac quo numero is Apollonivm habuerit, simul indicent. Praestigiatorem eum esse putabat et circulatorem quamquam ex versutissimis et callidissimis, qui ipsos etiam Philosophos non imperitos in errorem induxerit. Qua cum in eum voluntate fuerit, quis Philostratvm aures ei praebuisse censeat, aut quis, cur eius opus contemserit, nec Hierocles in scriptoribus de Apollonio apud Evsebivm illud posuerit, caussam requirat? Nempe quam Maximvs et alii magnificam de eo opinionem in animis hominum accenderant, hic penitus exstinguebat, ac apud turpissimos mortalium, quem illi diuinum clamabant, commorari iubebat. Dubia itaque statim post fata Apollonii erat fama. Vulgus aliique, quorum inueterata credulitas, maxime honoribus eius fauebant, ac Deorum immortalium credebant amicum. Prudentiores autem philosophi, in quibus Moeragenes, in deceptoribus ac nequitiae magistris, qui plebem circumueniunt, eum habere non dubitabant.

§. XI

§. XI.

Praeualebat posterior haec opinio et vires sensim sibi acquirebat. Illa, si nonnullorum, eorum tantum insidebat animis, quibus aut agreste erat ingenium, aut quorum memoriam eius non deleri intererat, quales Deorum erant sacrificuli. Dedisse aliquid honori eius HADRIANVM, Imperatorem, viros doctos existimare intelligo, sed vt, quamnam opinionis huius caussam habeant, non perspiciam. PHILOSTRATVS HADRIANVM *dogmata Pythagorae*, quae ex antro Trophonii noster retulerat, vna cum quibusdam eius epistolis, Antii, quo maritimo Italiae oppido mire delectabatur, collocasse et in palatio asseruasse coniicit. Coniicit, inquam: nihil enim nisi meram, quam forte conceperat suspicionem proponit. Quod eruditissimos viros non animaduertisse miror, qui id a PHILOSTRATO pro indubitato adfirmari, et propterea honore nescio quo ab HADRIANO eum decoratum esse, sibi persuaserunt. Dixerat scriptor, quem nominauimus, Antii incolas libellum illum, *dogmata Pythagorae* inscriptum, suo tempore adhuc custodire. Modum deinde adiungit, quo ille forsassis ad hanc vrbem perferri potuerit, sibi, ait, verisimile videri, HADRIANI id factum esse auxilio, cuius ibi palatium et Bibliotheca etiam fuerit. *περι δε του βιβλιου τουτου γνωμη αποπεφανθω μοι, διακομισθηναι μεν αυτο βασιλει Αδριανω υστερον, α τε δη και τινας των του Απολλωνιου επιστολων, ου γαρ δη πασας γε, καταμειναι δε ες τα βασιλεια τα εν τω Ανθιω, οις μαλιστα δη των περι την Ιταλιαν βασιλειων εχαιρεν. At de libello ipso quid sententiam exponam: nempe ad* ADRIANVM *postea delatum censeo, vna cum Apollonii epistolis aliquot, omnes*

enim ad eum non peruenere: relictumque in Palatio quod Antii erat, quo maxime omnium eorum, quae in Italia essent, ille Imperator delectabatur. Nihil pro certo venditat: suspicionem aperit, quae duobus innixa fundamentis est. Intulit hunc librum fortassis Antio HADRIANVS: nam saepissime ibi commorabatur, et curiosissimus rerum eiusmodi explorator erat. Quae diuinatio cum admodum sit lubrica, ipsam pariter rem longe incertissimam esse liquet. Quamquam quid tandem honoris consequutus esset APOLLONIVS, si librum hunc, eiusue epistolas sibi suaeque Bibliothecae Imperator adseruisset? Si quid omnino, parum certe. Hominum, quos fama aut infamia nobilitauit, scriptiones eodem studio a curiosioribus conquiruntur. Nec melior idcirco BRVNVS aut GODOFR. a VALLE, si eorum opera propter raritatem adcuratius inuestigentur. Exstat ceterum eruditissimi viri, FRANCISCI BLANCHINI, *Epistola de lapide Antiate, in qua agitur de villa Adriani in Antiati colonia sita, libro* APOLLONII *Tyanaei ibi dedicato et eiusdem affectis.*[1] Qua num aliquid de nostris hisce rationibus aduersetur, in medium adduxerit, ii dixerint, quibus eam videre contigit. Nos famam APOLLONII iam persequemur. Fieri non poterat, quin ea sensim decresceret ac oblitteraretur. Paucos admodum, secus ac reliqui Philosophorum, sectatores ac discipulos reliquerat: id quod ipse EVSEBIVS haud obscure exprobat: Postquam enim nulla eius monumenta exstare monuisset, ita pergit:[2] ταύτῃ τοίνυν τὰ τοὺς πολλοὺς σοφοὺς ζηλωτάς τε καὶ διαδόχους πεποιηκό-

τη

[1] *Romae* 1698. in 4.
[2] *Libro in Hieroclem* c. VII. p. 434.

της αρετης. αθανατον ως αληθως ανθρωποις παρεχημενης το κατορθωμα. *Atque ea ratione antiqui sapientes virtutis suae imitatores successoresque sibi parauerant; immortale generi emolumentum praebentes.* Quos vero reliquerat disciplinae suae conscios, ii erant, quorum opera magistri existimatio laedebatur potius, quam extollebatur, sceleratissimi nimirum post hominum memoriam impostores, et ad plebem quouis fallaciarum genere decipiendam aptissimi. Erat ex illis magister illius Alexandri, quem *Pseudomanti* suo LVCIANVS elegantissime perstrinxit. Ex quo quidem libello non mediocre detrimentum honores accepisse APOLLONII, nemo facile infitiabitur. Nebulo enim ille, cuius stupendis plane fraudibus laruam detrahit, eius fuerat hominis discipulus, qui ex APOLLONIO, cuius ciuis erat, sua hauserat. Qualis igitur APOLLONIVS haberi potuit, cuius sectatores cunctis sceleribus cooperti et mendatiorum pleni deprehendebantur? EVPHRATIS praeterea adhuc commentarii exstabant, quod ex SVIDA discitur, [3] quibus multorum eum flagitiorum suspectum reddere conatus erat. Qui tamen num ab accusatorio libello, quem aduersus APOLLONIVM DOMITIANO obtulit, quod mihi probabilius videtur, differant, aut ab eo non diuersi sint; quod OLEARIO visum, [4] iam non disputo. Igitur in vltimum discrimen APOLLONII adducebatur publica existimatio; illis quidem, qui ingenio ceteris superiores sibi videbantur; Epicuraeis aliisque turpissimum quaestus genus ac circulatorum infamia artificia, his, quorum ad vulgi opinionem ad-

3 Voce Σοφοκλης.
4 *Notis ad* PHILOSTRAT. p. 12.

adcommodatior erat ſapientia, Magiae crimen aperte ipſi obiicientibus. Vtriusque accuſationis teſtes exceptione maiores habeo, illius LVCIANVM, huius APVLEIVM, vtrosque ſaeculi ſecundi ſcriptores et quidem aequales fere. Digniſſima notatu prioris verba ſunt, quae iam deſcribo: *ο δε αυτος εκεινος δημοσια μεν δηθεν ιατρος ην, ηπιστατο δε κατα την Θωνος του Αιγυπτιου γυναικα, Φαρμακα πολλα μεν εσθλα μεμιγμενα, πολλα δε λυγρα. ων απαντων κληρονομος και διαδοχος* (Alexander nempe, de quo loquitur hoc libro) *αυτος εγενετο. ην δε ο διδασκαλος εκεινος και εραστης το γενος Τυανευς των Απολλωνιω τω Τυανει πανυ συγγενομενων και την πασαν αυτου τραγωδιαν ειδοτων.* *Atque is apud populum Medicinam profitebatur, et norat quemodmodum Tonis Aegyptii coniux pharmaca mixta ſalubria multa et noxia multa, quorum omnium haeres hic et ſucceſſor fuit. Porro doctor ille et amator, natione Tyanaeus erat, ex iis qui cum illo* APOLLONIO *Tyanaeo verſati erant, totamque illius tragoediam pernouerunt.* In diſcipulo, et diſcipuli intimo ipſum hic magiſtrum, APOLLONIVM, depictum vide. Ad impoſtorum, nebulonum, ſceleratorum ſubſellia omnes ablegantur. Vitam ſpeciatim noſtri *τραγωδιαν* vocat, cuius quidam eius aſſeclarum fuerint conſcii: ſed eam tamen ſimul eſſe innuit, cuius non tanta fuerint myſteria, vt ab oculatioribus ignorarentur. Addit hiſce enim: *ορας εξ οιας σοι διατριβης ανθρωπον λεγω; Vides quanam e ſchola hominem tibi refero.* Parum glorioſa, pro APOLLONIO! Sic de eius loquitur Schola, ac ſi doctioribus tamquam fraudum officina ſatis eſſet cognita, tamquam notiſſima omnium fuiſſet palaeſtra, cuius vulgus qui-

dem

dem arcana praeterierint, non alios, Epicuraeos imprimis et Christianos, quos ALEXANDER ille sacris suis interesse nolebat. Ii certe, qui in eam concessere sententiam, nequitiarum magistrum fuisse APOLLONIVM, abunde, quibus eum exornent, in LVCIANI libro reperient. Vix coruus enim coruo in multis similior, quam ALEXANDER Luciani APOLLONIO. Vterque maior Pythagora, minimum par illi praedicatur. Vterque AESCVLAPII fauore et singulari floret beneuolentia. Vterque prodigiis eo loco inclarescit, quo se palam conspiciendum salutare hocce numen praebebat. Vterque infinitis ab eodem laudibus cumulatur, ille vt vates, hic vt castissimus et maximus, qui vmquam vixissent, mortalium. Atqui alter praestigiatorum turpissimus: num melior ergo alter? Nobile par fratrum, cui prima inter fraudum artifices laurea optimo iure debetur. Sed hanc comparationem aliis perficiendam relinquo, qui hic non de ipsa rei veritate, sed de hominum opinione commentor. Magiae potius a multis ipsi intentatae testem APVLEIVM excito. Hic ipse Philosophus coram Cl. MAXIMO, Pro-Consule Africae, a SICINIO AEMILIANO criminis huius insimulatus erat. Defensionem itaque pro se parabat, quae omnium adhuc in manibus versatur. Ea vero APOLLONIVM in Magis illis, quos rumor potissimum celebrauerat, collocat. Digna eius sunt, quae audiamus, verba:[s] *Si vna caussa vel minima fuerit inuenta, cur ego debuerim Pudentillae nuptias ob aliquod meum commodum appetere. Si quamlibet modicum emolumentum probaueritis, ego ille sim, Carinondas vel Damigeron, vel is Moses, vel Ian-*

[s] APVLEII *Apologia*, p. m. 317. 318. ed. *Amstel.* 1624. 12.

Iannes,[6] *vel* Apollonivs, *vel ipse Dardanus*, *vel quicumque alius post Zoroastrem et Hostanem inter Magos celebratus est. Vide quaeso, Maxime, quem tumultum suscitarint, quoniam ego paucos Magorum nominatim percensui. Quid faciam tam rudibus, tam barbaris? Doceam Rufinum, haec et multo plura alia nomina in Bibliothecis publicis atque clarissimos scriptores me legisse.* Nemo locum, qui hic Apollonio adsignatur, homini inuidebit. In iis censetur magis, qui omnium celebrati sunt sermonibus. Nomen eius apud clarissimos scriptores in *Bibliothecis publicis* in Magorum ordine inueniri additur. Non diu porro post mortem eius haec pronuntiata sunt. Ante saeculi enim secundi medium hanc exaratam esse Apologiam ex temporum computatione et Proconsulatu Maximi constat. Ecquid igitur est, quod de mala eius fama clarius testari possit. Senserit ipse aliter

[6] Sic in meo codice optime legitur. Alii libri habent, vel *Hismoses*, vel *Ioannes*. Celeb. Olearivs *Dissert. de Apollonio* p. XXXIII. legendum esse monet: *vel hic Moses vel Ioannes*. Satis sese probat posterioris vocis emendatio. Quis enim quae de *Ianne*, vt Magorum principe, a multis prodita sunt ignorat? Consulantur tantum interpretes ad 2 Tim. III. 8. Venerat et eadem in mentem magnis viris Sam. Bocharto *Hierozoico* L. II. c. LIII. opp. T. I. p. 645. Henr. Hammondo *not. in* N. T. p. 419. ed. *nov.* aliisque. Sed prae *hic Moses* libri mei et Bocharti lectio mihi placet: *is Moses*, quae cum praecedentibus *sim ille Carinondas* bene conspirat. Quamquam an emendatione hic omnino opus sit dubito. Varia nomina Mosis inter gentes fuisse, eumque mox *Adamosen*, mox *Thetmosen*, appellari, obseruatum est. Quid si ex his appellationibus vna fuerit *Hismoses*? Ceterum vt meus liber, sic et Ivlianvs Floridvs in editione *Apuleii*, *Delphini* vsibus destinata, p. 544. legit.

ter APVLEIVS, ac, qua forte erat sapientia, nil nisi vulgare et humanum APOLLONIVM possedisse crediderit. Ex eo tamen, quod haec verba in iudicio loquitur, et tam confidenter decernit, facile intelligitur, non faecem solum mortalium, sed et paullo sapientiores malarum artium ei crimen obiecisse, rumoremque de magia eius in Africa publice receptum fuisse.

§. XII.

Sed quid Africam tantum dico? Vbiuis fere parum integra eum existimatione laborasse, ipsemet ineptissimus eius praeco, PHILOSTRATVS, non diffitetur. Qui, cum circa tertii saeculi initium scripserit, perspicuum simul testimonium exhibet, sinistram quae post fata eius statim coeperat, famam non exstinctam aut diminutam, sed auctam potius fuisse; sicque nullum sapientum secundo praeclare de eo sensisse. In ipso stolidissimi operis exordio statim viri rationes non satis hucusque perspectas fuisse, conqueritur. Non defuisse quidem, qui aliqua eum laude non indignum censuerint; neminem vero diuinae eius sapientiae idoneum satis cultorem exstitisse [1]: *ουπω οι ανθρωποι γινωσκουσιν απο της αληθινης σοφιας, ην φιλοσοφως τε και υγιως επησκησεν. Nondum nouerunt eum homines ex vera sapientia, quam caste, et vt Philosophum decet, excoluit: αλλ᾽ ο μεν το, ο δε επαινει του ανδρος. Sed alius quidem hac, alius vero alia ex parte hominem laudat.* Id, ni fallor, dicere vult, aliquos non plane nullam philosophiae cognitionem, aut virtutum decus in eo fuisse, existimasse, qui vero ante se humana sorte ma-

[1] Lib. I. c. II. p. 3. conf. CROVSAZ *cinq Sermons* p. 98. f.

maiorem dixerit, fuisse neminem. Sine dubio MAXIMVM, Aegiensem, excipit, qui, vt supra tam monuimus, PHILOSTRATO superstitione et mendaciis minime cedit. Nos vero, bone vir, multum ob haec verba tibi debemus, qui si quo loco, hic candidissimus es. Nullo absque negotio exigua et obscura floruisse fama APOLLONIVM ante Te concedimus. Tu vero videris, quemadmodum id cum tuis narrationibus concilies, et annon hoc pacto Tuae DAMIDISque tui fidei graue vulnus inflixeris? Nemo enim nostrum percipit, qua ratione is, qui cunctos superauerit sapientia et prodigiis, qui terrarum orbem miraculis illustrauerit, tam tenui et prope nulla in laude versari potuerit. Sed addit homo, alius in veticae eum sapientiae et artificiorum Magicorum inuidiam adducere: ο δε επειδη μαγοις Βαβυλωνιων και Ινδων Βραχμασι και τοις εν Αιγυπτω γυμνοις συνεγενετο μαγον ηγουντο αυτον και διαβαλλουσιν ως βιαιως σοφον κακως γινωσκοντες. *Imo et alii eo quod cum Babylonicorum magis et Indorum Brachmanibus et in Aegypto Gymnosophistis versatus fuerit, incantatorem eum fuisse arbitrantur et quasi magica vi sapientem calumniantur, male iudicantes.* Ipse quidem hanc inuidiam a capite eius amoliri studet: sed ita frigide ac supine, vt satis militem sine viribus fuisse appareat. Placet defensionem hanc curatius excutere, vt ex ipso operis limine quid de eo habendum sit perspiciatur. Ex necessitudine quae cum Persarum, Indorum et Aegyptiorum sapientibus ipsi intercesserat, quidam Magiae eum postulabant. Mirum statim tot stupenda facinora, quae DAMIS ab eo facta commemorat, accusationi materiam non praebuisse. Fortissimum ea, fortiu

cer

certe illo cum Indis commercio, argumentum suppeditare potuissent. Igitur quid hoc rei, quod familiaritatem cum sapientibus quibusdam suspectis tantum in testimonium adducunt? Aut grauiter erro, aut facta illa ignorabant. Quid de te, iam *optime Damis*, fiet, qui in ipso orbis terrarum theatro ea gesta esse narras? Audiamus iam responsionem Rhetoris nostri. Inficetum, ait, hoc accusationis genus esse. Empedoclem, Pythagoram, Democritvm familiarissime iisdem vsos fuisse sapientibus, nec tamen artis magicae inuidiam subiisse: Platonem quoque, cui magna fuerit, cum sacerdotibus Aegyptiis consuetudo, numquam criminis ipsius insimulatum fuisse. Eximiam vero defensionem cognoscite. Apollonivs non ideo Magus habendus est, quoniam cum Indis versatus est. Sapientum enim id hominum genus adiere, neque tamen veneficii existimati sunt conscii. Quasi vero de eo quaestio esset; an viri isti Magiae postulati fuerint: nec potius de eo: annon Magi fuerint, quod ante omnia Philostratvs euincere debuisset. De quibusdam enim eorum, quos nominat Pythagora praecipuae, sub iudice adhuc lis erat. At vero deinceps, quid Apollonio cum his sapientibus? Accesserint hi Indos et Aegyptios discendi caussa, vt ex variorum opinionibus iter sibi ad sapientiam pararent. Quod hos excusat, non purgat illum; quem omnibus istis longe praestantiorem, cunctarum linguarum, eius etiam, quae passerum est, peritum, germanum Deorum Aesculapii inprimis et Herculis, fratrem, virum, quem nulla vincula tenere, nec abditissimi mentium recessus fugere poterant, Philostratvs exhibet. Quam

is quaeso ob caussam tot subiit molestias, vt conspectu Indorum aliorumue frueretur? Didicisse eum plurima ex illis, arcana ope eorum percepisse, sententiasque eorum libris propagasse, nec Historicus eius, nec ipse APOLLONIVS Apologia ad Domitianum inficiatur. Iam Magi fuerint aut non fuerint Indi, reliquaque turba, perinde est. Quodcumque eligas, ingentem APOLLONII existimatio ruinam minatur. Si Magi, a qua sententia non nimis abhorret PHILOSTRATVS, [a] nulla maior vesania cogitari potest, quam Deorum amicum, cui partem nulla aetas viderat, iis nominibus socium dare, quos Diis inuisos esse semper erat creditum? Magos adiit: Magorum praecepta hausit eorumque disciplinae tradidit. Quid inde? Ergo nihilo ipse melior. Si non Magi, sed homines rerum naturalium cientissimi, mortualiumque sapientissimi, iterum iter ad eos dedecori erit APOLLONIO. Longe enim minor his fuerit necesse est, quorum caussa tot suscepit molestias, vt melior eruditione eorum redderetur. Qui ergo omnium post hominum memoriam sagacissimus et vere diuinus esse potuit? *Quid* futurorum praescientia, humanarum cogitationum, omniumque linguarum cognitione praestantius? Haec omnia vero, antequam ad Indos migraret, iam erant, si PHILOSTRATO fides, in APOLLONIO. Et tamen quod merito rideas et mireris, vir iste prodigiosus et ad stuporem vsque sapiens mox omnem istam diuinam scientiam, mirabili quadam commutatione, amisit, eiusue loco summam possidet ignorantiam sciscitatur puerorum more ex Indis: quaestiones proponit: opinioni-

[a] Vid. L. VIII. c. V. p. 325. coll. *Apologia* p. 336.

nionibus eorum animum addicit. Vnde, bone vir, tam subita rerum conuersio? Vnde tot in tanto viro ignorantiae et stupiditatis signa? Quid si vero Indos istos delirasse, ex ipso planum sit PHILOSTRATO? Ego quidem quoties homines istos differentes audio, aut siccorum deliria aut vinolentorum somnia mihi legere videor. Nec quemquam ratione praeditum fore puto, qui aliter sensurus sit. Tales vero si praeceptores, qualis discipulus APOLLONIVS existimandus erit? Sed audiamus PHILOSTRATVM ad alterum accusationis fundamentum respondentem. Dicebant accusatores, praesensisse quaedam ac antequam fierint sciuisse APOLLONIVM. Nihil ex eo sequi, defensor reponit. SOCRATEM etenim et ANAXAGORAM eodem iure magos appellandos esse, quorum ille nonnulla a Daemone suo edoctus fuerit, hic pluuiam et ruinam domus instare aliaque nonnulla, praesagiuerit. Haec vero si defensio valet, actum erit de omni stupenda ista APOLLONII sapientia. Qualis SOCRATES non imprudens interdum diuinator, et ANAXAGORAS, caussarum naturalium non ignarus, fuisse perhibetur. Quis hanc ei gloriam inuidebit, ex caussis naturalibus de pluuiae, venti, similiumque ortu eum aliquid praemonere potuisse? Diobolaris haec est sapientia, quae in nostros aratores cadit vsu de eiusmodi rebus edoctos. Sed et actum erit de omni PHILOSTRATI auctoritate et industria, qui nunc hominem omnibus numeris absolutum nobis fingit; vatem incredibili perspicacitate praeditum, qui passerculorum etiam sermones intellexerit: eo vero loco, quo infamiae abstergenda erat nota, vix exilis cuiusdam sapientiae vmbram, heroi suo

relinquit, ac ad eiusmodi exempla prouocat, quae aut prudentiam, aut rerum naturalium peritiam quamdam arguunt. Sed mittamus hominem, ac ad APOLLONIVM reuertamur. Eo cum res eius secundo saeculo statu locoque essent, nullum vere dubium est, quin mox penitus fuissent collapsurae, omneque eius nomen interiturum. Commode vero desperatis eius opibus subueniebat IVLIA, Septimii Seueri coniux. Nacta haec DAMIDIS, si fides homini, qui eos offerebat, commentarios, PHILOSTRATO, qui tum in eius versabatur aula, id dedit negotii, vt eos expoliret et ederet. Ac is strenue quidem hoc defungebatur munere, magnumque illud *de vita* APOLLONII opus conscribebat, putidisque exornatum mendaciis publici iuris faciebat.[3] Reuiuiscebat itaque, exstincta et prope iam et pessime habita APOLLONII fama. Fieri quidem *aliter haud* poterat, quin viri intelligentes stuporem fastidirent hominis, multique peius etiam de isto sentire inciperent. Recte etenim ab EVSEBIO alisque adnotatum est, plus ad inuidiam viro comparandam, quam ad laudem conciliandam *totum* hocce opus valere, quod cum aliis erroribus, tum

[3] GVIL. PHILANDER *Aduot.* in VITRVVIVM L. VIII. c. II. p. 315. esse quosdam animaduertit, qui sub *Philostrati* nomine *Lucianum* latere existiment. Propriam sine dubio sententiam dicit. In qua tamen nullam inesse verisimilitudinis speciem tum res ipsa declarat, tum doctissimi viri THOM. MALVENDA T. I. Lib. I. *de Antichristo* c. XVII. p. 34. (Vid. CRENII *Animaduers. Philol. et Histor.* P. XI. p. 227. 228.) et GERH. IO. VOSSIVS *de Historicis Graecis* L. II. c. XV. p. 232. 233., qui *Gilbert Cognatum* in eamdem propendere opinionem notat, ostenderunt.

tum manifeſtis laborat contradictionibus. Verum tamen, vt nihil tam inſulſum atque inſipidum, quod ad aliquorum tamen palatum non ſit, ſic etiam non deerant imbecilli iudicii homines, qui ex eo volumine ad maiorem de APOLLONIO opinionem fouendam excitarentur.

§. XIII.

Qui SEVERI in imperio ſucceſſor erat, M. AVREL. ANTON. CARACALLA paullo poſt heroum honoribus eum proſequebatur ſeu ἡρῷον, vt DIO CASSIVS vocat, ei excitabat. *Magis et praeſtigiatoribus*, verba eius ex verſione GVIL. XYLANDRI recito,[1] *ita delectabatur, vt Apollonium Cappadocem, qui floruerat* DOMITIANI *temporibus, laude et honore affecerit (hic praeſtigiator fuerat ſollers et Magus) eique monumentum faciendum curauerit.* Magnus dubitandi locus hic naſcitur, an vmquam vltra promiſſa Imperator progreſſus ſit ac vere aedem homini dedicauerit. Cui enim non mirum videatur, qui poſt hunc in coelum laudibus eum extulere, ſilentio penitus rem tantam praeteriiſſe? Et quaenam, quaeſo, cauſſa, quare illud deſtructum ſit monumentum, concipi poteſt? Quod ſi vero DIONIS auctoritatem valere iubeamus, nihilo minus tamen non exigui erroris reus eſſe videtur. Putat is, hoc monumentum ſummi CARACALLAE erga ſuperſtitioſas artes ſtudii ſignum fuiſſe. Ego vero admodum infirmam hancce rationem cenſeo longeque iudico probabilius, IVLIAE matris precibus victum Imperatorem eo proceſſiſſe dementiae. Quanta in APOLLONIVM voluntate foemina illa fuerit, quamdiu

[1] *Hiſtor. Lib.* LXXVII. p. 889. ed. *Francof.* 1692. in 8.

PHILOSTRATI permanebit opus, manifestum erit. CARACALLAM vero in plurimis ei obtemperasse, ipse DIO prodidit. Quid mirum ergo, impetrasse eam ab Augusto, vt, cui tantopere fauebat, Philosopho, singulares, eosque publicos honores decerneret? Qualescumque vero illi fuerint, non diu eos durasse, euidens est. Consequentium temporum scriptores ad vnum omnes tale monumentum nesciunt, nullumque eius cultum commemorant. Nihilo tamen minus eximia quaedam viri veneratio apud multos relinquebatur. Cuius quidem optimus alioqui Princeps ALEXANDER SEVERVS, quem A. C. CCXXIII, imperio admotum esse constat, illaudabile exemplum praebet. Is nimirum imagini eius in larario, quotidianis sacris destinato, inter summa sanctimonia viros locum faciebat. Audiamus AELII LAMPRIDII verba: [2] *Matutinis horis*, inquit, *in larario suo (in quo et diuos principes, sed optimos electos, et animas sanctiores in queis et* APOLLONIVM, *et quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham et Orpheum et eiusmodi ceteros*[3] *habebat ac maiorum effigies) rem diuinam faciebat.* Vnde haec reuerentia? Vnde honor iste? Ex PHILOSTRATI sine dubio chartis, cuius Historia non diu antequam hic imperium adipisceretur, exarata erat. Non tantum tamen hunc honorem fuisse, quem SEVERVS ei habebat, censeo, quantum doctissimi viri putant, qui in Diis numeratum eum est ab Imperatore, ex hoc loco testatum iudicant. Parem eum,

[2] *Vita Alexandri* c. XXIX. p. 328. ed. *Obrechti.*
[3] Alii libri habent: *huiusmodi Deos.* At, quam nos exhibemus, lectionem optimae notae codicis habent.

eum, insigni quodam animi stupore, seruatori nostro esse sentiebat, vt LAMPRIDIVS diserte docet. CHRISTVM vero idem alio loco, licet in larario esset, tamen inter Deos non receptum fuisse, testatur. CHRISTO, ait,[4] *templum facere voluit, eumque inter Deos recipere.* CHRISTVS igitur si Deus non habebatur, qui eiusdem credebatur notae, APOLLONIVS pariter isto honore caruit. Quod in larario effigies eius fuerit, rem minime conficit. Erant et in eo maiorum effigies, quos cum Diis eum composuisse, nullo modo credibile est. Sed honorabat tamen hominem, magni faciebat, diuinis animi dotibus instructum fuisse, existimabat. In quo quidem, vt fieri solet, plurimos principis imitatos fuisse exemplum, a veritate non alienum est. At qui diligentius cuncta ponderare consueuerant, neque rerum externa commouebantur specie, pristinam, quae de eo inualuerat opinionem non dimittebant. DIONEM CASSIVM iam produxi, qui, quid PHILOSTRATVS diceret, quidquid Imperatores agerent, ad vilem praestigiatorum turbam eum deprimit. Circa medium saeculi tertii suos *contra Celsum* libros ORIGENES consignabant: in quibus, quod in superioribus demonstrauimus,[5] MOERAGENIS auctoritatem sequitur ac inter Magos eum adsidere iubet. Plura nobis testimonia tempus eripuit: at non iudicandi, facultatem, cuius ope quam hi suam fecerunt, sententiam longe pluribus probatam fuisse, colligimus.

[4] C. XLIII. p. 342.
[5] §. X.

§. XIV.

Ad finem fere iam properabat annumque agebat CCLXXII. tertium a nato seruatore saeculum, cum AVRELIANVS Imperator, bello aduersus ZENOBIAM implicatus Tyanam, Philosophi nostri patriam, copiis cingeret. Accidisse tum aliquid ferebatur, quod, licet fabulosum, famam tamen eius mirum in modum amplificare potuit. Publice iratus edixerat Imperator, se Tyanam euersurum esse, eo quod obstinatius agerent. Postea vero satius ducebat, parcendum vrbi esse. Repentinae huius mutationis APOLLONIVS perhibebatur caussa esse, qui, vt ab omni crudelitate in patriam abstineret, Imperatorem commonuerit. FLAV. VOPISCVS mirabilis rei testis est: cuius verba etsi paullo longiora, vt hic integra exhibeam, negotium postulat:[1] *Taceri non debet res quae ad famam venerabilis viri pertinet. Fertur enim* AVRELIANVM *de Tyanae ciuitatis euersione, vera dixisse, vera cogitasse: verum* APOLLONIVM *Tyanaeum celeberrimae famae auctoritatisque sapientem, veterem Philosophum, amicum verum Deorum, ipsum etiam pro Numine frequentandum, recipienti se in tentorium, ea forma qua videtur, subito adstitisse, atque haec, Latine, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse:* AVRELIANE, si vis vincere, nihil est, quod de ciuium meorum nece cogites. AVRELIANE, si vis imperare, a cruore innocentium abstine. AVRELIANE clementer te age, si vis viuere. *Norat vultum, Philosophi venarabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis: denique statim attonitus, et imaginem et statuas et templum eidem*

[1] *Vita Aureliani* c. XXIV. p. 578. f. ed. *Obrechti.*

eidem promisit, atque in meliorem rediit mentem. Haec ego et a grauibus viris comperi, et in Vlpiae Bibliotheca libris relegi, et pro maiestate Apollonii magis credidi. Habemus Historiam, prodigiosam sane. Vopiscvs credere non dubitat. Nihil reliquum est, quam vt dispiciamus, num nos quoque fidem habere possimus. At quis possit, cum, si omnibus vestigiis res indagetur, miraculi ne vmbra quidem remaneat. Principio quidem Avreliani tempore hoc de viso nihil fuisse auditum, sed Vopisci aetate confictum esse, sunt quae forte nonnullis persuadeant. Templum vouisse dicitur Aurelianus, imaginem, statuas. Vbi vero templum illud? Nusquam sane gentium: quod iam in superioribus euicimus. Veri tamen simile est, etiamsi vel finxisset tantum Imperator, sibi eiusmodi quid accidisse, quo felicius milites falleret, votis satisfacturum fuisse. Deinceps quando Vopiscvs scribebat? Diocletiani temporibus, quibus omnia sollicite conquirebantur, quae famae Apollonii consulere poterant. Quam facile otioso cuidam fuit, qui quae in obsidione Tyanae contigerant, non nesciebat, eiusmodi quid comminisci, vt heroi suo nouum decus accederet? Haec licet ita sese habeant, vt aliquos fortassis commotura sint, mihi tamen sic praeliari non placet. Quod si enim vel maxime concedamus, in vulgus portentum hoc, cum Aurelianus Tyanam oppugnaret, emanasse, tamen ad debellandam illud machinae non desiderabuntur. Ante omnia quidem animaduerti volo, ditium a Vopisco relinqui, num vigilanti an dormienti Imperatori Apollonivs adparuerit? *Recipienti*, ait, *se in tentorium adstitit.*

Lubricae voces et ambiguae! ex quibus nihil testati eruitur. Videntur tamen posteriori fauere sententia, ac cum ad quietem sese Augustus componeret, prodigium euenisse docere. Fuerit ergo somnium, et nullus contra veritatem ostenti pugnabit. Nouimus quantopere dormientibus imaginationis illudant vires, qui cum animi quadam contentione res contemplari solent. Nouimus iis id praesertim vsu venire, quos cura, metus, aut aliae mentis commotiones suspensos tenent. Quis igitur magnopere admiretur, quiescenti AVRELIANO, qui viri imagines saepius attente considerauerat, et praeterea futurorum exspectatione non leuiter distrahebatur, visum eiusmodi oblatum fuisse? Hac qui vti volet obseruatione, omnem facile prodigii huius auctoritatem eneruabit. Ego vero ista nondum contentus, hanc eiusmodi explicationem iam adferam, quam se omnibus probaturam, fraudemque aperturam esse, confido. Statum, in quo tum versabatur Imperator ante oculos nobis ponamus, et confestim ad militum animos emolliendos omnem rem fraudulenter excogitatam esse, persuasum erit. Cum Tyanam occlusam repperisset, ira accensus dixerat. *Canem in hoc oppido non relinquam,*[a] aperteque depraedationem et euersionem eius militibus sposponderat. Hi, adductis in spem praedae animis, acrius pugnabant, moxque, Heraclammonis adiuuante proditione, vrbs capiebatur. Interea promissi poenitentia, quibus de caussis incertum AVRELIANVM subierat. Milites vero expugnato oppido, copiam vastandi et diripiendi eius sibi fieri confestim postulabant.

[a] VOPISCVS l. c. §. XXIII. p. 577.

bant. Quid agendum? Augustus proposito decedere nolebat. Ideo mitigandi erant; ne in seditionem indignatio erumperet, militum animi. Elusisse quidem eorum postulata noua dicti sui interpretatione dicitur: *Canem negaui in hac vrbe me relicturum: canes omnes occidite.* At qui ista explicatione ferocia, componi potuisse ingenia sibi persuadet, is viderit, ne perurbanos et festiuos homines milites fuisse simul statuat. Qui Avrelianvm vero, sic motus omnes sedatum iri, credidisse putat, is hominem bellicosum et in militia strenue excitatum, omni prudentia et experientia caruisse existimat. Non ii sunt barbari, ferique homines quibus caedes et rapinae voluptatum loco sunt, quiue aliorum bona spe iam deuorarunt, vt iocosa quadam sententia demulceantur. De fortiori itaque simul circumspiciendum erat remedio, quo ab omni tumultu arcerentur. Quid vero vulgi mentem vehementius religionis quadam specie ferit? Quid priscis Romanis vsitatius hoc fallaciae genere fuit? More ergo maiorum rumor ille disseminabatur, non leuitate quadam, sed diuina actum fuisse commonitione Augustum, vt vrbem inuiolatam conseruaret. Bellum inuentum! Iam omnia tranquilla: Iam nihil seditiosi miles Deorum immortalium metu attonitus, religione loci pauidus turbarum obliuiscitur, praedae spem libenter amittit, Imperatoris sapientiam admiratus. Et quis tandem ostenti lectis? Praeter Avrelianvm nemo. Habemus natales mirabilis istius visi, quibus certiores dari non posse, quilibet, opinor, confitebitur. Iam ratio quoque patet, quare nullum postea templum Apollonio dedicatum sit. Seditionis

ditionis etenim formidine solutus Imperato[ri] vota soluere neglexit sine omni ratione con[-] cepta.

§. XV.

Quamquam vero adeo manifesta fraudis indicis prodigium hocce continet, nullo tamen modo, quin plurimos e faece Romuli isto tempore ad APOLLONII venerationem incitauerit, dubitari potest. Non rationibus enim, sed rumoribus a varia vulgus ducitur. Quae me prope caussa commouet, vt hac tempestate NICOMACHVM quae de APOLLONIO reliquit litteris consignasse putem. SIDONIVS APOLLINARIS eius epistola ad EVRICI Regis senatorem, LEONEM, meminit. APOLLONII PYTHAGORICI, ait,[1] *vitam, non vt* NICOMACHVS, *seniore Philostrati, sed vt* TASCIVS VICTORIANVS *e Nicomachi schedio exscripsit, quia iusserat, misi: quam dum parere festino celeriter, eiecit in tumultuarium exemplar, turbida, et praeceps, et opica translatio.* TASCIVS ille, cuius homo notae fuerit prorsus ignotum est. De NICOMACHO coniecturae quaedam produci queunt: quis qualique ille fuerit, primo quaeritur deinde quid ad vitam et historiam APOLLONII illustrandam contulerit. Non ignobile NICOMACHI GERASENI inter eruditos nomen est, cuius inter alia αριθμητικη exstat. Hunc á SIDONII *Nicomacho* diuersum haud esse, IO. IONSIVS, vir eruditissimus, contendere non dubitat.[2] Hominis quidem aetas non leue ipsi dubium commouet. Ex CASSIODORO nouimus GERASENI illius αριθμητικην Latine

[1] *Lib.* VIII. *epist.* ep. III. p. 462. ed. *Paris.* 1599. in 4.
[2] *De scriptoribus Histor. Philos.* L. III. c. XIII. p. m. 289.

Latine ab APVLEIO translatam esse, qui sub MARCO potissimum floruit. PHILOSTRATVS vero, vti iam notauimus, sub SEVERO Historiam suam composuit. Nimis diuturnum itaque vitae spatium GERASENO videtur decerni, si iam ante MARCI tempora et post SEVERI imperium libris eum inclaruisse statuatur. IONSIVS hoc ita tolli posse dubium putat, si NICOMACHVS, admodum iuuenem numerorum scientiam, senectute grauem *Historiam* APOLLONII composuisse existimetur. Ego vero vel hac ipsa coniectura, nimis, vt opinor, coacta, vt me socium adiungam ei, prohibeor. Quem animum ex eo confirmatum sentio, quod laboris istiusmodi de APOLLONIO nulla inter GERASENI libros mentio fiat. Praeferendum arbitror potius virorum eximiorum IO. SAVARONIS,[3] IO. MEVRSII[4] et GERH. IO. VOSSII[5] sententiam, qui NICOMACHVM illum, cuius sub AVRELIANO laus aliqua ex litteris fuit, a SIDONIO innui censet. Mentio eius apud VOPISCVM habetur, vt interpretis Graeci epistolae cuiusdam Syriacae a ZENOBIA exaratae.[6] Nullum quidem viri docti, quo hanc coniecturam firment, argumentum producunt. Quibus quidem haud dubie hoc pro ratione fuit, quod GERASENO liber iste tribui nequeat, nec alius tamen eius nominis in scriptoribus occurrat. Mihi vero id potissimum eam probabilem reddit, quoniam imperante AVRELIANO visi istius, de quo egimus, diuulgatione fama eius aliquo modo amplificata fuit. Quo vt opus

[3] *Not. ad Sidonium* p. 363.
[4] *Notis ad Nicomachi* ἐγχειρίδιον ἁρμονικῆς.
[5] *De Historicis Graecis* L. II. c. XVI. p. 241.
[6] *Vita Aureliani* c. XXVII. c. XVI. p. 241.

Primo animaduertit, SIDONIVM immensas APOLLONIO laudes admetiri. Aliter vero eum fuisse pronunciaturum non dubitat, si integro vsus fuisset PHILOSTRATO. Tot enim in eo commemorata prodigia Magi sine dubio conuitium SIDONIO extorsura fuisse. Ipse vero SIDONIVS hanc rationem refellit cuius, quae inferius dabimus verba, omnia APOLLONII itinera, aliaque, ex quibus potissimum suspectus reddebatur, in illa TASCII vita ex NICOMACHO exscripta narrata fuisse docent. Quis deinde tam rerum imperitus est, vt in fabulosissimis saepe narrationibus admirandi caussas mortales quaerere nesciat? Ipsa illa prodigia, quae nos merito irridemus, SIDONIVM, vt maioris APOLLONII sapientiam faceret, inducere potuerunt. Multi certe ex insigni rerum naturalium peritia ea omnia profecta esse adseuerabant. Quid lepidius, quaeso, illa PHILOSTRATI narratione excogitari *potest*, dolia duo apud Indos fuisse imbrium et ventorum plena, quorum ope terra mox siccari, mox irrigari potuerit? Quid incredibilius, quam quod idem perhibet, multis in locis simul conspectum fuisse APOLLONIVM. Exstitit tamen vir magni *inter* eruditos nominis DAN. GEORG. MORHOFIVS,[13] qui et permoleste ferret, PHOTIVM dolia ista exagitasse, et vtrumque arcano quodam artificio fieri potuisse, defenderet. Adeo verum est, quod dixi, vbi mille alios modi remorantur, omnia quibusdam creditu facilia esse, quibus quamdam admirandi voluptatem natura ingenuit. Altera celeb. OLEARII ratio ex voce *schedium* petita est SIDONIVS. *ex* NICOMACHI *schedia Tascium sua exscripsisse* tradit. Ex eo colligit, excerpsisse tantum

[13] *Polyhistoris* Tom. I. Lib. II. c. XIII. p. 126. 127.

tum quaedam ex PHILOSTRATO] NICOMACHVM. Elaboratissimum enim illius opus *schedium* appellari non potuisse. At hic parum diligenter SIDONIVM vir egregius inspexit, verbaque eius non curate satis descripsit. Locum ille sic exhibet: *non vt Nicomachus senior e Philostrato exscripsit.* At constanter apud SIDONIVM legitur: PHILOSTRATI, vt *schedium* et ad hunc et ad Nicomachum referatur. Ex quo patet, omnino, quod negat, *opus Philostrati schedium* a SIDONIO vocatum esse. Non id mirum in scriptore, cuius inficeta dictio et paene barbara quiue sermonis nusquam proprietatem obseruat. Melior itaque adhuc ea, quam primo loco posui, sententia videtur, scripsisse quemlibet horum duorum virorum vitam APOLLONII. Sensum vero verborum SIDONII hunc esse puto: NICOMACHVM vitam APOLLONII composuisse, sed ita, vt omnia paene ex PHILOSTRATO desumeret: TASCIVM eidem insudasse negotio: at hunc strenue NICOMACHI opera vsum fuisse, vt nihil fere noui daret. Si qua nostris hisce fides est suspicionibus, nouum qualecumque in NICOMACHI labore AVRELIANI temporibus famae APOLLONII firmamentum aderat et praesidium. Quod ad multos tamen non peruenisse ex eo certum est, quod nec EVSEBIVS, nec HIEROCLES, nec alii notitiam eius habuere. Quidquid vero iactabatur, quidquid superstitio moliebatur, pauci a mala, quam semel imbiberant, de eo opinione abduci poterant. Afri praecipue et alii constanter in ea persistebant sententia, in magorum cohorte non vltimum ei locum deberi. Cuius ciuium suorum animi, qui circa quarti saeculi initium scripsit, ARNOBIVS, Rhetorices siccae Pro-

fessor, testis est: *Age nunc veniat*, inquit, [14] *qui super igneam Zonam magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo, vt adsentiamur, auctori. Bactrianus et ille conueniat, cuius Ctesias res gestas Historiarum exponit in primo. Armenius Zostriuni nepos et familiaris Pamphilus Cyri*, APOLLONIVS, *Damigero, et Dardanus, Velus, Iulianus et Baebulus, et si quis est alius qui principatum et nomen fertur in talibus habuisse praestigiis.* Egregiam vide cateruam, in qua non postremo loco APOLLONIVS versatur. Quam confidenter ex vnanimi hominum consensu ordinis huius praecipuum membrum eum esse iubet! Consenescebat et aliis in locis fama eius, nec consenescebat tantum, verum etiam maculas contrahebat. Tantum aberat, vt in stupendae sapientiae viris plerique cum haberent, vt ne inter Philosophos quidem recipere hominem vellent. *Aperte id* EVSEBIVS docet: [15] *ομως επειγε ȣδε πολλης τα κατα τον ανδρα δειται σπȣδαιολογιας, ȣχ' οτι γε εν Θεοις, και παραδοξοις, και θαυμασιοις, αλλ' ȣδ' εν Φιλοσοφοις παρα τισι των νυν μνημης υπαρχȣσης αυτȣ. Attamen non accurate nimis aduersus hominem studio nobis opus est, quod tantum absit, vt inter* Deos *stupendosue viros et admirandos locus ipse habeatur, vt ne inter Philosophos quidem a quibusdam nostri aeui hominibus mentio eius fiat.* O tenues tanti hominis scilicet reliquias! O exiguam ac paene nullam memoriam! Ita neque *visam* illud

AVFE-

[14] Verba exhibeo ex editione *Desid. Heraldi*, quae Par. 1605. in 8. prodiit L. I. p. 39. Criticas vero subtilitates omitto. Vid. HERALDVM in Not. p. 77. et VALESIVM *ad Amm. Marcellinum* p. 374.

[15] *Aduersus Hieroclem* c. XXXVI. p. 457.

AVRELIANI, neque, si tum extitit, NICOMACHVS neque aliud quidquam tantum poterat efficere, vt quae a longo tempore invaluerat praua eius existimatio ex hominum animis euelleretur. Quid si omnibus, quae enarrauimus, praesidiis destitutus fuisset homo, euenturum fuisse putas? Quid si neque PHILOSTRATVS fuisset nugatus, neque CARACALLA et SEVERVS superstitioni addicti, neque AVRELIANVS militum metu fabulam confinxisset? Contabuisset dudum omnis viri gloria et intermortua esset.

§. XVI.

In has cum redacta esset APOLLONII fama angustias, DIOCLETIANVS omne malorum genus Christi sectatoribus inferre incipiebat. Crudelitatis huius HIEROCLES, Philosophus et Bythyniae primo, postea Alexandriae praefectus, princeps auctor exstiterat. Is hoc non contentus scelere, quos gladio et suppliciis enecabat, rationibus simul et argumentis, ne frustra scilicet philosophiae operam dedisse videretur, impugnare conabatur. Quare duos componebat libellos, quibus a veritatis amore nomen faciebat, eorumque altero APOLLONII facinora cum sanctissimi Seruatoris miraculis conferebat. Qua opera A. C. CCCIII. eum defunctum esse, alio loco docuimus.[1] Versuti vir ingenii Christianos pro sacrorum suorum veritate miracula Christi potissimum laudare obseruauerat, nec eorum fidem negari posse perspiciebat. E re itaque Deorum existimabat, si quis ex cultoribus eorum hac gloria non inferior in medium produci posset. Circumspicienti nullus prae-

 ter

[1] *Diss. de figuris telesticis Apollonii*, §. V.

ter APOLLONIVM sese offerebat, cuius vita per PHILOSTRATVM consignata vtebatur. Quare in hanc operam omni modo incumbebat, vt factorum nobilitate ac praestantia nihilominus inclaruisse Historiae eius auxilio euinceret. Stolidissimum profecto consilium! sed quo omni tamen caruisse successu, euentus docuit. Eripiebatur quae sepulta iam ac derelicta iacebat APOLLONII fama ex fati paene faucibus. Rebus viri cognoscendis et ii vacabant, quorum intererat, vt fastus et amentia viri comprimeretur, et ii, qui Deorum prospicere studebant commoditatibus. Prodibant ex his, qui laudes viri vberius persequi sibi datum putabant. Erat in illis, qui Poëticae facultatis laude DIOCLETIANI floruit temporibus SOTERICHVS, quem APOLLONII vitam, carmine vt suspicor, composuisse, SVIDAS testis est.[2] Oasites is erat, *ex vrbe Lybiae, Aegypto vicinae oriundus: Alexandriae* vero praefecturam HIEROCLES administrabat. Quod perspicue videtur docere, quaestus aut commodi ab HIEROCLI obtinendi caussa, aut praemiis eius excitatum hominem hunc adscribendum animum appulisse. Eadem forte opportunitatis impetrandae spes FLAVIVM VOPISCVM perculit, vt eumdem subire laborem ardentissimo studio cuperet. Quem tamen num absoluerit, incertum est. Scripsisse eum circa idem tempus AVRELIANI vitam, ex eo constat, quod Imperatoris CON-

STANT.

[2] Voce Σωτηριχος. Emendandi hic sunt ea, quae in *Diss. de Talismanibus* APOLLONII §. V. p. 13. scripsi: *Seefiche[...] tunc*, (sub AVRELIANO) *nisi falso mihi, quae apud Suidam legi memoria nunc repraesentat res eius scripto complectebatur:* Fefellit memoria. STESICHORVM d[...] pro SATERICHO. AVRELIANI deinde tempora pr[...] DIOCLETIANI nominaui.

STANTII CHLORI, veluti viuentis, mentionem facit, quem A.C. CCCVI. decessisse nouimus. *Et est quidem iam*, ait,[3] *Constantius Imperator eiusdem vir sanguinis, cuius posteros puto ad eam gloriam, quae a Druidibus praenuntiata sit peruenire.* Ex quo quidem loco TRISTANI penitus destruitur sententia, qui IVLIANI eum sub Imperio Historiam hanc perfecisse autumat, leuissimis inductus rationibus.[4] Igitur cum tempestate illa omnium per ora APOLLONII volitare videret, seque ex eius laudibus non nullum forte honorem adepturum intelligeret, nefas fore, si conticeret, credidit. Hinc phalerae illae, quas ingenti adparatu spargit: hinc consilium illud in Romanorum

[3] Vit. Aurel. c. XLIV. p. 597.

[4] *Commentaires Historiques* titulo IVLIEN. Tom. III. p. 727. 728. Ce dit l'impie Vopiscus, *que j'estime avoir vescu sous* Iulien *et avoir escrit son Histoire sous son regne; C'est pourquoi il affecte d'exalter, ainsi ce Magicien en faveur de cet Apostat, les plus affectiounée a ces arts Diaboliques des touts les Idololatres et par consequent grand admirateur, voire adorateur d'*Apollonius. Haec prima ratio, quae eo redit: Scripsit Vopiscus sub Iuliano. Nam Imperator hic honoribus studuit APOLLONII: In se leuissima est: sequentia, quibus ostendetur, nullum singularem honorem IVLIANVM APOLLONIO habuisse viliorem adhuc et nullam reddent. *Et ce qui me fait juger*, pergit, *que* Vopiscus *pouvoit avoir vescu et escrit en ce tems-là, est que je voi qu'il dit que son ayeul vivoit sous* Diocletian, *du quel il avoit appris ce qu'il rapporte de lui en la vie de* Numerien. Nihil profecto contemptius adferri poterat. Quodnam hoc argumentum: Scripsit sub Iuliano Vopiscus. Auus etenim eius sub DIOCLETIANO vixit. Num nepotes forte et aui eodem tempore viuere nequeunt? Locus ceterum ad quem prouocat in *vita* NVMERIANI est, c. XV. p. m. 670. *Auus meus retulit, se interfuisse concioni cum Diocletiani manu Aper esset occisus.* Quid hoc ad docendum sub IVLIANO VOPISCVM scripsisse?

gratiam vitam viri, quae graeco sermone hucusque tantum lecta erat, Latina lingua conscribendi, quo omnium videlicet concelebraretur sermonibus. *Quid illo*, inquit, *viro sanctius, venerabilius, diuiniusque inter homines fuit? ille mortuis reddidit vitam: ille multa vltra homines et fecit et dixit: Quae qui velit nosse Graecos legat libros, qui de eius vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque ipsius viri fauori vsquequaque placuerit, breuiter saltim tanti viri facta in literas mittam: non quo illius viri gesta munere mei sermonis indigeant, sed vt ea quae miranda sunt, omnium voce praedicentur.* In eamdem fortassis operam et alii, vt fieri solet incubuerunt, quorum nomina vna cum libris vetustas consumsit. Alii qui Deorum caussae aduersus Christianos aderant, strenue, quam HIEROCLES primus aperuerat, semitam calcabant, argumentumque a prodigiosis Seruatoris operibus petitum APOLLONII facinoribus diluere studebant. Quod quidem studium non exiguam viro famam et celebritatem adtulisse, nullius probationis indiget. Exeunte iam quarto saeculo, postratis vndique et debilitatis Deorum rebus, plurimis adhuc argumentandi hocce genus in vsu fuisse, MARCELLINVS et AVGVSTINVS declarant. Ille sic ad AVGVSTINVM:[5] *Apollonium siquidem suum nobis ac Apuleium, aliosque Magicae artis homines in medium proferunt, quorum maiora contendunt exstitisse miracula.* Quibus ab hoc ita respondetur:[6] *Quis autem vel risu dignum non putet, quod Apollonium et Apuleium, caeterosque Magicarum artium peritissimos con-*

[5] *Epistola* quae quarta est in *Augustini* epp. p. m. 14.
[6] *Epistola* V. p. 23. ed. *Reinharti.*

conferre Christo, vel etiam praeferre conantur? Et quod mirum, tantum haec collatio valebat, vt quorumquam, qui minus acri iudicio erant, mentes vacillarent. Quorum ex numero ille erat, cuius confirmandi caussa EVSEBIVS *librum contra Hieroclem* scripsit, id quod ex ipso eius initio patet. αρ ουν, ait, ω φιλοτης, κακεινα σε του ζυγγραφεως αξιον αποθαυμαζειν, α, τω ημετερω σωτηρι τε και διδασκαλω τον Τυανεα ζυγκρινων, παραδοξολογει. *Ten', amice, illa quoque scriptoris suscipere par est, quae cum magistro ac seruatore nostro Tyanensem componenses paradoxe iactauit.* Accedebat et aliud iam tum, cum EVSEBIVS hunc commentarium in litteras referret, quod ad incrementum famae eius plurimum pertinebat. Rumor quidem derepente oriebatur, repertas eius esse machinas quasdam, ad malorum quorumdam impetus coërcendos arte recondita fabricatas. αυτικα, inquit EVSEBIVS,[7] των νυν εισιν οι περιεργους μηχανας, τη του ανδρος ανακειμενας προσηγορια, κατειλοφεναι λεγουσιν. αλλ' ουκ εμοι γε φιλον τουτοις προσεχειν τον νουν. *Suntque etiam hodie, qui magicas machinas, quae viri illius esse dicantur, sese dicant reperisse. At istis animum aduertere, nunc quidem haud placet.* Vagi quidem hi erant hominum sermones, quibus nulla documenta, nulla aderant praesidia, quod ex ipsis verbis liquet, et diligentius alio loco a nobis demonstratum est.[8] Iis etiam nati videntur auctoribus, qui existimatione eius inuidebant ac narratiuncularum eiusmodi auxilio ad Magorum turbam eum deprimere cupiebant. At qui leuitatem mortalium considerant, Graecorum inpri-

 mis,

[7] *Libro in Hieroclem* c. XLIV. p. 464.
[8] *Diss. de his figuris telesticis.*

mis, vulgique cogitant ſtuporem, cui quod aliis ne homine quidem dignum admirabile ac diuinum ducitur, hi nullo intelligent negotio, quod ad diminutionem venerationis eius, comparatum erat, augendae illius argumentum nonnullis fuiſſe.

§. XVII.

IVLIANVS cum imperio eſſet praepoſitus, abſtruſae artes e ſqualore ſuo eluctabantur, laetiſſimisque, qui earum ſcientia nobiles erant, fatis fruebantur. Imperator etenim mirabili futurorum cognoſcendorum cupiditate ardens, omnique contaminatus ſuperſtitionum genere, quantum erat eiusmodi hominum accerſebat et miris exornabat honoribus. Quocirca adquiſitam APOLLONIO gloriam non extenuatam ſub eo fuiſſe, memoriamque viri, cuius praecipua in his nugis laus erat, caram ei fuiſſe habitam, nullo modo dubitari poteſt. Celeberrimo tamen TRISTANO adſcentiri nequeo, qui IVLIANVM ludos in honorem eius celebraſſe ac diuinis eum adfeciſſe honoribus, ſibi perſuaſit. Cepit vir egregius hoc ſtatuendi fiduciam ex numo aureo maioris moduli, cuius altera pars effigiem exhibet hac addita inſcriptione: 'APOLLONIVS TYANAEVS: altera athletam quadrigas agentem, dextra ſcuticam quatientem, ſiniſtra palmam tenentem repraeſentat. Superius comparent littera STEPHAN. Inferius: NIKA.[1] Magna con-

[1] *Commentaires hiſtoriques* Tom. III. titulo IVLIEN. II. p. m. 726. ſ. Audi ipſa eius verba: Apollonius Teaneus pour Tyaneus. *Les traits de viſages d'*Apollonius Tyanean *et ceux de* Iulian *confus en une même effigie couronnée de laurier, ce philoſophe paſſant ſa main deſſus le* ... *de*

coniecturarum ex eo feriis ipfi nafcitur: IVLIANVM ludis follemnibus Memoriam APOLLONII honeftasse Tyanenfes ciues eius, quibus Numen falutare fuerit habitus, idcirco hunc nummum percuffiffe: vt vero maiori IVLIANVM honore decorarent, pro temporum illorum confuetudine APOLLONII eiusue vultus coniunctim in eo fignari curaffe: voluiffe eos fic declarare, parem philofopho illi reconditarum rerum fcientia Imperatorem effe: athletam in altera nummum parte praecipuum huius

de fon manteau Philofophique à la Grecque. Au revers il y a un athlete teré par quatre cheveaux portants chacun comme victorieux une palme fur la tefte, (Sculptor tamen nullam palmam praeter eam, quae in manu athletae eft expreffit) *le quel tient un fovet et une palme.* Paullo poft pergit p. 727: *Or je tiens que* Iulien *ayant honoré de la Solemnité de jeux de prix la memoire du renommé Magicien* Apollonius, *qu'il veneroit comme un Dieu, ce Medaillon fut frappé par les Tyaneans en faveur de cette devotion de* Iulien *meslans fa reffemblance avec celle de ceux fameux Philofophe Magicien, qu'ils veneroient dans leur ville en qualité de fon fouverain Genie et plus puiffant conferveteur et cela par la perfuafion des compagnons de cet Apoftat en l'etude de la Magie et de la Necromantie. Car c'eftoit la couftume de ce temps-là de reprefenter les ftatues et effigies de* Iulien *fous les reffemblances de leurs Dieux et demi-Dieux fuivant fon inclination et pour lui complaire,* p. 728. *Au fur plus cet Athlete repréfenté victorieux en ce revers regarde fans doute quelque excellent Ifelafte natif de Tyane, honoré par fes habitans comme un Heros, ainfi qu'une infinité des villes Grecques faifoient les leur: auquel les Tyaneans comparent* Iulien *en dexterité et valeur, ainfi qu'*Apollonius *en philofophie et en connoiffance des fciences abftrufes, fecrettes et myfterieufes, de mesme que les Locriens comparerent.* Neron *et* Trajan *a* Enthymius *leur invincible athlete, d'autres a* Philinus, *et encore les Achajens* Nero *à leur* Stephanas. conf. hic HAVERCAMPI *Diff. de numis contorneatis* p. 155.

generis fuisse, cum quo dexteritate et agilitate eumdem comparari posse, indicare voluerint: Postremo VOPISCVM hac IVLIANI erga APOLLONIVM voluntate commotum vitam eius componere voluisse. Quantus suspicionum cumulus! Quem tamen, si ex quo fonte manasse dixero, fortasse miraberis. Tantum oculis suis eximius vir tribuit, vt lineamenta vultus APOLLONII et IVLIANI in hoc numo commista esse, se cernere putet. Atque hoc fulcrum illud est, quo haec tota moles sustentatur. Admiror lumen viri perspicacissimi, cui tam dextre et distincte confusionem istam videre licuit. Mihi vero quantum est prudentiorum veniam daturum esse spero, si eiusce generis diuinationibus, quae probatione carent ad adsensum me rapi negauero. Tam lubrica et incerta earum ratio est, vt si quis eamdem similitudinem in DIOCLETIANI aut NERONIS nummis *indagare* velit, de felicitate eam reperiendi haud desperare debeat. Nusquam oculi nos facilius fallunt, quam in exploranda imaginum discrepantia et conuenientia. Quo attentiores in contemplando saepe sumus eo citius in errorem delabimur. Et quantum sibi viri docti interdum non indulgent, quibus nihil inexplicatum relinquere animus est? Ea sibi cernere, ea detexisse videntur, quae num cernant, aut detexerint, praeter eos nemo iudicauerit. Alia ceterum quoque adsunt, quibus haec doctissimi TRISTANI coniectura infringitur. Certiorem me fecerunt, viri rerum eiusmodi longe peritissimi, omnes nummos qui APOLLONII magine signati venditantur, ex eorum esse genere, quos *contorniatus* vocare solent, quorumue leuissima est apud Antiquarios auctoritas

Qui-

Quicumque summam iis Antiquitatem attribuunt, ad HONORII imperatoris tempora reuocant. Nihil fortius ad omnes hasce ratiocinationes labefactandas dici potest: cum diu post IVLIANVM imperii res HONORIVM esse moderatum notissimum sit. Addam ego hisce ex AMMIANO MARCELLINO obseruationem pariter eo comparatam. Nemo hoc Iuliani res, quarum spectator maximam partem fuit, superstitiones, et in Philosophos studia curatius et diligentius memoria prodidit, ita vt minutiarum quoque rationem habeat. Quis, quaeso, hunc ludos istiusmodi diuinosque APOLLONII honores praetermissurum fuisse, opinetur? Dum in IVLIANI rebus exponendis occupatus est, bis philosophi huius mentionem iniicit. Neutro vero loco tum temporis singulari quodam honore eum fuisse cultum tradit. Altero, quem in superioribus exscripsimus philosophum eum vocat.[2] Alterum summorum eum virorum, quibus familiaris quidam genuis adfuerit, ordini eum adgregat. *Itidem*, inquit,[3] *ex sempiternis* HOMERI *carminibus intelligi datur, non Deos coelestes cum viris fortibus collocutos, nec adfuisse pugnantibus vel iuuisse, sed familiares genios cum iisdem versatos, quorum adminiculis freti praecipue Pythagoras enituisse dicitur et Socrates, Numaque Pompilius et superior Scipio: et vt quidam existimant Marius et Octauianus, cui Augusti vocabulum delatum est primo Hermesque termaximus, et* TYANAEVS APOLLONIVS, *atque Plotinus ausus quaedam super hac re disserere mystica.* Dignissima notatu verba, ex quibus diuersa hominum

[2] Vid. §. VII.
[3] *Historiarum* Lib. XXI. c. XIV. p. 287.

num de APOLLONIO sub IVLIANO iudicia discuntur, et tum nulla insigni accessione honores eius locupletatos esse intelligitur. Quosdam tantum, non omnes APOLLONIO diuinam quamdam et extraordinariam virtutem absuisse, adfirmasse diserte tradit. HIEROCLIS sic sine dubio sectatores erant, quem in ea fuisse opinione vidimus. Qui quidem cum ipsemet Deum numquam eum dixerit, a discipulorum eius nullo id quoque factum esse, nisi AMMIANVS id testaretur, per se satis probabile foret. Quid vero alii, qui his sapientia superiores esse volebant, quibusue AMMIANVS sese adiunctum esse, non obscure indicat. Philosophum e praecipuis eum fuisse opinabantur. Ex collatione alterius illius loci AMMIANI, quem supra adduximus ipsi hanc fuisse mentem liquet. Ex quo porro, longe plurimos eadem imbutos fuisse opinione sine negotio efficitur.

§. XVIII.

Pessime sibi suisque rebus consuluissent, qui tum florebant, Christianorum doctores, si in istis silentium sibi indixissent motibus. Quod res itaque postulabat, agebant plumbeosque istos in Seruatorem impetus magna propulsabant diligentia. HIEROCLIS quidam eloquentia et auctoritate, commoti gradum referre incipiebant. His EVSEBIVS eo succorrebat *libro*, quem *aduersus Hieroclem* inscripsit, quoue nugas PHILOSTRATI breuiter, at eleganter perstringit. Multum damni hunc laborem rationibus intulisse APOLLONII, qui eum perlustrabit, sine dubio sentiet. Mihi quidem fere persuasum est, multos lectione eius eo fuisse adductos, vt vltra Philosophum eum non

sapu-

ſapuiſſe, adfirmarent: quo animo MARCELLINVM cum aliis fuiſſe, iam videmus. Strictim PHILOSTRATI percurrit *Hiſtoriam*, hominisque contradictiones, ſtupiditatem et amentiam non ſine ſale manifeſtat. Res etiam, quae narrentur ab eo, APOLLONII ponderat, ac, ſi vere ſint, principatum in Magis et incantatoribus ipſi decernendum eſſe, concludit. Quibus qui ſapiebant ſine dubio accendebantur, vt PHILOSTRATO nuntium mitterent, et praeter inſignem quamdam Philoſophiae cognitionem aliquid peculiare eum poſſediſſe negarent. LACTANTIVS poſt hunc HIEROCLI quaedam oppoſuit,[1] non ſpernanda illa quidem, ſed Euſebianis tamen ingenio et virtute longe inferiora. Si qui alii tum exſtiterunt, qui pro Seruatore dixerunt aut ſcripſerunt, et nomina et libri iniuria temporum perierunt. Quicquid vero omnes iſti molirentur, fama tamen hominis ex ſordibus ſemel eluctata haud exſtingui poterat. Non idem omnes ſentiebant: at in eo cuncti fere concordes erant, multis facinoribus virum inclaruiſſe. Quid? quod ipſorum Chriſti ſectatorum fiebat induſtria, vt maiorem fama eius dignitatem indueret et a maculis purgaretur? Admirabilem certe rem! Ab eo tempore quo publicarum de religione diſceptationum pars eſſe coepit, ii quorum inimicus videbatur rationibus, plus in eo ornando laboris poſuere, quam illi, quorum ſubuenire credebatur partibus. Magum quidem eum qui fuiſſe contenderent, aliquos exſtitiſſe, extra dubium eſt. LACTANTIVS diſerte in hoc ordine eum collocat:[2] *Non potuit ergo poſt mortem Deus credi,*

[1] *Diuinar. Inſtitutionum* Lib. V. Cap. III. p. 550. ſ.
[2] L. c. p. m. 543.

credi, ait, *quia et hominem et Magum fuiſſe conſtabat*. Longe vero plures, peſſime PHILOSTRATVM et alios, qui tot eum miraculis inclitum perhibuerint, de eo promeritos eſſe ſtatuebant. Nihil horum ab eo profectum fuiſſe: ſed philoſophum nulli laude et ingenio ſecundum extitiſſe, cuius gloriae laudatores illi nimis officioſi iſtis narratiunculis vehementer detraxerint. EVSEBIVS non vno loco ſe honoribus eius in primis fauere indicat. *εγω δε*, ait,[3] *ω εταιρε, σοφον τινα τα ανθρωπινα τον Τυανεα γεγονεναι ηγημαι, και ετι γε αυτης εχεσθαι διανοιας εκων ειναι βουλοιμην, και σοι μεν αυτος εμαυτου περι αυτου δοξαν εκθειναι, ερωτωντι. Φιλοσοφων μεν οτω τις βουλοιτο καταλεγειν τον ανδρα, παρα μηδεν διενοχλουντα ταις περι αυτου μυθολογιαις, εωα. Ego vero, amice, humanae ſapientiae egregie callentem fuiſſe Tyanenſem et olim exiſtimaui et adhuc quoque eamdem non inuitus retinere ſententiam velim, imo et tibi meam de eo opinionem, ſi interroges, exponere non dubitem. Cum quouis philoſophorum vt componat virum, modo fabulis de eo nihil turbarum det, patior.* Praelcaram ſatis ſententiam! quam alio loco ſatis manifeſto repetit,[4] et in ipſo operis *aduerſus* HIEROCLEM fine inculcandam ſibi putauit: *ει δε επι τουτοις*, inter alia ibi inquit,[5] *εν φιλοσοφων διατριβαις αξιοιεν ετι καταλεγειν τινες τον ανδρα λεξεται ως αν, ει αποκαθηροι εαυτον της εξωθεν λυμης, και της απο της γραφης επεισκυκλουμενης αυτω σκευης, φθονος πας αυτης εκποδων αν ειη. Si autem poſt haec etiam in philoſophorum ſcholis locum fac-*

[3] *Libro contra Hieroclem* c. V. p. 432.
[4] C. XII. p. 440.
[5] C. XLVIII. p. 467.

facere viro dignati quippiam fuerint, eis dicendum, fore, vt, vbi eum a labe aliunde adſperſa purgauerint, idemque a machina, quae ex iſta ſcriptione in eum impellitur, immunem praeſtiterint, omnis quae ex hac ſcriptione ipſi conflari poſſit, inuidia, e medio tollatur. Quibus verbis opere iſto non tam APOLLONIO, quem magni faciat, inuidiam conflare, quem a PHILOSTRATI inſulſis ac illiberalibus criminationibus ſe virum liberare voluiſſe, prodit. AVGVSTINVS quae de eo feruntur prodigia nullo fideli auctore ferre inquit.[6] *Et tamen, ſi hoc, quod de Iona ſcriptum eſt, Apuleius Madaurenſis, vel* APOLLONIVS TYANAEVS *feciſſe dicerentur, quorum multa mira nullo fideli auctore iactitant - - non iam in buccis creparat riſus, ſed typhus.* Idem vero leuius a ſe tolerari declarat, ſi CHRISTVS cum hoc, quam ſi cum Diis, compararetur, APOLLONIVMque virtute IOVI MAXIMO anteponere non veretur. Quod profecto de virtute, temperantia, caſtitate, continentiaque eius non malam eum concepiſſe opinionem, argumento eſt. *Quamquam*, verba eius ſubiungo,[7] *tolerabilius ferendum ſit, quando iſtos* (Apollonium et Apuleium) *ei comparent, quam Deos ſuos? Multo enim melior* APOLLONIVS *fuit, quam tot ſtuprorum auctor et perpetrator, quem Iouem nominant.* Dubius eſt animi, quid de eo pronuntiandum ſit, HIERONYMVS. Mox quidem ad Magorum eum claſſem detrudit: *Non eſt grande*, ait, *facere ſigna, nam fecere ſigna in Aegypto Magi contra Moyſen, fecit et* APOLLONIVS, *fecit et Apuleius.*[8] Mox vero mitius

6 Ep. XLIX. p. 208. ed. *Reinharti*, qua nunc vtor.

7 Ep. V. p. 23.

8 *Comment.* in Pſ. LXXXI. confer Ep. XXXI. ad *Pammachium.*

tius sentit, ac quis ei locus, num inter Magos, aut philosophos adsignandus sit, ambigit: ita tamen, vt non obscure posterius sibi satius videri indicet, ardoremque viri, vt disceret, non illaudandum censeat. Eos commemorat ibi, qui amore sapientiae magna et periculosa subierint itinera. In his nostrum ita recenset: *Apollonius siue ille magus, vt vulgus loquitur:* (satis honorifice, quod deteriorem de eo sententiam vulgi esse autumat. Ipse itaque, qui vulgo abnumerari nolebat, praeclarius sine dubio sentiebat.) *siue philosophus, vt Pythagorici tradunt intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Libanos, Scytas, Massagetas, opulentissima Indiae regna penetrauit, et ad extremum latissimo Phisone amne transmisso peruenit ad Brachmanes: vt Hiarcham, in throno sedentem aureo, et de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, de motibus siderum ac dierum cursu audiret docentem; inde per Elamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phoenices, Arabes, Palaestinos reuersus Alexandriam perrexit Aethiopiam, vt gymnosophistas, et famosissimam solis mensam videret in sabulo. Inuenit ille vir vbique quod disceret, et semper proficiens, semper se melior fieret:* (Quod ad laudem iterum hominis inprimis facere, perspicuum est.) *scripsit super hoc plenissime octo voluminibus* Philostratus.[9] Adeo non id agebant eruditi inter Christianos viri, vt maculas et caliginem nomini eius inducerent, sed vt illud a superstitiosa nonnullorum diligentia vindicarent et integritati suae restituerent. Luculentiora eius animi vestigia in sequentibus praesto erunt. Quae ante-

[9] *Epist. ad Paullinum* C. III. p. m. 138.

antiquam aperiamus, inopinatae huius rei causſas paucis inueſtigare, opere pretium erit.

§. XIX.

Rem omnem diligenter expendenti duae ſatis probabiles ſeſe rationes obtulerunt. Primam liber eius, quem de *ſacrificiis* ſeu περὶ θυσιῶν ſcripſit, ſuppeditat. Hieroclis adhuc tempore omnium in manibus ille verſabatur, et fragmentum quoddam eius ab Evsebio producitur.[1] Apparet ex eo, omnia eum ſacrificia quibus Numen placari gentium ferebat opinio, damnaſſe, ſupremoque rerum omnium conditori, qui nullius plane rei indigeat, praeter ſanctae et incontaminatae mentis preces nihil omnino afferendum eſſe, ſtatuiſſe. Egregie iſta Chriſtianorum conueniebat rationibus, qui omnem iſtum victimarum adparatum, repugnantibus caerimoniarum antiſtitibus, explodebant. Quapropter et Evsebivs teſtem eum hac in parte aduerſus illos pro doctrinae Chriſtianae praeſtantia rogat. Cuius exemplum, quin alii fuerint ſequuti, qui tempora iſta non ignorat, nemo vnus dubitari poteſt. Quid mirum igitur doctores Chriſtianorum, ei, ex quo non plane nihil praeſidii ſperabant, omnem eripere noluiſſe gloriam? Quid mirum in Philoſophorum praecipuis fuiſſe numeratum, quo felicius armis eius hoſtium conatus infringerent? Quod ſi enim atris eum pinxiſſent coloribus, ſi criminum et Magiae inprimis notam ei inuſſiſſent, omnis eius in profligandis aduerſariis

[1] *Praeparation. Euangel.* L. IV. c. XIII. p. m. 150.

riis vtilitas prostrata iacuisset. Eo teste vti, quem ipsemet accuses, eius laudare sententiam, cuius impietatem detesteris, prorsus ineptum est. Ipsam disputationum, quae tum de miraculis seruatoris enatae erant, conditionem si ob oculos ponamus, rationum alteram habebimus. Ex mirabilibus APOLLONII operibus Deorum cultores argumentum a stupendis Christi factis dudum infirmare studebant. Ad quem tamen scopum non vna omnes via properabant. Nemo etenim cunctos, qui in ista depugnabant palaestra, aequae bene et praeclare de APOLLONIO existimasse, in animum inducat. Multi quidem, qui cum HIEROCLE sese coniunxerant, omnia quae egerat diuinae virtutis signa esse, quae in eo habitauerit, contendebant. Ex quo ita aduersus Christianos concludebant. Ex operibus *Seruatoris* haud posse effici, Deorum cultum *abrogandum* eique fidem omnem addicendam esse, cum frequentissimus Deorum cultor simili valuisset robore homanis viribus superiora producendi: Sed alii, si quidem ita vellent Christi discipuli, *omnia*, quae perfecisse ferebatur, admiranda *malorum* geniorum auxilio peracta fuisse, concedere non verebantur veterem illam, quae iam inoluerat, de Magica eius sententiam non deserandam esse, consentiebant. Quod genus hominum omnem istum de auerruncis statuis ad mala quaedam propulsanda ab eo positis rumorem concitasse arbitror. Eius enim e re cum maxime erat, vt plurima incredibilia ac arte humana maiora patrasse crederetur. Verum tamen hoc ipso concesso ita Christi nocere conabantur miraculis, vt, cr-

de

daemonum sodalis similia praestitisset, adiuuantibus iisdem Christum coecos sanare, languentes sanitati restituere, mortuos ab inferis reuocare potuisse, coniicerent. Vtraque via ad eamdem ducebat metam: Vterque modus praestantissimum veritatis Christianae firmamentum destruere debebat. Christiani coetus duces commodissime omnes hasce ratiocinationes tollere potuissent, etiam si nihil eorum, quae fecisse perhibebatur homo, ab eo factum esse negassent. Age vero sic disceptare potuissent, nemo nostrum in dubium reuocabit, admirabilibus Apollonivm vestrum operibus insignem fuisse. Vos e contrario Christo nostro eamdem miraculorum gloriam derogare non audetis. Iam vero, quam ingens doctrinae, quam vester, et eius quam noster, discipulis tradidit discrimen sit, cogitate. Christus vnum supremum Numen adorandum, Deos gentium irridendos esse docuit. Apollonivs honores Deorum fere collapsos restituit. Quae hic inculcauit, ille in impiis et turpibus habenda esse praecepit. Si omnino veritas quaedam et religio est, quod nemo vestrum negat, vtriusque dogmata simul vera esse nequeunt. Aut melior est, quam Apollonivs proposuit, doctrina: aut sanctior est ea, quam a Christo maiores nostri acceperunt. Vtriusque vero nostrum Lydium concessit lapidem diuina sapiencia, ad quem placita hominum exploranda sunt, nimirum rationem. Ad eius igitur regulam vtriusque exigamus dogmata. Quae huic optime responderit, doctrina ea praecellentior, quae minus bene, deterior existimetur. Hoc exa-

riis vtilitas proſtrata iacuiſſet. Ego … miracula,
ipſemet accuſes, eius laudare ſ… diuinis ha-
impietatem deteſteris, pro… inſeruiiſſe
Ipſam diſputationum, quae … praeſtigiis,
uatoris enatae erant, co… , quae ſtultis
ponamus, rationum alte… …cinari compe-
rabilibus Apollonii c… potuiſſet, quin
argumentum a ſtupe… …ni diſceſſiſſent,
firmare ſtudebant … …ariſſimis bonae men-
non vna omnes … …rtum eſt, ſicque ſimul
cunctos, qui … ad deformanda Seruatoris
quae bene er… …atae periiſſent. Nolebat vero
in animum … temporis in hoc negotio Chriſtiani
Hierocle… hoc pacto cum Deorum miniſtris con-
diuinae … forte quod paullo id moleſtius ac diffici-
rit, c… …ſtimarent. Id vnice ſibi relictum puta-
ſtiar… vt aut ſimpliciter negarent, aut adfirma-
…bant, Apollonivm admiranda, quae perhibebatur,
praeſtitiſſe. Sed adfirmare periculoſum fore,
qui paullo ſapientiores erant, facile perſpicie-
bant. Qua enim, obſecro, ratione, miſſo eo
quod diximus, diſceptationis genere, ſeſe ex-
pedire potuiſſent? Quodcumque reſpondiſſent,
integris et inuiolatis opibus ad ſua hoſtes rediiſ-
ſent receptacula. Nil itaque praeſtabilius eſſe
opinabantur, quam ſi omnino illa quae diceba-
tur, miracula perfeciſſe negarent. Non propter-
ea reprehendendos eſſe viros eximios arbitror
qui aduerſariorum copias funditus ſic proſter…
potuiſſe ſentio. Cauſſam tantum, quare nomini
Apollonii haud inimiciores fuerint, hic inueſti-
gare laboro. Miracula itaque ab eo eſſe fac…
nullo modo probari poſſe defendebant. Vn…
vero

eius gloria? Vnde post fata fama eius vi-
at, colebatur? In promtu erat respon-
phus erat, et e maximis quidem et
uidquid laudis adeptus est, eru-
ntiae debetur. Nos quidem,
minime gloriam inuidemus:
pessime nomini eius Deo-
vt fabulosis narratiunculis
deant. Nouimus istos de
mores. At neque hoc ignora-
nicorum, qui male ipsi cupiebant,
iendacia, aut insanorum somnia, qui
t stolide laudando vituperarunt odium-
sapientum ei concitarunt.

§. XX.

His dubio procul de caussis sequentibus temporibus non tam diminuta, quam amplificata, non tam depressa, quam erecta fuit Apollonii fama. Exspirabat prope, qua hucusque pressus erat, Magiae infamia ac Philosophi pallium homini circumdabatur. Quamobrem Chrysostomum veritatis propugnandae studio abductum esse fere mihi persuadeo, cum Apollonium inter eos, quorum celebrari desierit memoria, collacat. Haec verba eius sunt:[1] *ποσοι δογματα ηβουληθησαν εισαγαγειν παρ' ελλησι και πολιθειαν ενστησασθαι ξενην, οιον Ζηνων, Πλατων, Σωκρατης, Διαγορας, Πυθαγορας, και ετεροι μυριοι; αλλ' ομως τοσουτον επιτυχον περιγενεσθαι, ως μηδε εξ ονοματος ειναι τοις πολλοις γνωριμοι, ο δε Χριστος ουκ εγραψε πολιθειαν μονον*

[1] *Libro III. aduers. Iudaeos*, p. 418. T. I. Opp. ed. *Paris.* 1639.

men, quaenam potiora habendae sint miracula, declarabit. Illa nimirum pro veris et diuinis habebuntur, quae sanctiori et puriori inseruiisse doctrina videbimus. Ea fraudes, praestigias, malorum geniorum opera dicemus, quae stultis improbis et ineptis placitis patrocinari comperiemus. Fiere hac ratione non potuisset, quin superiores e conflictu Christiani discessissent, quorum plurima dogmata clarissimis bonae mentis praeceptis inniti certum est, sicque simul omnes illae argutiae ad deformanda Seruatoris miracula comparatae periissent. Nolebat vero tum quidem temporis in hoc negotio Christiani doctores hoc pacto cum Deorum ministris congredi, forte quod paullo id molestius ac difficilius existimarent. Id vnice sibi relictum putabant, vt aut simpliciter negarent, aut adfirmarent APOLLONIVM admiranda, quae perhibebatur, praestitisse. Sed adfirmare periculosum fore, qui paullo sapientiores erant, facile perspiciebant. Qua enim, obsecro, ratione, misso eo, quod diximus, disceptationis genere, sese expedire potuissent? Quodcumque respondissent, integris et inuiolatis opibus ad sua hostes rediissent receptacula. Nil itaque praestabilius esse opinabantur, quam si omnino illa quae dicebatur, miracula perfecisse negarent. Non propterea reprehendendos esse viros eximios arbitror, qui aduersariorum copias funditus sic prosterni potuisse sentio. Caussam tantum, quare nomini APOLLONII haud inimiciores fuerint, hic inuestigare laboro. Miracula itaque ab eo esse facta, nullo modo probari posse defendebant. Vnde

vero

vero tanta eius gloria? Vnde post fata fama eius viuebat, florebat, colebatur? In promtu erat responsio. Philosophus erat, et e maximis quidem et praecipuis. Quidquid laudis adeptus est, eruditioni eius et scientiae debetur. Nos quidem, addebant, hanc ei minime gloriam inuidemus: admiramur magis, tam pessime nomini eius Deorum cultores consulere, vt fabulosis narratiunculis hac eum priuare studeant. Nouimus istos de prodigiis eius clamores. At neque hoc ignoramus, aut inimicorum, qui male ipsi cupiebant, hos esse mendacia, aut insanorum somnia, qui male et stolide laudando vituperarunt odiumque sapientum ei concitarunt.

§. XX.

His dubio procul de caussis sequentibus temporibus non tam diminuta, quam amplificata, non tam depressa, quam erecta fuit Apollonii fama. Exspirabat prope, qua hucusque pressus erat, Magiae infamia ac Philosophi pallium homini circumdabatur. Quamobrem Chrysostomvm veritatis propugnandae studio abductum esse fere mihi persuadeo, cum Apollonivm inter eos, quorum celebrari desierit memoria, collacat. Haec verba eius sunt:[1] *ποσοι δογματα ηβυληθησαν εισαγαγειν παρ᾽ ελλησι και πολιτειαν ενςησασθαι ξενην, οιον Ζηνων, Πλατων, Σωκρατης, Διαγορας, Πυθαγορας, και ετεροι μυριοι; αλλ᾽ ομως τοσυτον απειχον περιγενεσθαι, ως μηδε εξ ονοματος ειναι τοις πολλοις γνωριμοι, ο δε Χριςος ουκ εγραψε πολιτειαν μονον*

[1] *Libro III. aduers. Iudaeos*, p. 418. T. I. Opp. ed. *Paris.* 1639.

μονον αλλα και πανταχου της οικουμενης αυτην κατεφυτευσε. Ποσα λεγεται Απολλωνιος ο εκ Τυανων πεποιηκεναι; αλλ' ινα μαθης οτι ψευδος παντα εκεινα ην και φαντασια, και αληθες ουδεν, εσβεσθαι και τελος ελαβεν. Και μηδεις υβριν ενομιζετο ειναι του Χριστου, οτι εν τοις περι αυτου λογοις Πυθαγορα και Πλατωνος, Ζηνωνος, και του Τυανεως μεμνημεθα. ου γαρ εξ οικειας τουτο ποιουμεν γνωμης, αλλα τη ασθενεια των Ιουδαιων συγκαταβαινοντες. *Quot non extiterunt, qui noua dogmata in Graecos introducere, nouamque ciuitatis formam condere voluerunt, vt Zeno, Plato, Socrates, Diagoras, Pythagoras, aliique innumerabiles; sed tam parum cessit institutum, vt ne de nomine quidem multitudini noti sint. At* Christvs *non litteris tantum nouum ciuitatis genus mandauit, sed et per totum terrarum orbem plantauit. Quot et quanta mirabilia* Apollonivs *ille* Tyanaevs *perfecisse dicitur: sed vt discas, nihil in eis veritati, mendaciis et opinioni hominum cuncta esse tribuenda, sufficit, vt obserues, haec omnia dissipata iam et fere oblita esse. Neque vero quisquam Christo nos iniuriam inferre existimet, quod in sermonibus de eo Pythagorae, Platonis, Zenonis et* Tyanaei *mentionem facimus. Non enim id de nostro fit iudicio, sed vt Iudaeorum subueniamus infirmitati.* Diuum virum sub quarti saeculi finem *libros contra Iudaeos*, ex quibus haecce verba petita sunt, composuisse, extra controuersiam pono. Litem enim illam, an cum adhuc lectoris fungeretur munere, quod Socrates testatur,[a] an, cum iam in seniorem adsc-

[a] Hist. Eccles. Lib. VI. c. III. p. m. 302.

adſcitus eſſet ordinem, quod antiquus vitaę eius ſcriptor perhibet, eos litteris commendauerit, tuto hic praeterire poſſum. Eo vero tempore minime viri ſiue gloria, ſiue ignominia interciderat, quod LACTANTII, AVGVSTINI et HIERONYMI, quorum copiam paullo ante fecimus, loca copioſe demonſtrant. Erant adhuc, quod MARCELLINVS Auguſtino ſignificat, qui eius et Seruatoris comparationem ad exemplum HIEROCLIS tentare haud erubeſcerent. Quare aut, quod iam monui, putandum eſt, non veritatis, ſed victoriae et perſuadendi ſtudium iſta CHRYSOSTOMI verba peperiſſe, aut de ſectae et diſciplinae APOLLONII interitu accipienda eſſe, cenſendum. Poſſe, ſi curatius inſpicias, ſed nec poſſe tantum, verum forte debere ſic exponi, veriſimile fit. De rebus publicis, ſcholisque loquitur, quae ſapientiſſimis licet auctoribus inſtitutae aetatem tamen ferre non potuerint. Ad has APOLLONII aggregat diſciplinam, quae, cum tot miranda homo perfeciſſe paſſim dicatur, dudum tamen deſierit, cum Seruatoris leges et praecepta totum terrarum orbem impleuerint. Conſtat hiſce dictis ſua, ſi ita capiantur, veritas. APOLLONII diſciplinae tenuiſſimae reſtabant reliquiae, nullique, qui ſe eius in omnibus auctoritati mancipauerant, reperiebantur. Non ita multi, cum adhuc viueret, diſcipuli virum ſequuti erant: poſt fata vero, quod ex EVSEBIO in ſuperioribus etiam docuimus, nullam ſectam aut ſcholam, vt alii quidem Philoſophi, reliquerat. Aderant, qui famae eius idcirco ſeruiebant, vt Chriſti ſectatoribus moleſtiam quamdam exhiberent. At qui

se eo vnice magistro vti profitebantur, nulli reperiebantur. Inde tamen eius gloriae et laudi nihil derogabatur, sicuti nec PLATONIS, cuius pauci discipuli, magna erat fama et existimatio. Inter gentes suos passim tum adhuc praecones habebat, qui PHILOSTRATI mendaciis inducti stultitiam eius imitabantur. *Sophistarum vitas* haud dubie circa tempus illud EVNAPIVS, Sardianus, contexuit; [3] homo inprimis ad amentiam vsque superstitiosus. Is sic ex PHILOSTRATI lectione delirare didicerat, vt non laudes, sed portenta laudum in portentosum, quem putabat, APOLLONIVM coniiceret. Hominibus eum eximit, medioque inter Deos et philosophos loco considere iubet. Quin succenset, graculus nimirum graculo, PHILOSTRATO, quod Historiam suam modestius *βιον* inscripserit *Απολλωνιȣ*, cum *Επιδημιαν εις ανθρωπȣς θεον* iure vocare debuisset. [4] Satis grauiter et facete! Magnum is et luculentum stultitiae praemium retulit, qui sic alios nugis irretire potest, vt magistrum ipsum satis nondum desipuisse putent. Quantus igitur PHILOSTRATVS, qui insulsissimis fabulis id consequutus est, vt EVNAPIVS magis strenue eum nugari debuisse, diceret? Christiani doctores, quo minus ita delirarent, sacris, quibus adstricti erant, prohibebantur. Non obstabant ea tamen, quo minus amplissimis hominem laudibus exornarent, ac integerrima frui vellent existimatione. Tres non

[3] Meminit c. V. p. 75. expeditionis Alarici in Graeciam, quae Anno 395. et 396. facta.

[4] *Prooem. ad vitas* p. II. ed. Gen. 1616.

non infimae nota ex quinto saeculo doctores in eam rem compellabo, qui longe lateque ista aetate famam viri percrebuisse, gloriamque multis locupletatam fuisse accessionibus, fidem facient, ISIDORVM PELVSIOTAM, SYNESIVM et SIDONIVM APOLLINAREM. Principis peculiaris ad *Zachaeum* quemdam epistola huc pertinens extat, quam, quoniam praeclare ad rem nostram facit, totam describere necessarium erit. Καινοις, ait,[s] *τινες λογοις τους ανθρωπους ηπατηθησαν τον εκ Τυανων εισαγαγοντες Απολλωνιον, πολλαχοσε πολλα τελεσαμενον επ' ασφαλειας, φασι, της οικησεως, αλλ' ουδεν εχοισι δειξαι παρ' εκεινου γενομενον, οι γαρ και λογους ψιλους του ανθρος αναγραψαντες, και παντα τα καθ' αυτον ακριβωσαντες ουκ αν τας θρυλλουμενας παρελιπον πραξεις, εχεις δε τον Φιλοστρατον ακριβως τα εκεινου εκθεμενον, και μανθανε ως σαφη συκοφαντιαν μαγγανειων εχθροι του ανδρος, ως εικος, κατεσκευασαν.* IAC. BILLIVS ita vertit: *Quidam nouis sermonibus homines deceperunt*, TYANAEVM APOLLONIVM *inducentes, qui multa plerisque in locis tutae habitationis caussa, vt aiunt, effecerit*, (seu potius auerruncas imagines constituerit.) *At nihil quod ab illo factum sit, ostendere queunt. Nam alioqui iis, qui nudos etiam sermones ipsius litteris mandarunt, totamque ipsius vitam accurate conscripserunt, actiones eas, quae vulgi sermonibus celebrantur, non omisissent. Habes autem Philostratum, qui vitam eius magna cura et diligentia in lucem edidit. Ex quo intellige, quam perspicuam huius modi praestigiarum calumniam viri*

[s] Libro I. Epp. ep. 398. p. m. 103. ed. *Paris.* 1638. fol.

viri illius hostes, vt vero consentaneum est, concinnasse. Multa haec epistola, quae dignissima sunt obseruatu, continet. Intelligitur primum ex ea, consurrexisse in Aegypti regionibus tum homines, qui de admirandis quibusdam machinis ab Apollonio constructis clamores tollerent. Quibus tamen fidem habendam esse, Isidorvs negat, quum et vitae eius scriptores diligentissimi nihil de illis prodiderint, et frustra decantata ista monumenta a curiosis quaerantur. Ingenti nobis hicce locus auxilio fuit, cum tritam illam de *telesticis* eius *imaginibus* fabulam exploderemus. Sed simul tamen ostendit, quam frequens eius mentio tum inter homines fuerit, quaue floruerit fama. Isidori deinde in eum voluntas, et studium ex ea perspicue cognoscitur. Rumores etenim istos in criminationibus a maleuolis confictis habendos esse contendit. Non prorsus a veritate haec remota est suspicio. Deorum etenim, vt iam adnotauimus, patroni parum id adtentebant, nam Magus, aut vir diuinus crederetur, modo res Christianorum eius ope maculam quamdam contraherent. Igitur ex iis, qui incantatoribus eum connumerabant, aliquos, quo caussam suam promouerent, rumores istos de *inuentis* eius *machinis* disseminasse, non prorsus incredibile est. Satis vero Isidorvs perspiciebat, infamia sic eum obrutum iri, hacque persuasione durante Magiae simul accusationem permansuram esse. Quo itaque in eum ferebatur amore, nil nisi hostium inuidiam et obtrectatorum calumnias has omnes narrationes spirare, propugnabat. Quot hic doctor discipulis visus fit,

ſit, inter omnes conſtat. Quos quidem magiſtri imbibiſſe opinionem, ſicque numerum fautorum Apollonii mirum in modum creuiſſe, dubio ſimul caret. In eadem Aegyptiorum gente circa eadem fere tempora magna nominis gloria floruit SYNESIVS, et philoſophus et epiſcopus. Hunc cum omnium eius aeui maxime aſſiduum PLATONIS ſectatorem fuiſſe conſtet, non tam admirandum eſt in APOLLONII Pythagorici laudes valde propenſum fuiſſe. Feſtiui vir ingenii dum *Caluitiei laudes* perſequitur, magnum cauſſae ſuae firmamentum a ſummorum virorum exemplis petit, qui nudato capillis capite fuerint. At comatam APOLLONII effigiem recordatur, quae, cum paſſim conſpiceretur, in contrariae ſententiae emolumentum obuerti poſſit. Remouere igitur obſtaculum hocce ſequentibus verbis enititur:[6] Εξ εστι δε τας εν μουσειω θεασασθαι πινακας, τους Διογενεις λεγο, και τους Σωκρατεις, και τους ους τινας βουλει των εξ αιωνος σοφων, φαλακρον γαρ αν ειτε δοξειε θεατρον. Απολλωνιος μη ενοχλειτω τω λογω: μηδ' ει τις ετερος γοης και περιττος τα δαιμονιας, και γαρ ουκ οντες ουτοι κομηται δυνανται φαινεσθαι τα πληθη κατω πολιτευομενοι. Ταχα δε ουδε σοφιας μεν των τιμιωτατων ενομιζον, επι δε τους γοητας ετρεφον τους δημιους, ωστε ει και κομητης Απολλωνιος, ουδεν προς λογον. Και τε φιλια μοι προς τον ανδρα και βουλοιμην αν αυτον ειναι του καταλογου. PETAVII licet non ſatis elaboratam verſionem ſubiicio: *Licet eas intueri quas in muſaeo habemus depictas, clarorum virorum magines, Diogenes inquam*

6 *Encomio Caluitiei* p. 68. Opp. a Petauio editorum Pariſ. 1640. fol.

inquam illos et Socrates; aliosque ab hominum memoria sapientes, caluorum theatrum conuentumque esse dixeris. Nec est quod hoc loco negotium mihi facessat APOLLONIVS *aut alius quisquam praestigiatorum eiusmodi et vanitatis Magicae peritorum.*[7] *Cum enim minime comati sint, eiusmodi tamen vt appareant, vulgi oculos fascinare possunt. Sed nec nulla forte talium impostorum peritia est, sed portentorum potius artifex, non ars quidem illa, sed facultas. Ita enim a legislatoribus sapientiae peritiaeque honos semper habebatur ab iisdem veneficiis et in cantationibus puniendis carnifices alebantur. Quamtumuis igitur comatus fuerit* APOLLONIVS, *magni interesse non potest.*[8] *Quamquam mihi cum homine isto amicitia est, eumque plurimum optem ex nostro esse numero.*[9] Prima quidem fronte turpem inter homines pessimae notae locum APOLLONIO adsignare videtur, qui praestigiis aliorum fascinare oculus potuerit. Vltima vero verba eum, non quid ipse senserit, sed quid ignobile forte vulgus existimarit enarrare docent. Manifesta diuersarum opinionum, quae tum inter homines regnauerint, de eo vestigia in his verbis expressa sunt. Plures summorum virorum memoriae eius parem iudicasse, ex ipsa, quam fingit SYNESIVS, obiectione liquet. Summos viros in medium producit: his non nisi eximii nominis vir opponi poterat. PHOEBIS etenim

7 Arioli nimirum et praestigiatores promissiori barba capillo erant. Vid. *Petauius Notis* p. 27.

8 De coma sua ipse APOLLONIVS *Apol.* c. 6. p. 33.

9 Melius reddidisset PETAVIVS: *Quamquam cum amem velimque ex caluorum numero esse.*

etenim et MIDAS non facile congregantur. Opponitur vero APOLLONIVS. Quid apertius, praecipuam inter illustres viros eius laudem fuisse? Accidit et hoc, quod in museo, honestissimo loco inter varios egregios imago eius appensa fuerit. Sinisterioris tamen etiam iudicii nonnullorum signa conspiciuntur in argumentatione, quam obiectioni illi reponit, et in consortio. Quamquam qui considerat, vt aduersa propulsaret tela, SYNESIVM ad hoc confugisse iudicium, non nimis ei fidei habebit. Qui caussam enim quamdam defendendam omni ope suscepere, ex triuio quiduis arripiunt, quo se expedire citius queant. Quam morem imitatus SYNESIVS, vt occurreret aduersariis, vulgus compellat, eiusue producit opinionem, Magum fuisse APOLLONIVM. Atque haec quidem sufficerent ad demonstrandum, meliorem et doctiorem inter Christianos aequissimis tum vsum fuisse sententiis APOLLONIVM, etiamsi nihil addidisset SYNESIVS. Is vero minime rem in dubio relinquit, sed se ipsum memoriam eius veneratione prosequi indicat. Qua quidem ratione satis eum ab istis, quae paullo ante adduxerat, criminationibus purgat, suique similes cum istis minime facere calumniatoribus indicat. Velim ea hic repeti, quae iamiam ad locum ISIDORI dixi, et euidentius, quibus auctoribus haec fama forte tam illustrata fuerit, efficietur, etiam si id quoque e memoria dimitti nolim, de Magia APOLLONII antiquissimam suspicionem fuisse, a multis Christianorum propagatam et a plebe creditam. In occidentis regionibus SIDONIVS APOLLONIARIS, Aruernorum episcopus, ingenii tum et doctrinae

doctrinae laude inclitus erat: cuius carmina et epistolae adhuc leguntur. Magnus ille vero APOLLONII nostri admirator erat, summisque etiam viris, qui rempublicam administrabant, memoriam eius commendabat. Erant sine dubio doctissimi viri, GVIL. CAVEVS,[10] IO. SAVARO[11] et alii, qui aut SIDONIVM Historiam vitae APOLLONII e Graeco Latine vertisse, aut ipsummet vitam eius consignasse, produnt. Neutrum mihi ex eius, quam in testimonium adhibent, epistola elicere licuit. Id intelligo, misisse eam ad Regis EVRICI Senatorem, LEONEM, *vitam* APOLLONII, vt PASCIVS VICTORIANVS e NICOMACHI eam *schedio* exscripserat. Qua de re iam in superioribus abunde expositum est. Quemadmodum vero ex hoc quis possit conficere aut scripsisse SIDONIVM, aut vertisse Tyanaei vitam, me quidem praeterit. Fateor in sequentibus *sic* eum verba facere, ac si proprii foetum ingenii LEONI offerat, eiusque excuset tenuitatem. *Nam dum me tenuit inclusum,* ait,[12] *mora moeniorum Liuianorum, non valebat curis animus aeger, saltim saltuatim tradenda percurrere, nunc per nocturna suspiria, nunc per diuturna officia distractus.* Et paullo post: *Sane cum primum reduci aliquid otii fuit, impolitum hunc semicrudumque et* (vt aiunt) *tamquam musteum libellum, plus desiderii tui, quam officii mei memor obtuli.* Crederes, magnae molis opus hominem eniti voluisse

10 *Histor. Liter. script. Eccles.* P. I. p. 259.

11 Notis ad Sidonium p. 467.

12 Loco iam citando.

luisse. At, si priora consulas, strepitus hosce non nisi festinationem in describendo TASCIO, quod oneris sibi bonus vir, imposuerat, excusare videbis. Nihilo tamen minus mirum in modum Tyanaei studuisse honoribus et existimationi, euidens est. Nihil enim eorum, quae ad eum pertinerent amplificandam, ad LEONEM scribens obliuiscitur. Audiamus declamantem: [13] *Exuere vtcunque continuatissimis curis et otium tuum molibus aulicis moribusque fruare. Historiam flagitatam tunc recognoses opportune competenterque, si cum* TYANAEO *nostro nunc ad Caucasum Indumque, nunc ad Aethiopum Gymnosophistas, Indorumque Brachmanos, totus lectioni vacans et ipse quodammodo peregrinere. Lege virum (fidei Catholicae pace praefata) in plurimis similem tui, id est a diuitibus ambitum, nec diuitias ambientem: cupidum scientiae, continentem pecuniae, inter epulas abstemium, inter purpuratos linteatum, inter alabastra, censorium, concretum, hispidum, hirsutum: in medio nationum delibutarum, atque inter satrapas Regum tyaratorum myrrhatos, pumicatos, malobratratos, venerabili squalore pretiosum: cumque proprio nihil esui aut indutui de pecude conferret, regnis ob hoc, quae pererrauit, non tam suspicioni, quam fuisse suspectui: et fortuna regum sibi in omnibus obsecundante, illa tantum beneficia deposcentem, quae mage sit suetus oblata praestare, quam sumere. Quid multis? si vera metimur aestimamusque, fors fuat, an Philosophi vitae scriptor aequalis maiorum temporibus*

[13] Epistolarum Libro VIII. ep. III. p. 462. 463.

poribus accesserit, certe par saeculo meo per te lector obuenit. O ampullas! o magnificum praeconium! Quo si aliqua tantum ratione LEO iste tactus fuit, quod, si non dissimilis, vt SIDONIVS ait, APOLLONII fuit, sine dubio factum est, alios, qua auctoritate erat, in eius venerationem nullo negotio pertraxit. Plato in deliciis erat SIDONIO, quod ex quibusdam eius locis nuper docuit vir doctissimus, IO. HERM. ab ELSWICH.[14] Huius amor tantum APOLLONII amorem sine dubio procreauit. Sed praeter hunc complures id aetatis in PLATONIS sententias iurauerant. Quare plures etiam caussae fauisse APOLLONII, facilis coniectura est.

§. XXI.

Cui vero, cum haec ita sese habeant, *mirum* demum videbitur, sensim sensimque *nouis famam* eius Praesidiis munitam fuisse? Quod quintum excipiebat saeculum litteris veraeque sapientiae cum maxime infestum, Graecorum insulsitati et mendaciis faustum, et auspicatum erat. Hanc vero nationem, sic esse et fuisse adfectam, *quis* ignorat, vt in sanas fabularum substructiones leuissimis imponat fundamentis? Semel inter Christianos, bona APOLLONII fama inuecta erat. Duabus, quas in superioribus enumeraui caussis, tertia augendae illi maxime accommodata accesserat, doctorum et episcoporum in PLATONIS amor. His iactis fundamentis, nihil quam in-
ueres

[14] *Notis* ad LAVNOIVM *de varia Aristotelis fortuna* 181.

uentis addere facilius erat, iis praesertim quos insanus portentorum vexabat amor. Non omnes forte deficiebant, qui contra niterentur, ac Magorum ordini adscriptum fuisse, contenderent. Viri eruditi ANDR. CAESARIENSIS in IOANNIS visorum librum expositionem hoc saeculo ineunte in litteras relatam esse suspicantur. Illi vero malos genios ipsi familiares fuisse et responsa per eum dedisse, persuasum erat. *Ιστορειται πολλακις*, ait,[1] *γοητειαις λαλησαι δι εικονων, και ξοανων, και δενδρων, και υδατων, δια τε Απολλωνιυ δια τε ετερων, δαιμονας*. Nescio an de statua APOLLONIO dedicata, qua de supra iam ex Auctore *Quaestionum et Responsionum ad orthodoxos* retulimus, haec accipienda sint. Id vero scio in vertendis illis THEODORVM PELTANVM tota via errasse, qui ab ANCREA nostrum veluti testem compellari putauit. Sic vertit: *Narrat* APOLLONIVS *et alii confirmant, daemones incantationum et praestigiarum vi per imagines et statuas, per arbores rursum et aquas, perque alia eiusmodi saepenumero loquutos*. At qui Graeca tantum adtigerunt, hunc esse sensum sine difficultate intelligunt: *Memoriae proditum est, daemones nonnumquam Magicis artibus per imagines, opera sculptilia, arbores et aquas, quin et per* APOLLONIVM *aliosque loquutos esse*. Si qui plures hac opinione tum exstiterunt, paucissimi, si cum eius patronis contendantur, fuerunt, quibus infinitam istam garrulorum et mentientium turbam comprimere non licuit. Omnibus itaque modis ad immortalitatem

[1] *Comm. in Apocalypsin* p. 48. ed. *Peltani*.

litatem fama eius grassabatur, novasque veluti neruos quotidie nanciscebatur. De *imaginibus telesticis* fabula inprimis instruebatur et augebatur. Quibus ab homine ista fieri potuisse sine geniorum quodam auxilio incredibile videbatur, ignorantiae parata erat accusatio. Naturalis scientiae beneficio, quae prodigiosa et supra omnem fidem insignis in eo fuerit, omnes istas imagines fabricatas esse, publice defendebatur. Referunt viri eruditi ad sextum a seruatore natum saeculum auctorem *Quaestionum et Responsionum ad Orthodoxos*, qui inter Ivstini M. opera relatus est. Illi quidem quaestionem istam: Qui fieri potuerit, vt machinae illae ad repellanda mala ab Apollonio collocatae tantum efficerent, nec a Deo tamen abolerentur? hunc in modum soluere visum fuit.[a] Ο μεν Απολλωνιος, ως ανηρ επιστημων των φυσικων δυναμεων, και των εν αυταις συμπαθειων τε και αντιπαθειων, κατα ταυτην την επιστημην τα τελεσματα εποιειτο, ου κατα την θειαν αυθεντιαν. διο εν απασι τοις αποτελεσμασιν εδεηθη της των επιτηδειων υλων παραληψεως, συνεργουσης αυτω προς την του τελουμενου εκπληρωσιν, ο δε Σωτηρ ημων, Χριστος, κατα την θειαν αυτου αυθεντιαν ποιωντα θαυματα ουδαμως ελεηθη υλης. *Apollonius quidem, ut vir naturalium virium peritus, et rerum, quae in eis sunt, tum repugnantiae, tum cognationis sciens eiusmodi scientiae effectus edidit, (seu potius; figuras telesticas construxit) non diuina id potestate fecit. Quam ob caussam in effectibus omnibus opus illi fuit congruentis materiae adsumtione, ad id, quod efficiebat, complendum,*

[a] Quae sequuntur verba, supra legere poteris, §. V.

dum, ipsum opera sua adiuuantis. Seruator autem noster CHRISTVS *miracula diuina potentia sua exhibens, haudquaquam materiae indigens fuit.* Elucet ex his verbis, dubitandi et haesitandi locum nonnullis rumores istos fecisse. Neque tamen doctos etiam viros, qualis pro temporum istorum ratione hic erat, fabulae fidem derogare, sed potius sibi ipsis ignorantiae dicam scribere et ad, nescio quam eruditionem, arcanam confugere voluisse, ne vlla scilicet homini tanto iniuria inferretur. Omnia igitur Graecorum scripta his personabant rumoribus. Nemo fere Historicorum eius gentis ab eo tempore ad nos peruenit, qui in eam rem multum facere verborum neglexerit. Hinc et nummi illi haud dubie nati, qui effigiem exhibent APOLLONII, quosue omnes e *contorniatorum*, vt vocant, ordine esse doctissimi viri me edocuerunt. Absonum videlicit nationi videbatur, quae in suorum profusissima laudes esse solet, cuiue nihil incredibile videtur, quod auctore Graeco quodam perfectum fertur, aliquid omittere, quod ad amplificandam ciuis sui gloriam valere posset.

Haec habui, quae de APOLLONII dicerem *existimatione*. Quorum quidem non plane nullam vtilitatem esse, primo statim Dissertationis membro planum a me factum esse, memini. Quod recentioribus in eadem caussa temporibus accidit recensere, haud adeo necessarium duco. Celeberrimum adhuc hodie eius esse nomen, moxque erigi, mox deprimi, ii tantum ignorare possunt, qui innumeros libros pro sacrorum nostro-

rum veritate compositos nesciunt. Exstiterunt in Britannia, qui deploratos et improbissimos HIEROCLIS conatus renouandos sibi sumserunt. Fuerunt alii, qui id sibi datum crediderunt, vt famam eius omni modo contaminarent et polluerent. Quod quidem nullo modo melius potuisse fieri putarunt, quam si genios ad aeternas tenebras damnatos administros eius fuisse adseuerarent. Sed nec ii desiderantur, quorum studio purgata eius fama et defensa fuit, quos inter NAVDAEVS eminet. Ego quidem ab his omnibus enumerandis hic mihi abstinendum esse opinor.[3] Praeterquam enim, quod eorum tanta in hoc negotio non sit auctoritas aut opportunitas, quanta quorum vestigia ex antiquitate possunt repeti, notiora sunt pleraque, quam vt enumerationem necessitas suadeat. Interea, qui fortassis earum rerum ignari sunt, praecipua ex *celeberrimi* OLEARII, quam PHILOSTRATO praefixit, de APOLLONIO Dissertatione haurire possunt.

[3] Vide interim Notas Ill. Auctoris nostri ad Cudworthi Systema Intell. Cap. IV. §. XV. p. 304. ff. (M.)



DE

DE
SCRIPTIS
APOLLONII TYANAEI
BREVE SPICILEGIVM.

DE SCRIPTIS APOLLONII TYANAEI. *

Argumentum.

Des χρησμοις Apollonii, quos SVIDAS ei tribuit: de quibus ad vera eius scripta non pertinere, docetur. §. I. *Dogmata Pythagorae* male ipsi adscribuntur, cum *Herculis Trophonii* aut *sacerdotis eius* sint. §. II. *Vita Pythagorae*, quam scripsisse dicitur, diuersa est ab his dogmatibus. Incertissimum quoque est, an auctor huius vitae fuerit? §. III. De *diuinatione ex astris Libros* paucis cognitos fuisse ex Philostrato docetur. §. IV. νυχθημερον *Apollonii* ex *Gaulmini* ad *Psellum* notis exhibetur. §. V.

§. I.

Appendiculam proxime praecedenti Dissertationi hoc capite addam, eaque, quae de *Scriptis Apollonii* post eruditissimos viros mihi obseruata sunt, pauca quidem sed non inutilia forte, chartae mandabo. Exhauserunt fere, quae de illis dici poterant, summi viri, IO. ALB. FABRICIVS [1] et GODOFR. OLEARIVS. [2] Quorum eruditis laboribus num, quae breuibus hic exposituri sumus supplementi loco possint esse, alii viderint. Breuem operum Apollonii indicem SVIDAS dedit, quem, quo dicenda melius intelligantur, hic describam: [3] συνεταξε δε, ait, τοσαυτα τελετας, η περι θυσιων, διαθηκην, χρησμους, επι-

* Index hic cap. IV. *Obseru. Sacr. et Histor. Crit.* p. 383. exhibetur. (M.)

1 *Bibl. Graec.* Lib. IV. P. II. c. XXIV. p. 60. 61.

2 *Diss. Apollonii epistolis praefixa*, p. 380. f.

3 Voce Απολλωνιος, Tom. I. p. m. 376. ed. *Porti*.

ἐπιστολὰς, Πυθαγόρε βίον. Praetermisit quaedam, sed a me non repetenda, quoniam quae de illis moneam, vix habeo. Ab oraculis, quae ipsi tribuit, χρησμοὺς vocat, exordiar. Celeb. FABRICIVS ea non diuersa esse coniicit a praedictionibus illis, quas GEORG. CODINVS aeneis eum columnis Byzantii insculpsisse perhibet.[4] Nolim huic suspicioni quidquam derogare. Si tamen obtineat, e scriptorum APOLLONII numero has vaticinationes expungendas esse, crediderim. Iis enim, quae de *figuris telesticis* eius alio loco disserui, id, ni fallor, consequutus sum, vt quae ab eo Byzantii gesta traduntur, iure optimo non suspecta, sed falsa censeri debeant. Nullus praeterea eorum, quorum alioqui leuitati ridicula illa de auerruncis eius imaginibus commenta debemus, harum columnarum meminit. Soline igitur CODINO, homini imprimis stolido, fidem habebimus? Absit. Nihil erit tam absurdum quod in animum non sit admittendum, vbi semel adfirmanti Graeculo cuidam credendum esse putauerimus. Sed hi tamen χρησμοὶ in memoriam mihi reuocarunt, memorabilem IVSTINI locum, in superioribus iam descriptum, quo statuam APOLLONIO dedicatam oracula olim reddidisse memoriae prodidit.[5] Cui mores istius aeui perspecti sunt, hoc a veritate haud remotum videbitur. Habebat Graecia plurimis in locis fatidicas eiusmodi statuas, quarum ope religiosi impostores plebem emungebant. Nec facile quisquam erat, cui singularis quaedam virtus viuo adfuisse credebatur, cuius vita functi ima-

[4] De *Originib. Constantinop.* p. 30. ed. *Lambecii.*
[5] *Quaest. et Resp. ad Orthod.* quaest. XXIV. p. m. 465.

imago miraculis non inclaresceret. De Nerillini cuiusdam, quod in vrbe Troade erat, simulacro Athenagoras haec habet:[6] Εἰς δ' ἑαυτὸν καὶ ἰᾶσθαι νοσοῦντας νομίζεται. Peregrini et Alexandri cuiusdam statuas iisdem insignes fuisse prodigiis, idem memorat.[7] Ne de aliis hic aliquid dicam, quarum magnus ex veterum monumentis numerus colligi potest. In eam igitur aliquando cogitationem veni, an hi Svidae χρησμοὶ scita ista aut oracula fuerint, quae statua Apollonii, aut sceleratus quidam impostor per eam, ediderit. Fieri potuit, vt ab otioso quodam ea colligerentur ac coniunctim luci exponerentur. Obscurior vero haec res, quam vt certi aliquid possit statui. Id exploratum habes, siue cum doctissimo Fabricio ad Codini columnas confugiamus, siue statuam eius in partes vocemus, siue denique recentiorem quemdam nugatorem sub eius nomine eiusmodi quid composuisse suspicemur, quod postremum fortassis veri est simillimum, nullum his oraculis inter scripta vera Apollonii locum concedi posse.

§. II.

Idem quoque dogmatibus Pythagorae quae Hadrianvs, Imperator, Antii postea dedicauit, statuendum esse arbitror. Nullam enim rationem video, ob quam viri docti scriptis hominis ea adiunxerint. Quantum ego ex Philostrato intelligo, non eum, sit Hercvlem Trophonivm, cuius ex antro responsi loco ea adtulerat, auctorem habu-

[6] Legat. pro Christianis §. XXIII. p. 107. ed. Oxon.
[7] Loc. cit.

Haec scriptoris verba sunt:[1] ἀνέσχη γὰρ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ φέρων βιβλίον προσφορώτατον, ὁ μὲν γὰρ κατῆλθεν εἰπὼν, τίνα, ὦ Τροφώνιε, καὶ σὺ τήν τε ἀρίστην καὶ καθαρωτάτην φιλοσοφίαν ἡγῇ; τὸ δὲ βιβλίον τὰς Πυθαγόρου εἶχε δόξας, ὡς καὶ τοῦ μαντείου τῇ σοφίᾳ ταύτῃ ξυντιθεμένου. *Nempe die septimo inde emersit libellum ferens conuenientissimum interrogationi. Descenderat enim interrogans: Quamquam a Trophoni, tu quoque optimam et purissimam philosophiam esse putas? Continebatque libellus opiniones Pythagorae, quasi oraculo etiam illi philosophiae suffraganti*, aut potius, vt haec verba vertenda esse arbitror, *ita vt et oraculum Philosophiae illi suffragaretur*. Igitur, si quid video, in his dogmatibus nihil APOLLONII ingenio tribuendum est. Responsa erant Numinis, in tabula illa, quae, pro oraculi huius more, is, cum in antro versaretur, audiuerat ac in litteras retulerat. Quae quidem eodem iure in operibus eius haberi possunt, quo quae Clarius olim APOLLO aut AMMONIVS IVPITER cecinit, consultantium dici queunt carmina. Non me praeterit, doctissimum OLEARIVM in ea fuisse opinione, quod Apollonius libellum hunc Herculi obtulerit, non ab eo acceperit.[2] Nil vero caussae video, quod, vt ita sentiret, celeberrimum virum impuleret. Aperte PHILOSTRATVS descendentem in antrum, vt Numinis de vera Philosophia mentem exploraret, nihil, adscendentem autem libellum hunc manu tenuisse refert. Ipsa deinceps quaestio Herculi proposita hoc confirmat. Non quae

[1] Lib. VIII. c. XIX. p. 363. 364.
[2] *Dissert.* iam laudata p. 380.

rit de PYTHAGORAE, sed generatim de omni Philosophia. Quod si vero libellum, in quo PYTHAGORAE placita descripta erant, Deo obtulisset, sic eum interrogare debuisset: Annon haec quam descriptam teneo PYTHAGORAE philosophia praestantissima omnium tibi videtur? Rationes et consuetudinem oraculi huius ne arcessam quidem. De quibus si vir egregius, cum scriberet, cogitasset, rectius procul dubio sensisset. Res apertissima est, nec plurium verborum indiget.

§. III.

Ex his quoque intelligitur, doctissimos viros, qui *βιον Πυθαγορε*, quam SVIDAS ei tribuit, et haec *dogmata* non diuersa esse censent, errare. Rectius sine dubio pronuntiassent, nisi diligentiam eorum IAMBLICHI et PORPHYRII loca effugiissent, quibus illi vitae huius Pythagorae ab Apollonio conscriptae meminerunt, atque ita meminerunt, vt fragmenta ex ea adferant. Iamblichius quidem simpliciter APOLLONIVM de PYTHAGORA commentatum esse refert, haud aliter, ac si liber in omnium tunc fuisset manibus.[1] Floruit is vero, cum CONSTANTINVS M. rem publicam administraret. Praeter ea ab aliis eum saepenumero dissentire, *και πολλα προστιθεσθαι των μη ειρημενων*, *mutaque ceteris indicta adiicere* adfirmat. Apertius alter PORPHYRIVS. nimirum APOLLONIVM *εν τοις περι Πυθαγορε* laudat, simulque diligentia reliquos vitae huius scriptores eum superasse productis ex eo locis haud obscure indicat.[2] Ab hac igitur PYTHAGORAE

[1] *De vita Pythagorae* Sect. CCLIV. p. 203. 204. ed. *Küsteri.*
[2] De vita Pythag. c. II. p. 5. ed. Küsteri.

GORAE *vita* toto coelo *dogmata* iſta differre perſpicuum eſt. Neque etiam hoc dubitatione careret, non alium a noſtro APOLLONIO eius eſſe ſcriptorem. SVIDAS certe, qui adfirmat, tantum apud me non valet, vt auctoritatem eius deſerendam eſſe negem. Multo minus hoc me commouet, quod PYTHAGORAE diſciplinae hominem addictum fuiſſe conſtat. Difficulter vero mihi perſuadeo, PHILOSTRATVM aut reliquos vitae eius ſcriptores praeterituros fuiſſe, cum alias eius lucubrationes diligenter commemorauerint, ſi eiusmodi ſcriptum exſtitiſſet. Sub initium ſtatim fabuloſi operis Atticus, quem dixi, Rhetor, *τους επαινουντας τον Σαμιον Πυθαγοραν* in partes vocat, ex iis multa, quae ad laudes PYTHAGORAE pertinent, narrat. Quis dubitet, ſi APOLLONIVM in horum eſſe choro cognouiſſet, eum verbulo ſaltim id indicaturum fuiſſe? At ſic loquitur, vt ad aures ſuas nihil de eiusmodi ſcriptione peruениſſe, manifeſto doceat. Idem eo loco, quo *de dogmatibus Pythagorae* ex TROPHONII *antro* ab eo relatis differit, pulcerrimam vitam hanc commemorandi occaſionem habuiſſet. At ibi quoque ſilet. Quod ſilentium hoc certe probat, tum cum iſte ſcriberet, nihil de eiusmodi opere inter homines auditum fuiſſe. Qua vero ratione, ſi quidem exſtitiſſet, viri huius diligentiae ſeſe ſubducere potuerit, cui nec voluntas, nec facultas omnia eius perueſtigandi deerat, nemo facile dixerit. Ipſa, quae laudaui, IAMBLICHI et PORPHYRII loca TYANAEO noſtro opus hoc abiudicare videntur. Vix credibile eſt, eos tantum virum, a cuius non alieni erant placitis, ſine prae-

conio

conio dimissuros fuisse. Multo minus hoc explicari potest, quare cognomen eius, ο Τυανευς, quo ab aliis plerumque distinctus fuit, cum nomine eius haud coniunxerint? His omnibus ego quidem prope adducor, vt alium quemdam *Apollonium*, nostro haud paullo obscuriorem, in conscribenda Pythagorae Historia operam collocasse existimem? Nominis adfinitas nostrique in Samii illius opinionibus propugnandis ardor, facillime scriptorem, quem SVIDAS secutus est, decipere potuerant. Nec incongruum huic videri poterat, Tyanaeum vitam eius, quo magistro constanter vsus erat, cuiusue mores tota vita exprimere studuerat, scripto illustrasse commentario. Sed fortassis V. C. FRANC. BLANCHINVS ea, quam in superioribus commemoraui, epistola hoc etiam pluribus discussit negotium.

§. IV.

περι μαντειας αςερων quatuor eum composuisse libros, ex Indorum Philosophorum disciplina DAMIS et MOERAGENES; post hos PHILOSTRATVS testatur.[1] Postremi huius verba, quibus de hoc opere agit, num recte a doctissimis viris intellecta sint, dubito. Haec sunt: και ξυγγραψαι μεν ενειθεν περιμαντειας αστερων βιβλυς τετταρας, ων Μοιραγενης επεμνηθη. *Damis tradit, scripsisse eum de astrologica diuinatione libros IV. quorum etiam*[2] *Moeragenes meminit.* Pergit paullo post, cum operis eius περι θυσιων etiam mentionem fecisset. τα μεν δη των αστε-

[1] L. III. c. XLI. p. 130. ed. Lips.

[2] Vocula haec in MORELLI et OLEARII versione male omissa est.

αστερων, και την τοιαυτην, μαντικην πασαν υπερ την αν θρωπινην ηγυμαι φυσιν, ουδ' ει κεκτηται τις οιδα. *Astrorum igitur scientiam quidem atque omnem huius generis diuinandi artem humanae naturae metas excedere puto, neque an quispiam possideat, satis scio.* Haec vltima sunt, quae attendi volo Doctissimi viri de arte diuinandi, cuius an aliquis mortalium particeps esset PHILOSTRATVS se nescire dixisset, ea capiunt. Mihi vero, quod pace eorum dixerim, verisimilius videtur, de APOLLONII libro, quem de hac arte scripserat Historicum loqui. Quae haec verba, quae iam exscripsi, excipiunt mihi hoc persuasere: *το δε περι θυσιων εν πολλοις μεν ιεροις, ευρον εν πολλαις δε πολεσι.* Non concinne satis cum antecedentibus haec cohaerent, si in illis de diuinatione agi putemus. Optime vero, si de libro interpremur ipso. Id dicere vult nimirum, an illud volumen, quispiam possideat, sese ignorare: at, quod de *sacrificiis* conscripserit, variis in locis a se repertum esse. Liber opponitur libro, non liber scientiae.

§. V.

Omiserunt inter scriptiones APOLLONII viri νυχθημερον illud, quod ei tributum, *at ex Iudaeorum libris totum descriptum esse*, qui primus edidit, GILB. GAVLMINVS testatur.[1] Caussa ipsis sine dubio haec fuit, quoniam aperte confictum et a recentiori quodam nugatore exclusum est. Nobis vero quid obstat, quo minus perbreuem ac lepidum libellum hic describamus? Testimonium erit famae illius, qua serioribus saeculis floruit, cuius-

[1] *Notis* ad L. III. *de vita et morte Mosis* p. 206.

cuiusue ſapientiae auctor tum ac parens fuit habitus, docebit. Ii nempe, qui arcanis ſe dediderant artibus, ab hoc potiſſimum Magiae praecepta repetenda eſſe putabant. Accipe ipſas nugas, quas Gilb. Gavlminvs, vti dixi, e codice manu exarato publici iuris fecit.[2] Conſtat XII. horis.

I. Εν η δαιμονες αινȣντες (lege υμνȣντες vel αινȣντες) τον Θεον, ȣτε αδικȣσιν, ȣτε κολαζȣσιν.

II. Εν η αινȣσιν οι ιχθυες τον Θεον, και το τȣ πυρος βαθος, εν η οφειλει ϛοιχειουσθαι αποτελεσματα εις δρακοντας και πυρ.

III. Εν η αινȣσιν ο Φεις και κυνες και πυρ.

IV. Εν η διερχονται, δαιμονες εν τοις μνημασιν, και ο ερχομενος ο εκεισε βλαβησεται, και φοβον και φρικην εν της δαιμονων λεψεται φαντασιας, εν η οφειλει ενεργειν επι μαγικȣ και παντος γοητικȣ πραγματος.

V. Εν η αινȣσιν τα ανω υδατα τον Θεον τȣ ȣρανȣ. (aquae ſupracoeleſtes tabula marmoris mundi Hebraeorum.)

VI. οτε δεον η συχαζειν και αναπαυεσθαι, διοτι εχει φοβον.

VII. Εν η αναπαυει παντα τα ζωα και εαν τις καθαρος ανθρωπος αρπασιν και βαλλη αυτο ο ιερευς και μιξει Ελαιω και αγιαση αυτο και αλειψη απ᾽ αυτȣ ασθενη, παρευθο της νοσȣ απαλλαγησεται.

VIII. Εν η αποτελεσμα ϛοιχειων και παντοιων φυτων.

IX. Εν η τελειται ȣδεν.

X. Εν

[2] Not. ad *Pſellum de operationib. daemon.* p. 98.

X. Εν ῃ ανοιγωνται αι πυλαι τȣ ȣρανȣ και ανθρωπ[os]
εν κατανυξει ερχομενος ευηκοος γενησεται.

XI. Εν ῃ πετονται ταις πτερυξιν συν ηχω οι αγγε-
λοι και Χερȣβιμ και Σεραφιμ, και εσω χαρα εν
ȣρανȣ, και γη ανατελλει δε και ο ηλιος εξ Αδαμ
(lege εδεμ.)

XII. Εν ῃ αναπαυονται τα πυρινα ταγματα.

Vide quantarum rerum otiosi homines Apollonium magistrum fecerint. Versionem, cum facilia omnia sint, addere nolui. Ceterum ad quem Apollonium pertineat illa Iachaei Christiani et Apollonii *philosophi altercatio*, quae in Isaaci Vossii Bibliotheca fuit,[3] ignoro. Ad nostrum etiamsi referretur, referendam haud esse certus sum. In *epistolas* denique Apollonii Observationes alio loco a me expecta.

[3] Teste Colomesio Catal. MSS. Vossii in opp. p. 880. Edita est a Luca Dacherio *Spicil.* Tom. X. in *Add.* vid. Ittig de *biblioth. patr.* p. 236.



DE

DE IMAGINIBVS TELESTICIS QVAS APOLLONIVS TYANAEVS CONFECISSE DICITVR

AD

VIRVM CELEBERRIMVM

MATVRINVM VEISSIERE LA CROZE

DVM INTER MORTALES DEGERET

POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI

AB ANTIQVITATIBVS ET BIBLIOTHECA

EPISTOLA.

DE IMAGINIBVS TELESTICIS APOLLONII TYANAEI. *

Argumentum.

Occaſio diſſertationis. §. I. Imaginibus magicis multa miracula patraſſe dicitur Apollonius, ſed falſo. §. II. Scriptores, qui eius aetatem adtigerant, et ipſe Philoſtratus, de iis ſilent. §. III. Repugnat temporis ratio. Itinera Apollonii. Ter Romae fuit. Parum conuenit illis, qui ſtatuarum illarum meminere, cum Philoſtrato. §. IV. Neque Hierocles, cuius heic hiſtoria illuſtratur; illarum mentionem fecit. §. V. Factum illud eſt demum ſeculo quinto vel ſexto. Locus Iſidori Peluſiotae illuſtratur. §. VI. VII. Teſtimonia eorum qui illas imagines commemorarunt, examinantur. §. IIX. IX. X. Vnde euincitur, quae de illis narrantur accenſenda eſſe fabulis. §. XI. Fabulae origo. Thonis non fuit inter Apollonii diſcipulos. §. XII. Concluſio. §. XIII.

§. I.

Memini, *vir ampliſſime*, ante ſemeſtre fere [1] *Te* a me poſtulaſſe, vt eorum, quae me in PHILOSTRATVM ac de APOLLONIO TYANAEO commentatum eſſe, ſcripſeram, in hac pſa Bibliotheca ſpecimen ederem. Lubentiſſine TVIS tunc paruiſſem iuſſis, niſi innumera,

 quibus

* Exhibuit hanc Diſſertationem epiſtolicam primum BIBLIOTHECAE BREMENSIS *Claſſis III. Faſciculus primus* p. 1. ſſ. Confer cum hac diſſertatione *Obſeruationes* auctoris *ad Cudworthi Syſtema Intellectuale* c. IV. §. XV. *Not.* 18. p. 309. ſſ. (M.)

1 Litteris XVII. Kal. Septembr. A. MDCCXVIII. datis.

quibus saepe premor, negotia, corporis imbecillitas, aliaque obstitissent. Opportune vero hisce diebus, quibus ob fractas plane vires publicis ac ordinariis laboribus vacare non poteram, horum mihi denuo in mentem venit. Quapropter nullas diutius moras interponere volui, quo minus dicto Tibi audiens essem; sed haec, quae vides, in litteras, debili licet manu, referre statim coepi, vt ex iis de toto opere, quod in Philostratum ac de Apollonio ab aliquo tempore molior, iudicare posses. Sunt mihi quam plurima hanc in rem obseruata, quae aut alii prorsus neglexerunt, aut minus curate pertractarunt. Illud tamen de *telesticis* Apollonii *imaginibus* argumentum prae ceteris selegi, de quo ad Te paullo plenius dissererem, quod Tu mihi illius excutiendi vnus omnium auctor fueris. Illa scilicet verba Tva, quibus in litteris, *pridie* Idus februarii A. MDCCXVIII. ad me datis, vtebaris: *absit vero et a te et a me, vt fabulas illas, quas sequioris aetatis Graeci et Latini de Telesmatibus, Byzantinis, et aliis Apollonii confinxerunt, pro veris adoptemus.* Haec, inquam, verba Tva me potissimum excitarunt, vt, quibus omnes hae narrationes fundamentis niterentur, diligentius inquirerem. Fructus, quem cepi, qualiscumque industriae, hic est, quem Tibi, *vir amplissime,* nunc affero. Tv, quaeso, ex eo iudicium feras, an in lucem protrahenda, an vero tenebris deuouenda sint, quae *de fide historica* Philostrati, *de existimatione* Apollonii, *de Apotheosi ipsius*, quam numquam esse factam, liquido ostendam, aliisque maximam partem ab aliis relictis, mihi fuse adnotata sunt.

§. I.

§. II.

Mira plane ac ſtupenda plurimos noſti narrare de magicis illis, quas impoſtor hicce maximus collocauerit, imaginibus.[1] Hic numen illud fuit ſalutare, quod, ſtatuis maxime virtutis poſitis, ſerpentum, inſectorumque vim ab Antiochenſium capite depulit, terraeque motus ſedauit. Hic arte eadem Lycum amnem cohibuit: hic equos ferocientes Byzantii quieſcere iuſſit. Hic ventum aquilonarem, arcano quodam monumento compeſcuit. Hic ſingulari quadam ratione tot alia mala, Antiochiae praeſertim et Byzantii, ſuſtulit, vt, vix pares tantis beneficiis gratiae referri poſſint. Quorum hic quidem numerum inire nolo, quod in vulgus nota ſint, et ex pluribus peti poſſint ſcriptoribus. Ferenda eſſent haec narrationum portenta, aniculis certe, ſi non aliis, profutura, niſi, vt eis fidem haberent, quam plurimi fere adducti eſſent, eruditiſſimi quoque viri. Nullus ſaltim quantum ego noui, hodie eſt, qui vrbes Graeciae circulatorem illum Apollonivm obiiſſe, variisque huiusmodi ſtatuis nomen famamque conſceutum eſſe, dubitet. Ipſi illi ſummi homines, quibus in perueſtiganda Apollonii vita praecipua laus debetur, Tillemontivm dico,[2] Olearivm,[3] Dv Pinivm,[4] aliosque, rei veritatem nullo modo impugnant.

 Diſ-

1 Vid. Celeb. Arpivs libro de Taliſmanibus cap. I. pag. 24. 25. 26.

2 Hiſtoire des Emper. T. II. p. 200. ed. Bruxell.

3 Diſſ. de Apollonio, Philoſtrato praemiſſa, conf. notas p. 112. 147. et reliqua.

4 Libro peculiari Gallico, Pariſ. 1707. 12. edito. Addi his poteſt P. Baylius Diction hiſtor. Tom. I. p. m. 310. 311.

Diſſentiunt, an malarum mentium auxilio haec omnia praeſtiterit? an vero fumos hominibus praeſtigiis ſuis vendiderit? an denique naturalis ſcientiae, quam in eo magnam fuiſſe adfirmant, miracula haecce tribuenda ſint? In re ipſa ſatis conueniunt. De cauſſis ergo diſputant: effectum indubitatum eſſe cenſent. Ego vero nec daemones huc accerſam, nec artes circulatorias excutiam, nec eruditionem naturalem commemorabo. Valeant cauſſae cum effectu, et ad Aborigines tota haec abeat narrationum ſeries. Mihi enim tantum eſt audaciae, vt haec omnia non poſtremum in mendaciis locum occupare contendam. Ignoſcant mihi illi, qui qualitates occultas, artemque teleſticam ſemper in ore habent. Lapides me illis loqui video, quibus neſcio quod decus ac praeſidium Ianus hic videtur homo. At nil mirum eſt, me, qui hiſce non initiatus ſum myſteriis, liberiorem ſententiam dicere. Neque tamen nunc diſputo, huius generis imagines numquam exiſtiſſe, quibus vulgus maximam adſcripſerit efficaciam, Apolloniogue tribuerit. Poſſem id forſitan: at diſquiro tantum, vtrum illae vere ab Apollonio profectae fuerint? Nullam huius doctrinae, ſi quidem doctrinae nomine nugarum cumulus appellandus eſt, virum illum notitiam habuiſſe, nunc non adfirmo. Non enim cum Indiae ſapientibus celeberrimis ſomniorum horum magiſtris, verſatum fuiſſe, ignora, et ἀγαλμα ἀποτρέπαι Epheſi aduerſus peſtem dedicaſſe, ex Philostrato[5] didici. *Praecipuum illius magiſtrum ex*

Gr-

[5] Lib. IV. c. X. p. 147. Vtor Editione noua Lipſienſi

Graecos enim fuisse, id quod celeberrimo viro[6] visum fuit, eaque, quae Antiochiae et Byzantii miranda perfecisse putatur, fecisse nego. Nec a veritate adeo aberrasse Io. SELDENVM[7] existimo, qui in Graecia APOLLONII nostri tempore τελεσιικὴν non admodum fuisse notam, statuit.

§. III.

Non longis, *vir amplissime*, in hanc rem verborum ambagibus opus erit. Id mihi concedatur, quod aequiorum nullus post Io. LAVNOIVM[1] vlli denegandum putauit, reiicienda esse, vt fabulosa, quibus et aequalium scriptorum; et eorum, qui per ducentos inde floruere annos, auctoritas desit: addo in hac caussa ipsorum Panegyristarum. Huius enim numeri omnes istas inficetas de his APOLLONII statuis narrationes esse, iam demonstrabo. Qui de eo primus quidquam scripto consignauit DAMIS est itinerum eius, vt ferunt, perpetuus ac indiuulsus comes. Tuto enim hic a me seponi potest controuersia, alio loco peroranda, an DAMIS hic vmquam exstiterit, aut commentarius quosdam de vita magistri sui scriptos reliquerit? sequuntur MAXIMVS et MOERAGENES, vterque temporibus hominis proximus, vterque rerum eius ex instituto scriptor: Hi omnes prodigiosa illa opera penitus ignorarunt. Qui enim ex eorum laboribus suas locupletauit chartas PHILOSTRATVS, ac quae memoranda videbantur, studiose transtulit, non certe praetermisisset, si de his quaedam habuissent. Hoc ipso

 non

6 Notis ad *Philostrati* L. III. c. XXII. p. 112.
7 Notis ad marmora Oxoniens. p. 51.
1 De auctoritate argum. negatiui p. 190.

non ineptiorem, non superstitiosiorem virtutum suarum praeconem noster habuit. Quinam, quaeso, dubium esse potest, hominem, qui, quod multis ostendam aliquando, quadrata rotundis miscebat, quo heroem suum supra homines eueheret: qui non historiarum, sed fabularum plane monstra tam anxie conquirit ac comminiscitur, vt mente captus hinc inde videri possit, hunc praetermissurum fuisse, quae tantopere ad viri existimationem facere poterant, si vel leuis quidam de his rebus rumor tum exstitisset? At enim, cum annales ille nobis sistat, longe Volusianis deteriores, ne verbulo quidem auerruncarum harum imaginum meminit. Num credibile est, *vir celeberrimi*, haec latere potuisse scriptorem illum, qui magnam terrarum orbis partem peragrauerat[a] nilque reliquerat intentatum, quo curate de APOLLONIO posset exponere? Quid vrbes commemorem, vbi viuus commemoratus erat noster? Quid templa, quorum collapsis fere rebus frequens hic Deorum cultor opem tulerat? Diligenter quidem in his omnibus memoria ipsius conseruata erat. Multa quoque cum PHILOSTRATO, id quod ipse tradit, de vita eius communicauerant. At vbi statuae illae? Nulla vrbs, nullus templorum sacerdos, nulli commentarii et annales his beneficiis mortales ab eo adfectos fuisse, narrauerant. Epistolae denique ipsius, quarum satis ampla collectio Historico lecta erat, tale quidquam ipsi non suggesserant. Quanta sodes, dubitandi causa, iis silentibus

[a] Ipse ita Lib. IIX. c. 31. p. m. 371. τάφῳ μὲν οὖν ἢ ψευδοταφίῳ τ' ἀνδρὸς οὐδαμοῦ προστυχὼν οἶδα, καίτοι τῆς γῆς, ὁπόση ἐστὶν, ἐπελθὼν πλείστην.

quorum omnes in eo verfabatur indu-
o ad pofteros talium memoria perue-

§. IV.

lam, quae de ftatuis hifce tot alii ne repugnare, quae apud PHILO- puum eius hiftoricum, de itine- fius leguntur? Adeo, vt aut il- endide mentiri, omnino necef- Byzantium illi nominant, vbi admi- his operibus famam praecipue fibi adqui- uerit. Sed cum cunctas eius migrationes curio- fe, licet tumultuarie, exponat, nulla vox huic excidit, quae vel commorandi diuerforium illic eum aliquando habuiffe indicet. Roma difce- dentem illi eo perueniffe noftrum volunt, ille fub CLAVDIO, hic fub DOMITIANO. Nec enim fatis fibi conftant efurientes Graeculi, quorum fide potiffimum haec facta nituntur. Byzantii multis imaginibus collocatis Antiochiam perre- xiffe narrant. Hac quoque arte fua nobilitata Se- leuciam petiiffe, indeque in Aegyptum commi- graffe. In fociis viri homines fuiffe diceres, tam diftincte ac curate cuncta explicant. At ve- ro vndecumque haec habuerint ex PHILOSTRATO certe non haufertunt, cuius hiftoriae nihil magis contrarium confingi poterat? Romam, vt ego quidem arbitror, tertio falutauit[a] CLAVDIO im-

 perante

[a] Nondum dextre fatis APOLLONII vita, vt a PHILO-STRATO narratur, peruefligata, nondum fatis apte, ordineque chronologico difpofita eft. Non fperno eru-ditiffimorum hominum, OLEARII praefertim ac Tille-niontii

perante ne conspexit quidem. Legitur inter eius epistolas Claudii, Augusti ad senatum Tyanensem

montii, labores: omnibus tamen numeris eos absolutos esse, vix mihi persuadeo. Historici illius, quo vix umquam inconcinniorem me legisse recordor, inscitia, stupor ac inertia doctissimis obfuerunt viris, quo minus omnia sine erroribus traderent. Consentiunt in eo, bis APOLLONIVM tantum Romam vidisse. Ac sane, si pressius quis PHILOSTRATI vestigiis insistere velit, quod hi procul dubio fecere, ita omnino statuendum esse, videtur. Ego vero, postea, quam omnia diligentissime excussi ac praecipue apologiam APOLLONII coram DOMITIANO dicendam cum illius historici rationibus contuli, in eam ingressus sum opinionem, tertio eum Romam fuisse profectum ac bis quidem sub Domitiano. Atque hoc luculenter hac occasione probabo, cum historiam ipsius noua quadam luce perfundat, ac PHILOSTRATI incuriam et sordes retegat. Maximum crimen, ob quod caussa ipsi Romae coram DOMITIANO dicenda erat, immolatio erat pueri, quam fecisse perhibebatur, quo ex illius extis NERVAE, ceterisque, qui nouas sub DOMITIANO res moliebantur, quid ipsis spei de abtinenda rerum summa superesset, praedicere posset. Quam primum ex Asia, vbi vitam docebat, Puteolos naui appulisset, vt Romam inde pergeret, DEMETRIVS, Cynicus ille Philosophus, hoc ipsi aperiebat. (vid *Philostratus* Lib. VII. c. XI. p. 287.) φασι δ', ait, ως παιδα θυσειας υπερ μαντικης, ην τα νεαρα των σπλαγχνων φαινει. Sequitur hinc fronte, hanc, quae ei obiiciebatur, immolationem factam fuisse, antequam ex Asia, vt a criminibus se purgaret, in Italiam venisset. De loco igitur quaerendum est, quo nefanda haec sacra peregisse eum volebant. Aperte vero pars illa Apologiae (vid. *Philostratus* Lib. VIII. c. VII. Sect. XII. XV. p. 345-351.) qua hoc crimen multis verbis diluit, indicat, non aduersarios in Asia, sed in ipsa vrbe facinus hoc ab eo commissum fuisse, criminatus esse. Neque Roma se tunc temporis abfuisse, quo hoc contigisse accusatores ferebant, APOLLONIVS disputat. Longe alio defensionis

ιensem de honoribus ipsi decretis epistola,[2] sed
alis, quam in *obseruationibus ad epistolas* TYANAEI
apertas

sionis genere vtitur. Romae se tunc vixisse; concedit: inde tamen se crimen hoc admisisse, non patere. Non extra vrbem se, aut etiam in suburbio eam noctem exegisse; sed domi se continuisse, veterique amico, PHILISCO MELIENSI, philosopho, grauiter decumbenti adfuisse. Testes huius rei medicos rogat aegroti discipulos, ac TELESINVM cum maxime consularem virum (§. XIII. XIV. p. 348. 349.) quorum vltimus hic certe sufficit. Certissime ex hic colligitur, antequam denuo accusationis suae caussa Romam proficisceretur, illic sub eodem DOMITIANO per aliquod tempus APOLLONIVM substitisse. Annus quoque designari potest, quo vrbem primum sub DOMITIANO accesserit. Exilium NERVAE Tarentinum, *Rufi*que ac *Orfiti* supplicium ob consilia in caput Augusti habita, quorum ille particeps dicebatur in A. C. XCIII. cadit. Doctissime id ostendit ANTON PAGI in *critica ad Ann. Baronii* ad A. C. n. IV. p. 85. 86. nosque vberius in tractatione de *historica fide Philostrati* probabimus. Credibile ergo est A. XCII. Romae primo fuisse APOLLONIVM. Vel hanc propter caussam Diui OLEARII calculus mihi se non probat, qui eadem A. XCII. Romae eum capitis dixisse caussam contendit. Metuo, ne nimium erga PHILOSTRATVM suum studium quem omnium errorum absoluere cupit, hanc computationem minus exactam, progenerauerit. Melius TILLEMONTIVS *Histoire des Emper.* T. II. p. 172. ad A. C. XCIV. Apologiam hanc refert. Quamquam et hic non omni ab errore immunis sit. Sed hanc caussam plenius alio loco. Qui factum sit, quod PHILOSTRATVS non distincte secundum hoc iter commemorauerit nisi forte generalia illa verba L. VI. c. XXXV. p. 272. huc quis trahere velit, quibus post reditum ex Aethiopia eum *περι Φοινικας και Κιλικας Ιωνας τε και Αχαιους και Ιταλους παλιν*, peregrinatum fuisse, tradit, alii viderint. Equidem suspicor, fraudis eum in hac omissione insigne documentum edidisse, qua de re alio loco.

2 N. LIII. p. 399.

apertas impoſtoris notas ſecum vehere docebo. Sub NERONE vrbem adiit. At hoc ad Graecos commeante, ad Hiſpanos commigrauit. DOMITIANI temporibus bis ibi fuit, vt in ſubiecta adnotatione euici. Liber primum, ac tunc in Aſiam minorem inde profectus eſt. Captiuus deinceps: cui quidem periculo ereptus in Graecia ac Ionia, quod reliquum erat vitae transegit. Nec auerruncis tamen ſtatuis fabricandis, ſed aliis longe rebus operam dedit. Antiochiae ter fuit. Primo quidem cum adhuc AVGVSTVS imperio Romanos regeret, admodum iuuenis. Caſtigauit tunc imperitiam vrbis illius, cuius ciues litterarum penitus expertes erant.[3] Non vero Byzantio, ſed aut ex Pamphilia, aut ex Cilicia, vbi quinquennalis ſilentii tempore potiſſimum vixerat, tum veniebat. Rediens ex India iterum hanc tranſiit vrbem. Nihil tamen temporis *in ea* conſumere voluit, quod iocis indulgeret *illiberalibus*, nullumque ſapientiaé ſtudiis pretium ſtatueret.[4] Neque tum Byzantium reliquerat. Peractis itineribus tertio eam inuiſit, ac de futura terrae commotione, ſi noſtro credimus fabulatori,[5] quaedam praedixit; at non ea, quae MALALAS, ceterique nugatores habent. Taceo Sardibus, vt nexus quidem narrationis ſuadet, eo tunc illum contendiſſe. Seleuciam praetereo, ne longiores in hac re moras traham. De Aegypto verbum adiiciam. Non mediocre fateor ſpatium in hac terra exegit. At num ſub DOMITIANO? Minime. VITELLIO VESPASIANO, TITO regnan-

[3] *Philoſtratus* Lib. I. c. XVI. p. 19.
[4] Lib. III. c. LVIII. p. 139.
[5] Lib. VI. c. XXXVIII. p. 274.

regnantibus.[6] Nec ex Seleucia, sed ex Piraeo soluit, cum eum peteret. Hac vmquam, *celeberrime vir*, quis maiorem narrationum discrepantiam vidit? Vtros vera credam dixisse? historicum APOLLONII, qui propior eius erat temporibus, plurimisque subsidiis instructus, aut ceteros, qui, praeterquam, quod iuniores sunt, nullos aut obscuri nominis testes citant? Equidem sic censeo, si prioris vacillare videatur fides, posteriorum plane rationem non habendam esse.

§. V.

Sufficerent haec, *vir celeberrime*, demonstrandae quam suscepi, rei. Attigi enim SEVERI iam tempora, quibus PHILOSTRATVS vixit, ac ad tertium adeo progressus sum saeculum. Sed pergam pace TVA in itinere, quod exorsus sum. Intermortua ferme iam erat APOLLONII fama, cum subito reuiuisceret, AVRELIANO fasces imperii tenente, cui, vt ferebat fama, singulari ratione apparuerat. STESICHORVS tunc, nisi falso mihi, quae apud SVIDAM legi, memoria, nunc repraesentat,[1] res eius scripto complectebatur, ac alii fortassis, quibus venalis erat calamus. Dicam de his, vbi de *existimatione* APOLLONII acturus sum, ac ipsam insimul visionem AVRELIANO oblatam, ac a VOPISCO expositam[2] curiosius examinabo.

[6] Lib. V. XX. p. 202. f.

[1] Fefellisse, cum haec fide memoriae scriberet, auctorem nostrum hanc fidem alioquin rerum custodem, memoriam, ipse fatetur in *Dissertatione de Apollonio Tyanaeo*, quae in hac Sylloge legitur, §. XVI. Not. [4]) Vbi, qua ratione corrigendus sit lapsus, vide sis. (M.)

[2] In *vita Aureliani* c. 24. T. II. Hist. Aug. p. m. 474-475.

nabo. Iam satis erit obseruasse, nondum ista aetate de statuis illis, quas impugno, quidquam auditum fuisse, nec de iis scriptores aliquid commemorasse. Posteriorum enim, qui eum concelebrarunt, aut eius meminere, diligentiam et oculos hoc minime effugisset. Ferebant sequentia DIOCLETIANI tempore HIEROCLEM quo nullus in Seruatorem nostrum commotior, nullus in hunc hominem studiosior repertus fuit, quem cum illo contendere inepto conatu moliebatur. [4] Hoc quis melius nosse poterat, quae ad nostrum pertine-

[4] Cum HIEROCLIS summi *Apollonii* admiratoris, historia cum huius rebus maxime coniuncta sit, hominis infausti, qui viam BLOVNTIO, aliisque miseris primus praeiuit, ac post PHILOSTRATVM famam eius potissimum euexit: non possum, quin hac occasione paucis eam illuminem, ac tempus praecipue, quo librum suum in Christianos scripsit, designem. Plurimos eruditorum munera eius non satis distinguere video, quin ex Nicomediensi iudice Alexandrinum factum esse praefectum simpliciter adfirmare. In incerto sic relinquunt, an hoc ita velint intelligi, quod Praeses Bithyniae fuerit, an quod iudicis ac vicarii officio Nicomediae tantum functus sit? vid IO. PEARSONI *prolegom.* ad *aurea carmina Hieroclis Comm.* §. VIII. IX. Andr. DACIERIVS *prolegom. ad Gall. version. aureor. Carm.* p. 239. et alii. Horum errorem ambiguitas verborum tolerabiliorem reddit. Apertius doctiss. peccat OLEARIVS *notis ad Eusebium, adde Hieroclem* p. 432. 445. vbi se in ea fuisse opinione non obscure docet, praesidem Bithyniae *Hieroclem* non egisse, sed ex iudice Nicomediensi statim ad praefecturam Alexandriae euectum fuisse. Non succurrebat forte celeberrimis viris, LACTANTII locus *de morte persecut.* c. XVI. p. m. 1081. de *Walchii*, quo DONATVM suum sic alloquitur. *Nam cum incidisses - - - - in Hieroclem ex vicario praesidem - - - - documentum omnibus inuictae fortitudinis praebuisti.*

pertinerent, viro in illustri dignitate constituto, Augustorum DIOCLETIANI et MAXIMILIANI familiari,

fuisti. Vicariatus officium est, quod idem LACTANTIVS *diuin. institut.* Lib. V. c. II. p. 502. innuit, *cum e numero iudicum* (qui in christianorum nempe capita pronuntiabant Nicomediae) *eum fuisse*, ait vnde sine dubio viri optimi haesitandi caussam habuere. Sed tempus, quo muneribus hisce praefuit, ac virulentum illum, quo APOLLONIVM cum CHRISTO contulit, libellum composuit, iam explicatius notabo. Facem praeferet EVSEBIVS libro de *martyribus Palestinae*, ad calcem L. VIII. *Hist. Eccl.* Cap. V. p. 326. ed. *Valesii* (ex diuisione *Th. Ruinarti* in *actis martyrum* C. XIV. p. 322. ed. *Wetsten.*) vbi celeberrimum *Christi* testem, *Aedesium*, tertio anno adflictionis DIOCLETIANI, Alexandriae HIEROCLE praefecto, supremo supplicio adfectum fuisse, narrat. Fateor, HIEROCLIS nomen diserte ibi non legi: nullam tamen video caussam, cur non Graecorum *Menaeo* ac Methaphrasti vitae *Aedesii* fidem habeamus, qui HIEROCLEM praesidem illum fuisse aperte dicunt, in quem martyr hicce ob indomitum in Christi sectatores furorem acerbe inuectus sit, vid. *Valesii notae in Eusebium* p. 177. Tertius hic annus vexationis DIOCLETIANI idem est cum A. C. CCCV. cetera igitur iam facili negotio explicabantur.

A. CCCII. inter aulicos Nicomediae HIEROCLES degit, ac inter eos procul dubio *iudices* erat, qui rogati sententiam ab Augusto, quid de Christianis sentirent? *Inimicos Deorum et hostes religionum publicarum tollendos esse*, censebant. LACTANTIVS *de mort. persec.* c. XI. p. 1075. Quin *auctor* praecipue *ac consiliarius erat ad faciendam persecutionem* idem c. XVI. p. 1081.

A. CCCIII. Flagrante iam persecutione vicarius erat praesidis Bithyniae, FLACCINI. Hoc enim certe cum fuerit nullo alio, quam hoc anno, esse potuit. *E numero tunc erat iudicum in Christianos constitutorum* (LACTANTIVS *diu. Instit. Lib.* V. 2. p. 538.) qui, vt idem se explicat de *mort. persec.* p. 1079. *per omnia templa disper-*

liari, Bithyniae prouinciam non in Byzantio vicinam, vicario, mox praeside? (Vid. annot. subiectam,

dispersi vniuersus ad sacrificia cogebant. Hoc anno duos illos libellos aduersus Christianos conficiebat, quorum partem de APOLLONIO *Eusebius libro aduersus Hierocl.* confixit. Suscepisse enim hunc laborem, cum e numero ordinariorum esset iudicium, nondum videlicet praeses, sed vicarius LACTANTIVS *Lib.* V. 2. aperte testatur. Ad hunc igitur annum referendus est.

A. CCCIV. secundo persecutionis anno FLACCINI successor, Bithyniaeque praeses, mala longe plurima coetum sanctorum inferebat, ac in his DONATVM LACTANTII amicum, virum in primis Christo fidelem, non mediocriter excruciabat. vid. *Lib. de mort. persecut.* c. XVI. p. 1081.

A. CCCV. cum annua praesidum illic successio esset in Aegyptum Augustorum iussu migrabat, ac Alexandriae cum auctoritate praeerat. Vid. EPIPHANIVS *haer.* XVIII. 1. Supplicia hic inaudita pro more in christianos statuentem AEDESIVS, philosophus Christianus, grauiter abiurgabat, quem in mare praecipitari iussit. Vid. MENAEVM *Graecor. Metaphrasten,* EVSEBIVM *de martyr. Palaest.* c. V. pag. 326. Vnicus tamen est LACTANTII locus quem circulos meos turbare, non-nulli possent opinari. DONATVM suum, sex annis in carcere peractis liberatum esse, scribit, cum MAXIMILIANVS GALERIVS celebre illud pro Christianis edictum proponeret. *Hoc edictum*, ait, *proponitur Nicomediae pridie Kalendas Maias, ipso octies et Maximiano iterum consulibus* (hoc est A. CCCXI.) *tunc apertis carceribus, Donate carissime, cum ceteris confessoribus e custodia liberatus es, cum tibi carcer sex annis pro domicilio fuerat, de mort. persec.* c. XXXV. pag. 1104. Nullum est dubium, quin rationes nostrae sint refingendae, si sex illi anni omne comprehendant tempus, quo ob CHRISTI professionem iniurias DONATVS accepit, eosque adeo cruciatus quoque, quos FLACCINVS, HIEROCLES ac PRISCILLIANVS nouies ipsi exhibuere, vid.

LACTAN-

iectam) quam opportunum huic fuiſſet, ſi de tantis conſtitiſſet beneficiis, horum cum miraculoſis ſeruatoris operibus comparationem inſtituere? At quid agit? Nil adfert nouarum rerum, in eo libro, quem in Chriſtianos ſcripſerat. In iis ſe iactat improbus homo, quae PHILOSTRATVS, DAMIS ac MOERAGENES ſuppeditabant, telesmatum

LACTANT. l. c. c. XVI. p. 1081.) Vicariatus HIEROCLIS ſic reuocandus eſſet ad A. CCCVI. praefectura Bithyniae ad A. CCCVII. dicendumque, longe alium a noſtro Alexandriae praeſidem ab EVSEBIO indigitari. Secundus enim praeſidum Bithyniae hic fuit, cuius furorem DONATVS ſenſit. At ſalua res eſt. Maxime veriſimile eſt, ſub initium ſtatim calamitatis Bithynicae et ad iudicis munus HIEROCLEM vocatum et DONATVM correptum fuiſſe. Igitur ſex illi anni non numerandi ſunt, niſi ab eo tempore quo eluſis, quae excogitari poterant, tormentis, in carcerem DONATVS coniectus fuit. Tres quippe praeſides, tribus annis ſe inuicem excipientibus, nullis perpeſcerant cruciatibus, vt in partes ſuas illum pertraherent. At non expugnari poterat eius conſtantia. Sententia hinc A. CCCVI. demum in eum ferebatur, in carcere retinendum eſſe. Prouidebant enim ſaepe magiſtratus, ne quis Chriſtianorum multis palmis nobilitatus morti traderetur. Sic nimirum perſuaſi erant infamiae ſibi eſſe, poſt tot vltimae ſaeuitiae conatus ab homuncionibus iſtis illa ad vitae vsque finem perſeuerantia ſe quaſi derideri. Soluebatur haec DONATI miſeria A. CCCXI. ſex annis completis. Nihil plane hic fingo. Qui locum illum priorem LACTANTII (c. XVI. p. 1081.) attentius conſiderauerit, perſpicue eum nobis fauere intelliget. Poſſem ex his aetatem libri EVSEBII *aduerſus Hieroclem* curatius, quam hactenus factum eſt, conſtituere. Aliarum quoque in *Lactantium* obſeruationum hic eſſet occaſio. At enim alio loco potius, quam hoc, talia a me tractari poterunt.

tum plane ignarus. Periit quidem opus illud: sed nemo hodie id nescire potest, quod de artificiis illis nihil continuerit, qui EVSEBII *aduersus Hieroclem* librum, ac quae contra eum LACTANTIVS disputat,[s] consuluit. Illi enim certe hoc non siluissent. Quid ergo, *vir amplissime?* mysteriane primis saeculis hae imagines erant? Fuerint. Fuerint Eleusiniis arcaniora. Si Christiani, profanum vulgus, ab iis arcebantur, initiati tamen, qualis HIEROCLES, sociique, ea nosse debebant.

§. VI.

Sed bene habet. Aequiora fuere APOLLONII cultoribus sequentibus temporibus fata. Iamiam ex tenebris suis stupenda haec prodigia eluctantur, ac post trecentos fere annos, quae omnes antea ignorauerant, comparent. Obscurus iam, cum HIEROCLEM confutaret EVSEBIVS, rumor spargebatur, thesauros huius generis detectos esse: quamquam ne dignus quidem huic videbatur, cui excutiendo operam impenderet. Αυτικα τοινυν εισιν, ait,[1] οι περιεργους μηχανας, τῃ του ανδρος ανακειμενας προσηγορια κατειληφεναι λεγουσιν. αλλ' ουκ εμοι γε φιλον τουτοις προσεχειν τον νουν. *Suntque etiamnum hodie, qui magicas machinas, quae viri illius esse dicantur, sese dicant reperisse. At istis animum aduertere nunc quidem haud placet:* Siue a cultoribus, APOLLONII, quorum magna tunc erat seges, siue ab inimicis, quod ex verbis EVSEBII fere colligitur, hi sermones profecti fuerint tenues admodum erant, ac inter vulgus tum primum nati. Confidentius vero haec res sequen-

ti

[s] *Lib.* V. *div. Inst.* c. II. et III. p. 358. f.

[1] *Lib. adu. Hieroclem* c. XLIV. p. 464. ed. *Olearii*.

ti saeculo, quod a nato seruatore quintum erat, agebatur vtrisque et CHRISTI et Deorum ministris famam, vt fieri solet, augentibus. Insignis est in hanc rem ISIDORI PELVSIOTAE locus, quem integrum infra dabo; nunc verba quaedam tantum exscribam:[a] καινοις τινες λογοις τους ανθρωπους ηπατησαν τον εκ Τυανων εισαγαγοντες Απολλωνιον, πολλαχοσε πολλα ΤΕΛΕΣΑΜΕΝΟΝ επ' ασφαλεια φασιτης

Hh 2

[a] *Epistolar.* Libro I. ep. 398. ad *Zachaeum* p m. 103. ed *Paris.* 1638. fol. versio illa, quam dedi, BILLII diuo displicebat OLEARIO (*Not. ad Philostrati* Lib. IV. c. X. p. 147.) Ipse verba haec ita reddit: *mirabilibus nonnulli historiis homines circumuenere, Tyanensem illum Apollonium repraesentantes, multa multis in locis telestica collocantem, vt tutius habitari, vt quidem aiunt, illa possint.* Equidem fateor, pluribus verbis constare hanc versionem, magisque hinc altera perspicuam esse. Vox τελεσαμενον melius hic quoque explicata est. Nec tamen satis capio, quid potissimum eruditum virum commouerit, vt istam versionem, satis alias curatam, castigaret. Mitto, quod εισαγαγοντες nullam ob caussam per *repraesentantes* exprimatur. Id vero plane non intelligo, cur καινους λογους *mirabiles* esse *historias* voluerit. Nolim quidem contendere, non posse voces has aliquando sic latine efferri. At in nostro hoc loco an ita verti debeant, valde dubito. Omnis certe sermonis habitus declarat, καινοὺ λογους PELVSIOTAE illas de APOLLONIO narrationes dici, quod antea non auditae, sed tum demum prognatae fuerint. Candide, quid animo voluam, exponam. Ipsum ISIDORVM mihi plane non inspexisse videtur vir celeberrimus, sed verba a ceteris diuulsa apud alium repetita transtulisse. Cui quidem vel hoc testimonio est, quod, si id fecisset de auerruncis APOLLONII statuis longe aliter disseruisset. Adeo in hoc quoque in *Philostratum* labore, plane alias eximio, illud, quod vulgo dici solet, verum est: *nihil ab omni parte beatum.* Non ipse semper euoluit, ac, si euoluit, non diligenter satis considerauit veterum, quae citat, loca vir egregius. Vulgare hoc temporum nostro-

tum plane ignarus. [illegible] s sic vertit: *quidam no-*
sed nemo hodie id [illegible] *deceperunt*, TYANAEVM A-
ciis illis nihil [illegible], *qui multa plerisque in lo-*
Hieroclem lib [illegible] *cis*
TIVS dispu [illegible]
siluissent [illegible] nium est, cui vastae ac variae lectionis glo-
ne pri [illegible] quod tamen viros longe maximos non rar[illegible]
Fue [illegible] dolendum est, cum quam intutum sit, aliorum
fa [illegible] oculis, omnes sentiant. Sunt et alii naeui, [illegible]
[illegible] venustum illud opus hinc, inde, laborat. N[illegible]
[illegible] virum, in quo plurimae profecto erant elegan[illegible]
[illegible] litterae, in historicis tamen et chronologicis rebus non
aeque feliciter versatum videri. Absit enim, vt hoc in
eius maculis numerandum esse censeam, qui meo exem-
plo quotidie disco, non vnius ingenio cuncta scientiarum
arcana exhauriri posse. Prolixum illud ac superstiti-
osum fere erga PHILOSTRATVM studium tantum ta-
gam. Quod quidem tale ac tantum est, vt, vbi hic de-
fendendus sit, sui fere obliuiscatur, ac in rationis prin-
cipia non raro manifeste peccet. Virum hunc non po-
tuisse falli, fundamenti saepe loco ipsi est, cum de eo quae-
stio sit. Si reliqua deficiant, falx critica in partes voca-
tur, communi criticorum vitio, quod *oratione de eo, quod nimium est, in studiis linguarum et critices*, fusius nuper in publica panegyri delineaui. Hinc illud saepe videas argumentum: Malesanus hic locus est. Quae ra-
tio? Coecutiisset alias PHILOSTRATVS homo, quo absurdior vix cogitari potest. Taceo multa praetermissa esse loca, quae illustrationis indiguissent: taceo alios nae-
uos, in ad PHILOSTRATVM *exercitationibus* a me no-
tandos. Nolim vero, haec quis eo interpretetur, ac si laudem ex hoc opere partam viro maximo inuideam. Vel manes ipsius veneror, ac praematura toties fata eius de-
ploro, quoties immortalis ingenii monumenta euolu[illegible]
Vt iudicium hocce de laudatissimo alias labore ferre[illegible]
solus me veritatis amor inpulit. Seruile est, nil nisi [illegible]
pullas spargere, vbi celebres viri in scenam producen-
sunt. E contrario candoris signum, etiam heroum [illegible]
reticere lapsus. Quo maioribus enim illi sunt pare[illegible]
bus, ac facilius in eadem retia incautos pertrahunt. M[illegible]
destia regnet; sed et fucus verbis absit. HOMERVS [illegible]

rer[illegible]

utae habitationis caussa, vt aiunt, *effecerit.* ...acius adhuc, quisquis ille fuerit, *Quaestio-* ...*c responsionum ad arthodoxos* Auctor, qui ...vSTINI M. opera legitur, quemque doctissi-*du* PINIVS vltra sextum seculum non ascen-...ere erudite docuit, [3] non exstitisse tantum haec monumenta se viuente, verum etiam, inspectantibus cunctis, singularia mortalibus beneficia exhibuisse, fingit, dicam, an tradit? Quaestio hinc talis ipsi nascitur. [4] Ει Θεος εϛιν δημιουργος και δεσποτης της κτισεως, πως τα Απολλωνιου τελεσματα εν τοις μερεσι της κτισεως δυναντα; και γαρ θαλαττης ορμας, και ανεμων φορας, και θηριων επιδρομας, ΩΣ ΟΡΩΜΕΝ, κωλυουσι. *Si Deus conditor est, et dominus creaturae, quomodo* APOLLONII *telesmata (effectus male reddidit interpres) in partibus creatures potentes sunt? Nam impetum maris et ventorum vim et marium bestiarumque incursiones, vt videmus, prohibent.* Satis haec confidenter, licet a recentiori, ac nullius fidei homine dicta. Nondum tamen ita distincte loquitur, vt quidem alii sequentibus temporibus. Cernitur interea ex duobus hisce locis, vt vires eunto sensim haec fama sibi acquisiuerit. Ac vehementer fallor, aut, cum vltimus hicce scriberet, erant inter eos, qui a sacris Christianorum alieni erant, quibus inuidiosa harum statuarum commemoratione, quas in his illisque locis exstare mentiebantur, miraculis CHRISTI et Apostolorum pretii nonnihil demi

terdum dormit: ac errores quidem, quos humana parum cauit incuria, non omne statim laboris pretium tollunt.

3 *Bibl. des Auteurs Ecclesiast.* Tom. I. p. 58. troisi. edit. à Paris.

4 Quaest. XXIV. p. 405. inter opera *Iustini Colon.* 1686. fol.

posse, spes erat. Sunt in ea, quam modo citaui, IVSTINI quaestione, verba, quibus id subindicatur: παλιν δε, ait, ειπερ ως αγαθω τω γεγενημενω ηδομενος εκεινο συνεργησε (ο Θεος) δια τι μη δια προφητων και Αποστολων τα τοιαυτα γεγενηται. *E diuerso vero, si illo, quod factum est, tamquam bono, delectatus Deus opem et operam suam contulit, quare talia per Prophetas aut Apostolos praestita non sunt.* Quamquam ex ISIDORO, cuius verba mox recitabo, quoque patet; eos, qui insensi ceterum. APOLLONIO erant, hos tamen rumores disseminasse. Adderem his duobus ANASTASII SINAITAE de his statuis testimonium, nisi ex eo id petitum esset libro [5] de quo, qui omnium optime iudicant, improbas seculi noni falsarii manus expertum esse, statuunt.[6] Tutius igitur hoc loco illud, opinor, omittitur, quod et ceteroquin generaliora tantum habet.

§. VII.

Hoc igitur hac vsque, *vir amplissime*, vidimus, aliquam quinto et sexto saeculo figurarum telesticarum APOLLONII famam inter homines versatam fuisse. Sed qualem? Aridam, tenuem et vnde macilentam. Tollebantur hinc inde clamores; sed quales circumforaneorum esse solent, qui plebem quidem attonitam reddunt, vbi prudentioribus sistuntur, in fumos abeunt. Rumores spargebantur; sed noui ac ab omnibus antea inauditi. ISIDORVS nos PELVSIOTA hoc docet, cuius testimonio nil aptius esse potest ad totam hanc fabulam destruendam: initium epistolae e-

5 Quaest. in SS. Scripturam Quaest. XXIII.
6 Vid. GVIL. CAVE Hist. Liter. Scriptor. Eccl. T. I. p. 296. 297. ed. Genev.

ſupra dedi: iam reliqua adiiciam: ἀλλ᾽ ἐδεν ἐχϐσι δεῖξαι παρ᾽ ἐκείνϐ (nimirum Ἀπολλωνίϐ) γενομενον, οἱ γαρ και λογϐς ψιλϐς τϐ ἀνδρος ἀναγραψαντες, και παντα τα κατ᾽ αυτον ακριβωσαντες,[1] ϐκ ἀν τας θρυλλυμενας παρελιπον πραξεις. ἐχεις δε τον Φιλοςρατον ἀκριβως τα ἐκεινϐ ἐκθεμενον, και μανθανε ὡς σαφη συκοφαντιαν μαγγανειων, ἐχθροι τϐ ἀνδρος, ὡς εἰκος κατεσκευάσαν. *At nihil quod ab illo factum ſit, oſtendere queunt. Nam alioqui iis, qui nudos etiam ſermones ipſius litteris mandarunt, totamque ipſius vitam accurate conſcripſerunt, actionis eas, quae vulgi ſermonibus celebrantur, non omiſiſſent. Habes autem* PHILOSTRATVM, *qui vitam eius magna cura et diligentia in lucem edidit. Ex quo intellige, quam perſpicuam huiusmodi praeſtigiarum calumniam viri illius hoſtes, vt vero conſentaneum eſt, concinnarunt.* Egregium profecto locum, cuius initium multi quidem arripuere, ſed reliqua non diligenter conſiderarunt! Si de ZACHAEO nobis conſtaret, ad quem data eſt haec epiſtola, et de ſcriptionis ſimul tempore, curatius diſſerere poſſem. Nunc paucioribus, iisque generalioribus contentus eſſe debeo obſeruationibus. Ac vltima quidem verba diligentius expendam, quando de *exiſtimatione viri* agendum mihi erit. In prioribus hic ſubſiſto. Diſcimus hinc, AEGYPTVM, vbi ISIDORVS agebat, multis de his teleſticis imaginibus ſermonibus repletam fuiſſe. Nil id mirum, cum HIEROCLES Alexandriae praefectus ſimulque Philoſophus, diſcipulus illic ſine dubio reliquerit. καινοι vero λογοι hi ipſi erant rumores, ſaecu-

[1] Ad *Philoſtrati* ſine dubio verba hic reſpicit L. I. c. II. p. 4. δοκει ϐν μοι μη περιιδειν την των πολλων αγνοιαν, αλλ᾽ ἐξακριβωσαι τον ανδρα etc.

lo, quinto iam decurrente. Magnum viri nomen fuerat, apud eos quoque, qui CHRISTVM sequebantur, id quod ipsa haec epistola testatur. Nullus aliquid de eiusmodi eius operibus vel auribus perceperat. Vagi erant praeterea sermones, non secus ac Aegyptiorum numina, propriis in hortis subito prognati. Non locus, vbi haec monumenta posuerit, non tempus, non occasio designabantur. Quod maximum, exactius et thesauris his inquirenti ne carbones quidem, non vmbrae, non vestigia ostendi poterant. Scilicet euanuerant e conspectu hominum, quae nullus antea viderat. Auctorisne sui mores fortassis referebant, qui in iudicium vocatus coram DOMITIANO confestim disparebat? aut, quod verisimilius Pythagoricam postulabant fidem, qui de Pythagorico viro eiusmodi disseminabant commenta?

§. IIX.

Sed ne quidquam meae desit demonstrationi, ipsos TIBI, *celeberrime vir*, nunc testes sistam, quibus philosophum nostrum tam insignem fuisse praestigiatorem, viri docti crediderunt. Caussa cadam, si fidem suam hi tueri possint. Comparent iam, sed sordidi ad modum ac illiberales. Stupiditatem vultu prae se ferunt. Litterarum plane expertes sunt. In ea enim incidere tempora, quibus nihil sciendi ars incrementa passim capiebat. Impeditioris sunt linguae ac Graia illa venustate prorsus vacui. Vetustissimi denique septimo demum saeculo fere natos perhibent. Duo praecipue sunt, quorum fides hoc in negotio spectari potest, autor ALEXANDRI CHRONICI

quod

quod RADERI et CANGII curis illustratum habemus [1] et ANTIOCHENVS ille MALALAS. [2] Reliquorum, qui iuniores sunt, nulla plane ratio haberi potest, eo quod, quae priores vomuerant, mirabili industria collegerint, ac denuo propinauerint. Idem enim, quod scriptorum hodiernorum, quam plurimis in more positum, tunc obtinebat. Quid quis dixisset, non quam vere, attendebatur. Non deesse satis erat, vnde transscribere, voluminaque sua locupletare possent. Duos igitur ex omni memoria testes habemus tantarum rerum. Quosnam vero? Pudet dicere. Quingentis minimum annis ab aetate APOLLONII remotos. CHRONICON illud septimum redolet saeculum. MALALAM, qui antiquissimum faciunt, hoc paullo antiquiorem putant. Pergo. Sinistrae famae homines, quos inter aniculas stamina quondam duxisse, diceres. Nugatores certe, quorum narrationibus, vt omnes eruditi consentiunt, tam tutor creditur, quam Cretarum adseuerationibus. Non historicos denique, sed compilatores. Quem tantorum hominum auctoritas non commoueat?

§. IX.

At quid duos laudo testes? omnia circumspicienti vnicus tantum offertur. Eadem verba de his imaginibus, nulla fere voce immutata, et in *Chronico*, quod dixi, et in MALALA leguntur. Alterum ergo alteri sua debere, manifestum est. Nil moneo, vter furti crimine sese obstrinxerit?

 Doctis-

[1] Ad. A. C. XCIII.
[2] Hist. Chronicae P. I. p. 345. *Oxon.* 1691. in 8.

lo, quinto iam decurrente. Ma[illegible] GVIL. CA-
fuerat, apud eo; quoque, q[illegible] it antiquitate,
bantur, id quod ipsa haec e[illegible] iuniorem facit
lus aliquid de eiusmodi e[illegible] ſiſſe, ſatis eru-
perceperat. Vagi erar[illegible] retuſtate militat,
ſecus ac Aegyptiorur[illegible] ioruiſſe, adfirma[illegible]
tis ſubito prognati[illegible] ioco mihi dicendu[illegible]
numenta poſuer[illegible] n ſequamur; praeſa-
ſignabantur. [illegible] es hos nimium quantu
ſauris his ino[illegible] os, fateatur. Sic eo demu[illegible]
vmbrae, [illegible] vniuerſa haec cauſſa ex vnius [illegible]
euanuer[illegible] Graeculi, eiusdemque ſtupidi plane a[illegible]
antea [illegible] ore pendeat, ſiue is GEORGIVS quidam,
ferel[illegible] *[illegible]ici Alexandrini* ſcriptor; ſiue MALALA, [illegible]
TI [illegible] etiam, quod addendum eſt, DOMNINVS. AN-
TIOCHENVS nimirum τον σοφωτατον χρονογραφο
Δομνινον laudat, extat, quos paſſim citat, ſcri-
ptoribus vnum, eumque obſcurum, vnde quae de
APOLLONIO habet hauſerit. Fuerit per me is te-
ſtis noſter, quo reliqui ſua acceperint. Parum
profecto refert, num is, aut alius. Etenim ad
iſtum ſapientiae gradum nulli, niſi ipſi inſano,
peruenire licuit, vt inſani vnius Graeci fide ſibi
adquieſcendum putauerit. Equidem ignoro, al-
bus an ater fuerit DOMNINVS illi: hoc tamen in-
telligo inclinantis Graeciae fuiſſe moribus, eaque
praeditum ſapientia, qua MALALAS, vnde mihi
innotuit.

§. X.

Reliquos teſtes, *vir ampliſſime*, vix opera
pr[illegible]

[1] Diſſert. de *Malala* vid. §. XXII. f. ****. 4. b. et §. XII. ******. 1. a.

[2] Hiſt. liter. Script. Eccl. Tom. I. p. 312. et T. II. p. 126.

[3] Suffragatur huic vir eruditiſſimus, EDV. BERNHAR[illegible]

...ſt nominare: ſed paucis tamen eos per-
...GEORGIVS CEDRENVS [1] primus eſt ex
...eculo miſer quod omnes norunt,
...bulatorque audaciſſimus, quem di-
...IGER *quisquiliarum ſtabulum* no-
...ntur GEORG. CODINVS [2] et Io.
...em portenta longo nobis ad-
...e quem vero ſplendida tur-
...ter, vt noſti, decimi quinti ſae-
...it, omnis plane iudicii expers, alter
...is venae poëta ac Grammaticus, cui ci-
...m nugas carmine contexere iucundum videbatur: qui MALALAM praeterea ſequitur, quem ſe legiſſe non diffitetur.[4] Mihi plures non innotuere. Producit tamen CHILMEADVS [5], MICH. quoque GLYCAM, qui de his *Apollonii* rebus aliquid in litteras retulerit.[6] Adiungantur ergo et hic, et ſi forte plures adhuc Graecorum mihi quidem ignoti ſuperſunt, adiungantur ceteris. Meliorem ſociis GLYCAM eſſe, nemo ſibi perſuadebit, qui duodecimo ſaeculo annales ſuos inepte hunc Siculum conſarcinaſſe nouerit.

§. XI.

Cauſſa cognita eſt, *celeberrime vir*, quod iam decretum formabimus? Equidem ſic decerno, *nil cauſſae viris fuiſſe doctis, cur omnis artis telleſticae inter Graecos hunc magiſtrum fuiſſe, contenderent.*

1 Compendio Hiſtor. p. 197. 246. ed. *Pariſ.*
2 Originibus Conſtantinop. p. 30. ed. *Lambecii.*
3 Chiliad. I. Hiſt. LX. conf. Olearii Philoſtratum p. 372.
4 Chiliad. VI. Hiſt. LXI.
5 Notis ad Malalam. p. 342.
6 Annal. ab. O. C. P. III.

Doctiſſimi viri, HVMFR. HODYVS [1] et GVIL. CAVEVS [2] dum de MALALAE diſputarunt antiquitate, hanc litem ſimul attigerunt. Ille iuniorem facit hominem, ac nono ſaeculo ſcripſiſſe, ſatis erudite contendit. [3] Hic pro eius vetuſtate militat, ac non diu poſt IVSTINIANVM floruiſſe, adfirmat. Quis rectius iudicauerit, alio loco mihi dicendum erit. Iam perinde eſt, quem ſequamur; praeſertim cum vterque homines hos nimium quantum fabulis fuiſſe addictos, fateatur. Sic eo demum ventum eſt, vt vniuerſa haec cauſſa ex vnius recentioris Graeculi, eiusdemque ſtupidi plane ac inertis, ore pendeat, ſiue is GEORGIVS quidam, *Chronici Alexandrini* ſcriptor; ſiue MALALA; ſiue etiam, quod addendum eſt, DOMNINVS. ANTIOCHENVS nimirum *τον σοφωτατον χρονογραφα Δομνινον* laudat, extat, quos paſſim citat, ſcriptoribus vnum, eumque obſcurum, vnde quae de APOLLONIO habet hauſerit. Fuerit per me is teſtis noſter, quo reliqui ſua acceperint. Parum profecto refert, num is, aut alius. Etenim ad iſtum ſapientiae gradum nulli, niſi ipſi inſano, peruenire licuit, vt inſani vnius Graeci fide ſibi adquieſcendum putauerit. Equidem ignoro, albus an ater fuerit DOMNINVS illi: hoc tamen intelligo inclinantis Graeciae fuiſſe moribus, eaque praeditum ſapientia, qua MALALAS, vnde mihi innotuit.

§. X.

Reliquos teſtes, *vir ampliſſime*, vix operae pre-

[1] Diſſert. de *Malala* vid. §. XXII. ſ. ****. 4. b. et §. XII. ******. I. a.

[2] Hiſt. liter. Script. Eccl. Tom. I. p. 312. et T. II. p. 126.

[3] Suffragatur huic vir eruditiſſimus, EDV. BERNHARDVS

pretium est nominare: sed paucis tamen eos perlustrabo. GEORGIVS CEDRENVS [1] primus est ex vndecimo saeculo miser quod omnes norunt, compilator, fabulatorque audacissimus, quem diuinus olim SCALIGER *quisquiliarum stabulum* nominabat. Sequuntur GEORG. CODINVS [2] et IO. TZETZES [3], qui eadem portenta longo nobis adparatu occinunt. Ne quem vero splendida turbent nomina, alter, vt nosti, decimi quinti saeculi scriptor est, omnis plane iudicii expers, alter frigidioris venae poëta ac Grammaticus, cui ciuium nugas carmine contexere iucundum videbatur: qui MALALAM praeterea sequitur, quem se legisse non diffitetur.[4] Mihi plures non innotuere. Producit tamen CHILMEADVS [5], MICH. quoque GLYCAM, qui de his *Apollonii* rebus aliquid in litteras retulerit.[6] Adiungantur ergo et hic, et si forte plures adhuc Graecorum mihi quidem ignoti supersunt, adiungantur ceteris. Meliorem sociis GLYCAM esse, nemo sibi persuadebit, qui duodecimo saeculo annales suos inepte hunc Siculum consarcinasse nouerit.

§. XI.

Caussa cognita est, *celeberrime vir*, quod iam decretum formabimus? Equidem sic decerno, *nil caussae viris fuisse doctis, cur omnis artis tellesticae inter Graecos hunc magistrum fuisse, contenderent.*

1 Compendio Histor. p. 197. 246. ed. *Paris.*
2 Originibus Constantinop. p. 30. ed. *Lambecii.*
3 Chiliad. I. Hist. LX. conf. Olearii Philostratum p. 372.
4 Chiliad. VI. Hist. LXI.
5 Notis ad Malalam. p. 342.
6 Annal. ab. O. C. P. III.

derent.[1] Praecipiti erraſſe iudicio, qui Byzantium et Antiochium monumentis huiusmodi ab eo exornatas fuiſſe, crediderunt. Iter iam haec omnia ad Platonis parant *Atlantidem*, quo illius ciuitatibus ornamento ac praeſidio ſint. Liberalius hinc eos decebat cum eruditis agere hominibus, qui ſe omnia veritati tribuere clamant, vulgique opiniones, ac pallium DIOGENIS, dudum ſe abiecisse aiunt, quam putida eiusmodi commenta cum ſanctiſſimorum virorum miraculis comparare. Fouit Britannia quibus ſomnia haec in mentem venerint, ſed eos, quorum nubila mens, ac frenis vincta erat. Non ergo illud *mirum*, ſed hoc, paſſim ſuos fautores iſta humani ingenii excrementa reperire potuiſſe et adhuc reperire. Qui quidem niſi ab omni intelligendi facultate penitus relicti ſint, ex his, quae *diſputauimus*, diſcent, quo loco omnes illae, quas crepant narrationes, habendae ſint. Non pugnam ceterum auerſamur, quacunque demum ex parte nobiſcum congredi velint. Sed admonitos tamen eos cupimus, vt, ſi quid vlterius meditentur, criticorum antea pueris erudiendos ſeſe tradant. Hoc facto, ſi quid nebularum ſuperſit, ne fumoſo nimis vtantur cerebro maximopere verendum eſt.

§. XII.

De *fabulae natalibus* pauca mihi adhuc differenda

[1] Thom. *Stanleius* Hiſtor. Philoſ. Orient. Sect. II. Cap. XXVI p. 1145. id. *Lipſ. Quae inſtar amuletorum erant* (Telesmata), *eas quidam putant eſſe recentius a* Tyanaeo Apollonio *inventas ac reuera primus eo nomine apud Graecos celebris factus eſt.*

renda sunt; at quales illi fuerint, nondum satis constitui. Num discipulorum APOLLONII quemquam coruos hiantes delusisse dicendum est? APOLLONII sane ab ipsius nomine dicti sunt, qui ex disciplina eius prodiere. Sic enim cum doctissimo OLEARIO legendus hic est PHILOSTRATI locus:[1] Αφικοντο δ' αυτω κατ' Ιωνιας οι ομιληται παντες, ους ονομαζον Απολλωνιυς η ελλας. Venerunt ad eum ex

[1] Lib. VIII. c. XXI. p. 364. Commoda hic mihi nascitur occasio, cum de APOLLONII loquor discipulis, THONVM aegyptium ex eorum exturbandi numero, quem CL. OLEARIVS, nescio quo errore, in iis fuisse censuit. Ipsa celeb. viri verba primum dabo, ex *notis in Philostr.* ad L. IV. c. XI. p. 148. n. 4. loquitur de sectatoribus APOLLONII, *Dioscoride* et *Phaedimo* quorum ibi mentio. Deinde sic pergit: *Forte autem in illa* ομιλια, *vt loquitur paulo post Philostratus*, Θωνος *quoque mentio facienda erat*, *Aegyptii*, *quem inter Apollonii discipulos refert* Lucianus *in* Pseudomant. p. 663. *Nisi tamen eum ille in Aegypto demum sequi coepit*, LVCIANVM appellat. Igitur audiamus virum. Legitur locus mihi T. I. opp. *Luciani ed. Graeuii* p. 750. vbi de ALEXANDRI sui praeceptore sic loquitur: ο δε αυτος εκεινοι δεμοσια, μεν ενδηθεν ιατρος ην, ηπιςατο δε κατα την Θωνος τε Αιγυπτιε γυναικα, Φαρμακα πολλα μεν εσθλα μεμιγμενα, πολλα δε λυγρα, ων απαντων κληρονομος, και διαδοχος (Alexander nempe) αυτος εγενετο. *Atqui is apud populum medicinam profitebatur*, *et norat*, *quemadmodum Thonis Aegyptii coniux pharmaca mixta*, *salubria multa et noxia multa*. Hunc ipsum ALEXANDRI sui praeceptorem adiungit demum LVCIANVS nostri fuisse APOLLONII discipulum. Perspicuus iam fere est error. Magis vero adhuc patebit, si HOMERVM in partes vocemus, ad quem LVCIANVS more sui temporis frequentissime alludit. Is vbi de *Helena* canit quae, vt animi sedaret moerorem, singulari quodam via sit, medicamento, sic pergit Odyss. Δ. v. 227. s. p. m. 31. *ed. Basil.* 1561. fol.

Τοια

ex Ionia quoque discipuli omnes, quos Apollo-nius Graeci vocabant. At si haec valet coniectu-ra, quo minus ad ipsum recorramus magistrum nil impedit. Num alter ille APOLLONIVS, qui sub ANNA COMNENA vixit, huc aduocandus est quem TZETZES memoriam? facerem, nisi iam ante CO-MNENAM in ore hominum miranda haec opera v-fata fuissent. Quid itaque censendum? Nexu totius rei, qui mihi quidem omnium veri videt simillimus, demonstrabo. Quarto primum saec-lo rumorem de his rebus percrebuisse, obseru-ui: ac eo quidem tempore, quo HIEROCLES vna cum aliis id quod alio loco ex AVGVSTINO osten-dam, id agebat, vt ex eius laudibus Christiano-rum sacris inuidiam concitaret. Etiamsi enim non plane nullum antea nomen eius fuerat, tum pri-mum tamen pars publicarum de vera religione di-sceptationum esse coepit. Eccui vero dubium esse potest, vtrosque et Christianos, et deorum cul-tores sequenti tempore summopere laborasse, quo illustriorem aut exosum magis hominem redde-rent? Hi, si quid forte reperirent, quod in-eptum

Τοια διος θυγατηρ εχε φαρμακα μητιογεντα.
Εσθλα, τα οι Πολυδαμνα πορε Θωνος παρακοιτις
Αιγυπτιη, τη πλειστα φερει ζειδωρος αρουρα
Φαρμακα, πολλα μεν εσθλα μεμιγμενα, πολλα δε λυγρα

Talia Iouis filia habebat pharmaca vtilia
Bona, quae illi Polydamna praebuerat Thonis vxor
Aegyptia, quae plurima producit fertilis terra,
Pharmaca, plurima quidem bona mixta multaque mal

Vides THONIM, Polydamniae apud HOMERVM ma-ritum, inuitum plane sectatoribus APOLLONII, multa post saecula viuentis, connumeratum fuisse. Haec tan-to viro excidere potuerunt, quis nobis veniam non de-derit sicubi fortassis lapsi simus?

eptum vulgus magnae virtutis opus putaret, aut, i quid fabularum inter homines versari audiuissent, id eo omne trahebant, vt Diis proximum uisse, fidem facerent. Christiani tantum aberat, t mendaciorum postularent, vt hinc potius reus suis consulerent, mortaliumque nigerrimum c malarum mentium familiarem fuisse, disputaent. Ac potissimam quidem harum narrationum partem, ab inimicis eius excogitatam fuisse EVSEBII ac ISIDORI loci indicare videntur. Creit cum tempore hominum opinio. Quae confusius iactabantur, inconsulta quorumdam leuitas xplicatius postea tradit. Mortalium quis ignoat indolem? Vbi semel quis aut maior, aut enustior, aut peior etiam ceteris putatur, in unc omnia coniiciunt, quae vmquam de virtuibus aut vitiis istiusmodi acceperunt. Testis sit eleberrima apud Germanos de Io. FAVSTO historia, cui ego quidem hanc omnem de TYANAEO narationum congeriem simillimam esse iudico. Mox criptor quidam Graecus, eorum ex ordine, qui olio victibant, bona fide quae ex graculis audierat, sic retulit in commentarios, ac si Apollo uidam in somnis nuntiasset. Atque hoc pacto otus ille ineptiarum aceruus eam, qua nunc est, erfectionem adeptus est. Probabilior cogitan- origo succurrere non potuit. Sed cur Antiohiam prae ceteris et Byzantium elegerint, quius tanta bona intulerit, equidem coniectura nul- l consequor. Num forte conuenientissimum vistimarunt, illustribus factis illustria adsignare heatra? Num aliud quid animo voluerunt? itius est suspicionibus abstinere, tantis praeserm in tenebris, quam multa dicendo nihil dicere.

§. XIII.

§. XIII.

Habes, *vir amplissime*, quae inter perpetuam cum morbo nescio quo, luctam de *figuris* APOLLONII *telesticis* in chartam conieci. TE rogo, vt, si quid minus solide scriptum videas, emendes, mihique, num quae mihi supersunt huius generis satis multa, luce digna sint, significes. Aequum TE noui iudicem. Quapropter TVAE stabo sententiae. Ita vale, meque vti facis, amare perge. *Dab. Kiliae* d. XV. *Maii* A. O. R. MDCCXIX.[1]


[1] Operam non contemnendam ac inutilem in examinanda hac de *telesticis Apollonii figuris* quondam nouauit CHRISTOFRID. WAECHTLERVS, Iureconsultus Dresdensis. Exposuit ea, quae calculum eius non ferebant, in epistola quadam ad b. MENKENIVM scripta, et *Actis Eruditorum Lipsiens.* Anni MDCCXXI. mens. April. p. 177. ss. inserta. Dignam iudicauit viri eruditi humanitatem MOSHEMIVS, quam prioris suae sententiae vberiori explicatione et defensione compensaret. Factum hoc ab eo est in epistola critica ad laudatum virum data in *Biblioth. Bremens. Class.* V. *Fascic.* I. p. 216. ss. Qua, etsi non omnino satisfactum sibi esse significaret WAECHTLERVS, adducere tamen Moshemium non potuit, vt quidquam sui temporis liticulae huic amplius tribuendum esse censuisset. (M.)



ORA

ORATIONES
DE
REBVS ACADEMICIS
IN
SOLLENNIBVS
ACADEMIAE IVLIAE
ACTIBVS
RECITATAE


NVNC PRIMVM EX CHARTIS
PERILL. AVCTORIS
PVBLICI IVRIS FECIT ET NOTAS ADIECIT
M. IO. PET. MILLER.



Lectori εὐδαιμεῖν!

Orationes has, singulare PERILLVSTRIS CANCELLARII *munus, quas primum iam cum litterato orbe communicamus, non sine summae quodam pietatis grataeque mentis significatione e manibus nostris emittere voluimus. Quid? quod, quanto maiori obtestatione illarum communicatio nobis constitit, eo prae illis prioribus cariores has esse non diffitemur, nec sine osculo fere ire illas iussimus. Vt enim aut districto nouis curis, aut gesti muneris onere nondum relaxato animo, aut aliis grauioribusque negotiis distracto ingenio in chartam coniectae fuerunt, ita nescio quibus naeuis deformatae felicissimo parenti visae fuere. Decreuerat quidem aliquando binas illas, quae in Pocili nostro quintum et sextum locum occupant, multis veterum scriptorum testimoniis et obseruationibus munitas typis describendas tradere, at crescens in dies negotiorum moles optimo huic consilio semper obstitit. Atque hae etiam maiores curae tantum otii viro summo non reliquerunt, vt vel fugitiuo, quod aiunt, oculo perlustrare illas potuerit. Quare eo habitu, quem primum nactae sunt, inmutatae in publicum iam conspectum prodeunt. Iussus quidem fui mutare quaedam, quae minus apta iudicarem aut concinna, at impudentissimus ego mortalium forem, qui tanta ingenii laudisque summae moderatione impulsus fuissem, vt ego, cui infimum inter* MOSHEMII *discipulos tueri sat gloriae sit, inter gratos vero primum adspicem, vt ego inquam ibi sapere pueriliter*

gestiam, vbi Praeceptor summus relictus paullulum ab arte sibi videtur. Ne qua ergo in opes, quarum tutorem me tantum esse probe memini, vllo modo iniurius essem, quod accepi, bona fide, reddere decreui, si vnam et item alteram lineolam excipio, quae ad praesentes ... tempore vnice pertinere videbatur. Omisi itaque, ... quid ex mysteriis hisce enuntiarem, seu potius, vt ... hoc modo paruisse iussibus patroni summi censer... Fruere nunc itaque B. L. hisce mecum deliciis et tuo... re fruere. Nisi enim publica pro me fecisset verbis ... spectatio, carissima haec cimelia vt vmquam data fuiss... priuatis meis precibus a facillimo et humanissimo vir... vere metuo. Adnotatiunculas meas aequi boniqu... fules: attexui illas, non quod requirere TE *eas ... gnopere, crederem, sed ne negligentius orationes ... relectas a me fuisse suspiceris. A maiori illarum copi... abstinui, cum, quod tempus non suppeteret, tum quo... properare libri editionem subinde iuberes, et vt inge... nue, quod res est, fatear, quia minus id necesse ips... iudicarem. Vale.*



ORATIO PRIMA

DE

DIFFICVLTATE MAGISTRATVS ACADEMICI.

DE DIFFICVLTATE MAGISTRATVS ACADEMICI ORATIO. *

Nec libens, Avditores, nec inuitus purpuram hanc, aut graue potius onus illud, quod ſplendor huius purpurae tegit, ſuſcipio, verum animo plane compoſito et in neutram partem concitato. Meae quidem ſi parere voluntati voluiſſem, inuidioſam hanccę dignitatem, id quod iam ſemel feci, iterum declinasſem: honeſtisque, vt arbitror, de cauſſis id facere mihi licuiſſet. Nam, vt de natura mea nihil dicam, tranquillitatis ſcilicet amantiſſima, neque virium mearum tenuitatem commemorem, quam magnis rebus bene et feliciter gerendis imparem eſſe, non diffiteor noſtis omnes, tantum mihi ſollicitudinum et negotiorum eſſe, quantum ad hominem et animo, et corpore valentem exercendum, ſatis eſt. Verum me continuit reuerentia, quam veſtris mandatis, Patres Academici, debeo, continuit me ſtudium erga venerabilem Collegam, qui ſemel iam magnas mei cauſſa moleſtias tolerare haud grauatus eſt, ne his rationibus, mentisque propenſione cederem. Metui nimirum, ne ſi huic praefecturae denuo me ſubducerem, et veſtra, Patres, ſuffragia contemnere et pietatis erga virum, quem me loco parentis venerari conuenit, immemor eſſe viderer. Itaque rem omnem veſtris iudiciis committendam, idque faciendum mihi ſtatui, quod e re noſtra Vobis viſum eſſet. Iudicaſtis, meque non indignum perſona, quam nunc ſu-

 ſtineo,

* Recitauit eam auctor Magnificus, cum gerendae reipublicae onus humeris ſuis imponi pateretur. (M.)

ſtineo, declaraſtis. Approbauit iudicium veſtrum REX POTENTISSIMVS, nihil ergo mihi relictum erat, quam vt dicto audiens eſſem. Videtis, vnde iſta mentis aequabilitas nata ſit, qua comitatus in hunc gradum, quem omnes metuunt, conſcendi. Nec libenti adſum et hilari animo, nec aegro et impedito, verum ſibi plane relicto et in neutram partem commoto. Non elato et libenti animo: maluiſſem enim aliena ſub tutela, quod adhuc feci, mihi, ceteriſque negotiis meis viuere: verum nec moleſto et conturbato: malo enim meis aliquid opportunitatibus, quam veſtrae, PATRES ACADEMICI, auctoritati decedere.

Forte plerique eorum, qui haec audiunt, iſtam mentis meae temperationem et aequabilitatem ſub aditum muneris, quod aeque difficile et aerumnoſum, atque honorificum omnes iudicant, notam hominis parum conſiderati, neſciique, quantum hodie oneris ſubeat, interpretabuntur, praeſertim ſi recordati fuerint, omnes fere qui hanc prouinciam ingrediuntur, aegritudinem quamdam prae ſe ferre ſolere. Inexpertis enim bellum parum videri tetrum et calamitoſum aſſolet. Ad hos ego reuocandos hanc oratiunculam, quam more maiorum auſpicii cauſſa, recitare coepi, comparaui. Non nihil enim verborum de *difficultatibus magiſtratus Academici* facere, propoſui: quaſi nec ingenium meum, quod exiguum mihi obtigiſſe, ſcio, nec eloquentiam quaſi forte olim mediocriter valui, nunc di videlicet ab eius conſuetudine ſecluſus prope de monſtrabunt, hoc tamen teſtatum vobis faciet

me

me nec imprudentem, nec ignarum rerum nostrarum ad hanc procurationem accessisse. Accipite, AVDITORES, aequis auribus, quae de meis ipse molestiis vobis narraturus sum. Nec pulcrum, nec eruditum, nec iucundum argumentum affero: at breuitate illud condiam quodammodo, vt vel ex ipsa hac oratione intelligatis, quantopere nemini vestrum in hac statione grauis esse cupiam.

Magnificum et illustre vocatur munus illud, quo societatum eruditorum praefecti funguntur: nec immerito, si quis ad officia eius, si quis ad naturam et indolem, si quis ad fines denique eius animo sese referat. Est magistratus Academici, in vniuersum circumspicere ac prouidere, ne quid detrimenti ciuitatis erudita capiat, et, si quid forte periculi minetur, promte, alacriter et celeriter imminenti sese malo obiicere: Est Magistratus huius sigillatim, iura et beneficia, quibus summi Principes eruditos de reliqua multitudine exemerunt, parta tectaque tueri et custodire: est denique huius magistratus, felicitati ingenuorum iuuenum consulere, qui in nostram sese disciplinam tradiderunt, futuraque vtriusque reipublicae fulcra et ornamenta paterna sollicitudine fouere. Haec quis nobilia, quis eximia, quis splendida, esse neget? Verum nihil horum est, quod suis careat, iisque summis difficultatibus, quae sagacissimum etiam et prudentissimum, ne rem ex suo bonorumque omnium voto agat, morantur. Duo primum per omnes administrationis huius partes sese fundunt impedimenta, quae mirificas interdum moras, nec

leuiores molestias creant. Alterum est, *rerum ad rem publicam cum fructu procurandam necessariarum inopia:* Alterum *ipsa ciuitatum litteratarum forma.*

Nemo vestrum, AVDITORES, est, qui nesciat, omnem potestatem publicam tribus potissimum rebus niti, auctoritate, aerarii vbertate, ministrorumque et satellitum fidelium numero, per quos magistratus videat, per quos impediat, per quos curet, quae ipse nec videre, nec impedire, nec curare potest. Quorum quidem vnum si desit homini, cuius vigilantiae publica, priuataque fortuna commissa est, optima consilia, maximique conatus si minus, interuertuntur, turbantur tamen et differuntur. Horum rei bene gerendae adminiculorum quantum nobis hodie relictum sit, tacitus potius vos reputare, quam verbis explicare malo. *Longas* Regibus manus esse, poëta quondam cecinit: illi vero, qui Reges in societatibus eruditis referunt et exhibent, breuissimis nonnumquam vtuntur, alienasque, si quid paullo maioris incidat negotii, implorare, ne concitant, coguntur. Quare recta via raro nobis eo integrum est contendere, quo nos boni publici amor vocat, verum per circuitus, flexuosaque itinera sensim ad exoptatam metam commeandum est. Longam et amplissimam difficultatem paucis verbis complexus sum: nec enim multis vti iuuat.

Alia minor quidem, nec tamen contemnenda in ipsa gubernationis Academiae forma sita est. Legibus sancitum est, in Academiis, ne quid ex suo arbitratu et voluntate decernat et gerat Pro-

Rector,

Rector, verum omnia ex sententia et iudicio Senatus. Nihil ipse potestatis habet publicae; omnis auctoritas in Patribus ita residet, vt iure etiam suffragii ferendi, innocenti alioquin, careat. Quumque omnes Academiae ciues eum tamquam caput et principem reipublicae colere et obseruare iussi sint, ipse tamen proprie minister est et famulus Academiae, qui, tametsi regere videatur, Senatus tamen iussis vnice regitur atque flectitur. Hinc omnia negotia, maxima, media, infima, ad Senatum, saltim ad delectos ex Senatu, deferenda, idque vnum, quod optimum Patribus visum fuit, perficiendum est. Sapientissimo haec omnia consilio constituta esse, fateor: nec ego tam excors sum, vt hanc rei publicae nostrae formam abrogatam, aut mutatam cupiam. At hic ipse tamen ciuitatis nostrae habitus difficilem eius saepenumero et impeditam administrationem facit. Principio Senatus toties cogi sine impudentia vix potest, quoties necessitas id poscere videtur. Nam et aliis, iisque vtilissimis laboribus distinentur Patres, quae qui saepius interpellat, is in publica commoda et in ipsam verecundiam peccat. Igitur scripto exploranda est de multis rebus sententia Patrum: quam viam aestuosam et longam esse, quis ita rerum humanarum expers est, vt nesciat. Quum necessitas verecundiae vincula rumpere, consiliumque conuocare iubet, minus frequens adest saepenumero Senatus, quoniam multi grauissimis impediuntur rationibus, ne compareant, quam vt de rebus arduis et maioribus, decerni commode possit. Hinc noua mora. Et quid de ipsis dicam Patrum suffragiis? Omnes quidem amore

amore boni publici ardent, omnes prudentia et cautione instructi in Senatu consident: at ingeniorum diuersitas ita non potest non hunc boni publici amorem, hanc prudentiam temperare, vt sententiarum inde noscatur differentia: idque in rebus potissimum implicatis et difficilioribus contingit. De sententia plurium pronuntiandum est: verum multa resistunt nonnumquam, ne id statim liqueat, quod placet plurimis. Hinc consultatio consultationem, conuentus conuentum gignit. Est non leuis, fateor, AVDITORES, est non leuis tardis hisce consiliorum nostrorum progressibus adiuncta vtilitas. Vt enim materies quo diutius ab artifice tractatur, eo pulcrius nitescit ac splendet: ita etiam quae saepius et cum cura explorantur et disceptantur rectius cognoscuntur, prudentiusque curantur et distribuuntur. Et diem constat, sapientemque moram saluberrima saepe remedia et consilia praeter omnem opinionem afferre verum, vt nunc sunt tempora, pinguis iste, si ita loqui licet, corporis nostri habitus, dum motus celeritatem sustinet, saluti eius interdum obest. Dum nos coimus, dum deliberamus, dum caute ac prudenter consultamus, occasio saepe bene agendi praeterlabitur, illique, quos bona nostra vrunt et angunt, vires acrius nocendi adipiscuntur. Verum satis hoc de communibus illis difficultatibus, quae diligentiam magistratus Academici turbant et morantur: ad illas nunc descendendum esset, quae singulis muneris huius partibus sese obiiciunt. Hic amplissima dicendi seges nobis occurrit: sed parcam vobis, eaque tantum paucis delibato, quae ceteris mihi grauiora videntur.

Curan-

Curandum eſt Pro-Rectori, ne iuribus, beneficiis et libertate, quibus ſapientiſſimi Principes eruditas ciuitates aduerſus contemtionem munire voluerunt, diminuantur: hoc officium cum alia quaedam, de quibus taceo, tum potiſſimum temporum infelicitas ſpinoſiſſimum facit. Dudum eſt, quod litterae et litterati auream illam aetatem, qua vir eruditus fauſti loco ſideris erat, haecque collegia, quibus artium et diſciplinarum omnium commiſſa eſt propagatio et dignitas, pro ſolidiſſimis reipublicae fulcris habebantur, periiſſe conqueruntur. Eadem eſt, quae olim fuit, artium et doctrinarum quas profitemur, ad populorum ſalutem cuſtodiendam et muniendam vtilitas? Et quid eadem? Maior eſt, niſi me fallunt omnia, quam olim fuit. At idem nobis euenit hodie, quod machinis, quarum ope ſplendidiſſima palatia, fortiſſimaque munimenta ad ſecuritatem et commoditatem hominum extruuntur: quae quidem opere perfecto in abdito collocari et parui pendi ſolent, dum noua neceſſitas in lucem eas reuocare iubeat. Haec litteratae exiſtimationis imminutio noſtrae aetati familiaris, quantum malorum in haec ſapientiae domicilia inferat, dici vix poteſt. Haec ſegniores efficit potentionum animos ad commoda noſtra non dicam amplificanda, namquis id hodie ſperet? Sed cuſtodienda et ab improborum machinibus defendenda: haec homines maleuolos incitat et inflammat, vt omnia moliantur ad iura noſtra conuellenda et labefactanda: haec repentinas procellas et tempeſtates excitat, quae nulla re, niſi grauitate, conſtantia, patientia, et moderatione componuntur.

Longam coepi fabulam, AVDITORES, verum inuidiosam: itaque quiescam, et de illius potius curae difficultate pauca dicam, quae ad ciues nostros, ad optimos et ingenuos iuuenes, qui ad nos bonarum artium cupiditate commeant, pertineat.

Summa diligentia praecauendum est magistratui Academico, ne quid funesti inter ciues accidat, ne qua pestis bonas mentes inficiat, ne turbae, rixae, aut caedes sapientiae et pietatis domicilia polluant. Beatum Pro-Rectorem, qui hanc muneris sui partem cum plausu potest obire! at proh dolor! pauci hac felicitate potiuntur, dixissem fere, nulli, oculatissimi licet sint et in omnes partes animum conuertant. Neque id mirum videbitur homini res humanas cum aequitate aestimanti: veniunt ad nos ciues nostri ea aetate, qua vis cupiditatum et animi commotionum, quibus nihil vitae humanae perniciosius fieri potest, feruet et inprimis exaestuat: veniunt malesanis opinionibus de honore et iniuriarum vltione opinionibus corrupti, quas nec summorum Regum feuerissima edicta, nec tot sapientissimorum virorum praecepta adhuc exstirpare potuerunt: veniunt ad nos praua libertatis Academicae notione contaminati: veniunt et nonnulli non satis liberaliter educati, domesticisque morbis affecti. His ex caussis vitia illa gigni necesse est, quae in Academiis dominantur: ex vitiis necessaria quadam lege peccata et crimina procreantur. Vtrisque nos exhortationes, increpationes, poenas denique opponimus leuiores, quia non tam seuerorum iudicum, quam patrum

atrum et Medicorum munere fungimur. At m exhortationum et minarum aestus plerumque uentutis obtundit: poenarum nostrarum dedes vix alii sentiunt, quam illi, qui animi quaım ingenuitate, sensuque virtutis praediti sunt. raeterea non in vitia, sed in crimina tantum, uae nascuntur ex vitiis poenae sancitae sunt. a fit, vt vitia, prauique errores occulte serpant, uidquid connitamur, vt exstinguantur, et triissimos saepe casus, sapientissimo etiam Proectore fasces tenente, pariant.[1] Quae quum a sint, permirum mihi saepe visum est, homines cetera

[1] Audiamus alium testem b. BVDDEVM scilicet in *Isag.* L. I. c. I. §. II. p. 49. *Calet adhuc*, inquit, *in iuuentute sanguis in venis, vnde motus atque affectus vehementiores, quibus facile in deuia abripiuntur mortales, nisi fortiter iis resistant, naturaeque impetum, iniecto freno, cohibeant, coërceantque, oriuntur. Accedit, magna, quae vbique fere regnat, scholarum et academiarum corruptio.* (Teutonicas tamen, quod magis in iis, atque in exteris libido quaelibet audendi coërceatur, hisce praefert I. P. *de* CROVSAZ in *Traité de l'Education des enfans*, et multus est in nostris officinis laudandis.) *Nullibi fere, quam in his, solutior viuendi ratio, nullibi plures voluptatum illecebrae, nullibi plura ad peccandum irritamenta, immo nullibi maior peccatorum impunitas. Cum officinae virtutum et domicilia sapientiae, academiae esse debeant, vitiorum omnium nullibi, quam in iis, laetior efflorescit seges. Nec aliorum modo, qui eiusdem sunt aetatis, sed, quod dolendum maxime, qui ipsimet virtutis et sapientiae exemplum iuuenibus praeire debebant, dictis, factis, dogmatibus aguntur in transuersum tenerae mentes, et ad turpia quaeuis abducuntur. Iam cum plerique, qui ad academias accedunt, iam antea eam animo conceperint opinionem, in iis quiduis sibi fas esse, libertatisque, quam iactitant, academicae hanc esse indolem, vt impune peccare liceat; quid mirum, si adaugeantur*

cetera non insipientes calamitatum Academica-
rum caussam in vnum conferre illum, qui prae-
est Academiae: quasi vero is mentium recessus,
in quibus radices omnium malorum insitae sunt,
ad quos soli Deo patet aditus purgare et sanare
posset.

Has Tv omnes difficultates, ceterasque, quas
prudens praetereo, Tv, Vir Excellentissime, a
quo traditam hanc accipio prouinciam, tanta men-
tis constantia, tantaque superasti felicitate, vt
omnium

*geantur potius, quam emendentur aut corrigantur, iu-
uenum vitia.* Haec testis αὐτόπτης, et pietatis aeque
amans quam lenitatis: Tot malorum epidemicorum vna
vnus homo, et is quidem, cui ad anni tantum vnicis dimi-
dium emendandi facultas relinquitur, medicus iure po-
stulari potest? Diuina accedat clementia necesse est, si re-
cordatiorum desideria fructu suo beanda sint. Optant
multi, maior vt senatui academico concederetur potestas.
Quae tamen contra ea minui in dies videtur. Monent
ergo iidem probi viri, patres academiae paternis admo-
nitionibus plus quam poenis profecturos esse, sperant-
que, si in praelectionibus suis suos quisque auditores cre-
brius diuinis disciplinae Iesv Christi et item sanae
rationis argumentis de vita pie instituenda admoneret, si
suo patres exemplo iuuenes ingenuos formarent, si lapsos
Theologorum inprimis venerabilis ordo in viam reducere
omni ratione studeret, tum vero opinione citius magnam
querelarum partem sublatum iri. Quidquid sit, est
eorum, quibus spes vtriusque reipublicae formandae cre-
ditur, nihil eorum negligere, quae ad grauissimum hoc
negotium spectant, sed omnia potius, Deo in partem
curae vocato, tentare, nec concedere, vt neglecti ne-
metum aut alius res officii postulari patres academiae
queant. Neque enim satis est, eruditos tantum domum
remittere iuuenes, publicis muneribus, et curae suo
saluti et multorum hominum quidem, praeficiendos
(M.)

omnium bonorum gratulatione ornatus ad otium reuertaris. Solatur me, nonnihil his incommodis perterritum: exemplum Tvvm, quod, si modo potero, aemulari studebo.

Nec minus vero solatur me vestra, Patres Conscripti, beneuolentia, quam eo satis testati estis, quod in locum hunc ancipitem quidem et lubricum, at honorificum etiam, vestris suffragiis extulistis. Equidem ad Vos, quemadmodum debeo, in rebus omnibus, tamquam ad aram, confugiam: Vos parum forte prouidum, nimisque securum monebitis, Vos natura fortassis paullo molliorem, quam res nostrae ferunt, ad grauitatem et seueritatem reuocabitis, Vos intempestiue cedentem confirmate, Vos quid facto opus sit, praecipite: Ego, quantum per virium mearum infirmitatem licebit, docilem me semper Vobis, aequi, rectique cupidum et ad iussa vestra capessenda alacrem praebebo.

Solatur me denique non amor modo vester, Lectissimi Ivvenes, Ornatissimi Cives, quem mihi toties per hos tres et decem annos, quos in hac Academia doceo, testati estis, verum etiam modestia et virtus. Nulla mihi maior obtingere felicitas poterit, quam si decedens hac prouincia gloriari potero, neminem vestrum me Pro-Rectore malo quodam ad officium reuocatum aut ex hac ciuitate eiectum esse: Facite, Optimi Cives, ne spe huius felicitatis tristis et moestus excidam, naturalemque leuitatem meam expugnare cogar. Ita de Vobis ipsis, ita de hac Academia, ita de Vobis omnes praeclare merebimini.

Ad extremum, AVDITORES, vota vestra meis iungite, supremoque Numini, sine cuius auxilio nihil rerum humanarum beatum, stabile ac firmum esse potest, pro salute POTENTISSIMORVM et SERENISSIMORVM DOMINORVM nostrorum, Academiaeque incolumitate ac gloria supplicate. Adesto DOMINE, gratia et benignitate TVA POTENTISSIMO REGI nostro, Academiae huius hoc anno, quem inchoamus, RECTORI MAGNIFICENTISSIMO Tutori nostro longe clementissimo: Fac domi forisque per multos annos ita splendidus, gloriosus, ac illustris esse pergat, terror hostium, generis humani delicium, ciuium honos, litterarum columen, vti adhuc vniuerso terrarum orbi visus est. Adesto quoque CAROLO, HERO NOSTRO SERENISSIMO et CLEMENTISSIMO, vouisque indies incrementis ornamenta EIVS amplifica: Adesto vniuersae DOMVI GVELPHICAE, eamque aduersus omnem vim et machinationem tutam, felicem, gloriosam praesta: Addesto huic Academiae, atque sartam tectamque gloriam et salutem ipsius serua, quaesumus: Serua Patres Academiae, facque pro clementia TVA, vt omnes et singuli hunc annum, pluresque subsequentes alios salui, laeti, omnibusque corporis animique bonis ornati transigant. Moderare denique sanctissimo SPIRITV TVO mentes optimorum ciuium, qui hic studiorum caussa commorantur, ne cuiquam aduersi aliquid eueniat, verum vniuersi non virtutis modo et modestiae, verum etiam felicitatis spectatissima exempla euadant.

DIXI.

ORATIO

ORATIO SECVNDA
DE
RATIONE
ADMINISTRANDI
REMPVBLICAM LITTERARIAM
IN ACADEMIIS
VT NVNC EST
NON ABROGANDA.

DE

RATIONE MAGISTRATVS ACAD. VT NVNC EST, NON ABROGANDA.*

Vt multa ſapienter et egregie a maioribus noſtris conſtituta ſunt: ita hoc etiam prudentiſſime ſanciuerunt, ſocietatum litteratarum adminiſtros et gubernatores ex ipſis ſapientum collegiis ſumendos eſſe, nec tamen perpetuos hos rectores eſſe debere. Reprehendunt quidem hac noſtra aetate, quae nihil facile veterum legum ac conſuetudinum ſine nota aliqua dimittit, reprehendunt, inquam, nonnulli vtrumque hoc inſtitutum, ſed temere profecto, nec conſiderate ſatis. Vtilius fore quidam opinantur reipublicae, ſi qui ciuitates moderantur, res publicas etiam litteratas regerent. Cauſſam huius ſententiae quaeſiti, cum alia reſpondere ſolent, parum accurate meditata, tum hoc maxime, inter Pontificiae religionis reliquias inter nos ſuperſtites id ipſum eſſe referendum, quod ex ſapientum et eruditorum ordine aliquis ſocietatibus ex ſapientibus et ſapientiae candidatis collectis praeficiatur. Romani nimirum Pontifices, ſi his credas, vt imperii ſui fines amplificarent, Academias et item inferiores ſcholas ciuilium magiſtratuum ditioni calide ſubduxerunt: horum igitur poteſtate abrogata, hoc quoque demirationis Pontificiae fulcrum euertendum eſt, ſcholaeque communi, qua omnes vtuntur reipublicae ciues, auctoritati ſubiiciendae ſunt. Scilicet quidquid diſplicet non-

 nul-

* Dicta 1740, a. d. 25. Iulii, cum auctor magiſtratu academico abiret. (M.)

nullis sui forte commodi, quam publicae salut
cupidioribus, id his nostris imprimis temporib
continuo inter Romanae versutiae et superstitio
nis reliquias nondum inter nos exstinctas referu
Cum hoc genere vt rixemur accuratius necesse no
est. Si quid enim veri est in illis, quae disputant, (
fortassis parum in illis veri est,) si quid tamen ve
est in illis, ad *Protestantium*, qui vocantur, Acade
mias transferri id nullo iure potest. Ecquis enim
ignorat, supremorum imperantium iuribus et au
ctoritati in nostris scholis nihil omnino detrahi,
neque Academias nostras imperia esse in impe-
rio, aut res publicas singulares in republica. Idem
qui apud nos ciuitatis totius legislator, et iudex
est, is etiam supremus est ciuitatum litteratarum
legislator: et quidquid magistratus Academici iu-
ris, dignitatis et auctoritatis habent, id fatentur
sese maiestati, clementiae et munificentiae *supre-
morum* rei publicae capitum debere. *Hanc ipsam*
qui munificentiam et clementiam Regum et Prin-
cipum Protestantium erga ciuitates litteratas ac-
cusant, et rei publicae noxiam esse contendunt,
illi viderint, ne ipsimet in accusationem impru-
dentiae et iniquitatis incidant. Quid, obsecro
vos, AVDITORES, sapientius aut aequitati conue-
nientius es, quam societatum singularum guber-
nationem illis committi, qui rationem, indo-
lem et naturam earum ceteris rectius intelligunt
meliusque perspiciunt? Et quis, nisi excors fue-
rit, negauerit, eruditarum ciuitatum interiores
rationes, quid status earum poscat et ferat, quid
contra respuat et auersetur, nullis melius, quam
primariis earum membris, patere? Quotidiana

pa-

porro vitae humanae vsus demonstrat, nullis salutem societatis cuiusdam cariorem esse, quam illis, quorum salus et felicitas societatis salute continetur? Quocirca, quum salus ciuitatis suprema lex sit eorum, a quibus ista gubernatur, ipsa certe ratio flagitat, vt Academiarum procuratio nullis credatur, nisi illis, qui potiore in illis loco et numero sunt, suaeque idcirco felicitatis incrementa ex Academiae felicitate capiunt. Si vos copiosa oratione morari vellem, adderem his multa alia. Sed non licet mihi hodie diserto esse. Ex multis igitur vnum tantum offeram. Nullae res magis ornant et decent Academiae Rectorem, quam amor ciuium et moderata lenitas. Has vbi virtutes quaesiueris? Certe non apud illos, qui extra Academias viuunt. Vruntur hi plerumque, nescio quonam malo fato, inuidia litteratorum, et eruditorum, et ipsi licet ex Academiis quidquid sciunt et possunt, retulerint, nihil tamen magis cupiunt, quam vt de doctorum iuribus, emolumentis, honoribus, aliquid detrahatur. Quid igitur ab hominibus sic affectis salutare exspectes? Hoc etiam si vitio careant, nec multos ita bonos et sapientes esse, vt eo careant, inficiamur putant tamen, tam stricte et rigide in caussis ciuium litteratorum semper agi posse, vt in aliis negotiis humanis. At certe, AVDITORES, hoc ego certissimus sum, experientia scilicet edoctus, si verum illud est, quod in prouerbiis versari solet: *Summum ius summam saepe iniuriam esse*, nusquam id verius esse, quam in rebus et caussis Academicorum ciuium. Multa iuuentutis erroribus, multa aliis rebus con-

cedi debent, quae in ciuitatibus vix conce possunt.

Accedamus iam ad illos, qui perpetuos Ac demiae Rectores vtiliores fore existimant, qua ad certum tempus creatos. Honestas hi, nc nego, sententiae suae rationes afferre videntu. Experientia enim constare dicunt, omnem pu blicae administrationis mutationem ciuitati detri menti aliquid afferre: vicissitudines ciuitatum scholasticarum et commotiones maximam partem ex perpetua illa gubernationis conuersione oriri: nouum caput noua semper instituta, nouos mores, nouas consuetudines adferre: stabiliores fore Academias et veterum legum seruantiores, si vni semper parerent Rectori: exercitatione acquiri solere agendi facultatem: perpetuum igitur Prorectorem longa exercitatione aptissimum redditum iri ad rem publicam bene administrandam. Sed videtis facile, AVDITORES, vox in primis, qui rerum Academicarum non estis ignari, rationes has maximam partem ab iis proficisci, qui interiorem gubernationis Academicae naturam et formam haud callent. Itaque in illis confutandis longus esse nolo, sed pauca tantum et breuiter quidem monebo. Neque id repetam, quod alii iamdudum contra huius sententiae patronos monuere, iniquum esse, vt vnus homo per totam vitam muneris huius molestias ferat et sibimet ipsi, suisque studiis veluti subducatur: Habent enim, qui secus sentiunt, quod huic rationi reponant: Cogitate tantum, paritatem, quae multis de caussis inter collegiorum littera-

torum

torum membra esse debet non pati, vt vnus semper omnibus praesit: multo enim magis haec seruatur, si omnes vnius, eiusdemque dignitatis fieri possunt participes. Cogitate, hac ipsa continua successione amicitiam et necessitudinem, qua nihil magis optandum est in Academiis, magis firmari et roborari: Cogitate denique, iustum esse, vt in sapientiae domiciliis perpetuae exstet vanitatis et inconstantiae rerum humanarum imago. Nihil omnibus, nihil nobis, qui litterarum studiis dediti sumus, salutarius et vtilius est, quam perpetua recordatio miseriae, fragilitatis, leuitatis et vanitatis omnium rerum. At quid, obsecro vos, AVDITORES, quid, obsecro, efficacius et melius hanc vanitatem adumbrat, quam haec magistratus perpetua vicissitudo, quae in Academiis obtinet. Sumit vnus purpuram, sceptra, fasces: Sed quam diu? Post sex menses exuitur et ad veterem iterum locum reuertitur. Succedit alius, eodem fato. Talis, AVDITORES, talis est vita nostra, tales sunt omnes res mortalium. Omnia caduca, vana, misera omnia! Haec vobis in mentem veniant, quum paullo post me descendere, alium vero ascendere videbitis: Haec semper cogitetis, quum fasces nostros ad alium deferri videbitis!

Hac ob caussas in hac etiam Academia CELSISSIMA et POTENTISSIMA DOMVS BRVNOVICENSIS vices esse sempiternas magistratus nostri, et honorem hunc omnibus communem esse voluit. Praeteriere sex illi menses, quibus Patrum decreto administratio huius ciuitatis concredita fuit, adest iam hora, qua in alium hoc onus deuoluam,

meque meae quieti, (si modo quies dici potest vita satis negotiosa,) vindicem. Qua felicitate, qua moderatione, qua prudentia, Academiae huic praefuerim, vos iudicabitis, PATRES CONSCRIPTI, vos CIVES, qui testes fuistis: ego id vnum affirmo DEVMque immortalem testor, me fide optima res nostras moderatum fuisse et pro viribus cauisse, ne quid detrimenti res publica nostra caperet. Moderationem consectatus sum in omnibus, quoad licuit; vehementer prouidi, ne quem laederem, nec, quoad sciam, vllius mortalium iuribus et honoribus detraxi mihi molestus essem alui, quam aliis. Liticulas forte natas de rebus quotidianis componere studui, ne commoditatibus et otio PATRVM CONSCRIPTORVM officerem. Meo enim iudicio sanctum est otium virorum eruditorum ac litteratorum: quod qui temere et sine graui caussa turbat, is in *ipsam* rem publicam, quae plurimum ex eo *vtilitatis* capit, peccat. Scio, hanc meam lenitatem, patientiam, modestiam alios, vt fit inter homines, laudaturos, alios vituperaturos esse. Ego vero, AVDITORES, (nec enim me publice id *profiteri* pudet,) sic sentio, Pro-Rectorem Theologum (de reliquis enim nihil pronuntio) Pro-Rectorem Theologum id agere debere, vt placabilitatis, mansuetudinis, affabilitatis, humanitatis et patientiae exemplum exhibeat. *Beati enim pacifici, nam filii* DEI *vocabuntur: beati mites, nam haeredes terrae erunt: beati misericordes, nam ipsimet misericordiam consequentur.* Ita IESVS CHRISTVS, Dominus noster et Seruator, pronuntiauit, quem nulli magis imitari debent, qui

ſerui et miniſtri eius. Sed de his veſtrum eſt iudicare, AVDITORES, quod dixi: Ego praepotenti primum DEO gratias ago immortales, qui hanc Academiam per hos ſex menſes incolumen, tranquillam et ſanam ſeruauit, nec accidere aliquid rebus noſtris funeſtum et calamitoſum paſſus eſt. TIBI vni, DOMINE, TIBI vni, non mihi, tribuo, ſi non prorſus mole et inepte officio meo ſatisfeci: Vobis deinde gratias ago, PATRES CONSCRIPTI, COLLEGAE OPTIMI, qui conſiliarii et adiutores mihi fuiſtis. Peperci, quoad licuit, id quod iam dixi, otio veſtro, immo negotiis veſtris: Negotioſum enim eſt otium veſtrum. Quotiescumque vero veſtrum mihi auxilium implorandum fuit, neminem ſegnem et difficilem inueni. Digniſſimi eſtis igitur, quibus publice mentem gratiſſimam ſignificem et officia quaeuis, ſi quae mea ſunt officia, ſingulis ex animo ſpondeam.

Sed nec vos praetereundi mihi eſtis, CIVES GENEROSI, NOBILISSIMI, LECTISSIMI, AMICI et FILII mei! Noſtis me parentis loco vos complexum eſſe: atque de ciuibus ſeruandis diligenter cogitaſſe: viciſſim publice mihi laudandi eſtis, quod filiorum inſtar monitis meis morem geſſiſtis. Perpauci inter vos peccarunt: et nullus, quod ego quidem ſciam, malitioſe peccauit. Tranquilla maximam partem et quieta fuit haec litterata ciuitas, nec infami ſtrepitu et aliis ingenii parum compoſitorum vitiis turbata fuit. Erit mihi hic veſter amor erga me, quem maximi facio, erit mihi haec virtus memori ſemper animo

mo reposita, nec vllam credite mihi, occasio-nem libentius amplectar, quam si quae mihi d[e] vobis bene merendi dabitur.

DIXI.



ORA-

ORATIO TERTIA
DE
PVRPVRA PRORECTORVM
IN
ACADEMIIS

DE

PVRPVRA ACADEMICA. *

Scio, Patres Academiae Conscripti, Cives Generosi atque Nobilissimi, ſcio non easdem omnibus, qui ſolemnem hanc inaugurationis pompam meque magiſtratus Academici inſignibus ornatum conſpiciunt, cogitationes, ſed aliis alias, vt varia ſunt mortalium ingenia, oboriri. Forte aliqui beatum me et felicem iudicabunt, cui cum ipſo noui anni exordio poteſtas ciuitatem hanc litteratam pro Maximo eodemque Sapientiſſimo Rege gubernandi committitur: Aliis rurſus miſer et aerumnoſus videbor, quia maxima pars temporis, cuius parciſſimus eſſe ſoleo, inter continuas interpellationes, animo inter ſpem metumque diſtracto, perdenda erit. Nonnullis forſitan haec cerimonia viuam imaginem vanitatis et inconſtantiae rerum humanarum obiecit aliis tempora illa in memoriam reuocauit, quibus tantum litteris et eruditioni honoris a ſummis Principibus datum eſt, vt maieſtatis ſuae partem in Academiarum Rectores conferre non dubitauerint. Ego antequam cathedram hanc conſcendi, tam ſtudioſe mentem purgaui et compoſui, vt mihi paene vacuus omnibus curis et cogitationibus huc acceſſiſſe videar. Sumſi mihi, et quam potui roboraui, firmum et conſtans propoſitum, fideliter et fortiter ea faciendi, quae facere iuſſus ſum, et pro huius Academiae Salute haud aliter ac ſi mea eſſet, priuata,

* Dicta ab auctore, cum magiſtratum academicum tertium CIƆIƆCCXXXXIV. a. d. 2. Ianuarii auſpicaretur, (M.)

uata, vigilandi. Hoc vnum attuli: Cetera quae animum vel frangunt, vel efferunt, abieci: Bis prouinciam, quam ingredior, mediocriter administraui, non virtute mea, quam exiguam esse libenter fateor, sed Dei auxilio, vestraque prouidentia et beneuolentia, P. A. C. ciuium denique amore suffultus: spero, fore, vt tertio pari felicitate munere hoc defungar. Aderit diuina clementia homini, debili quidem et a praesidiis ad rem bene gerendam necessariis leuiter instructo, atque ingenuo tamen, salutisque publicae cum cupidissimo tum etiam ad omnia, quae res poscere videbitur, suscipienda et ferenda parato. Vos, P. A. C., quod bis egregie fecistis, incertum et haerentem ope ac consilio firmabitis, deuium humaniter monebitis et in viam reducetis, oppressum molestiarum parte leuabitis. Vos, Cives Optimi, de quorum mihi amore gratulor, vos inquam non committetis, vt quod Deo, quod ecclesiae, quod vobis sacrum esse debet, tempus meum litibus cognoscendis, motibus componendis, delictis coërcendis, totum pereat et sine fructu consumatur. Habebitis me, dum vixero - - - . Sed quid verbis? quid precibus, quid promissis opus est? Ipsa, P. A. C. praesentia vestra, plura dicere meditantem continet. Nec enim intueri vos possum, quin tot, tantorumque beneficiorum, quibus a singulis vestrum liberalissime affectus sum, recordatio animum meum subeat, vosque tales mihi fore hoc in magistratu spondeat, quales semper vos expertus sum, amicos, beneuolos, officiosos, placidos, boni publici amantes. Ipse vultus vester,

ster, ORNATISSIMI IVVENES, modestiae plenus et recti moris pignoris mihi loco est, ciuibus me vsurum esse bonis, honestis, piis et, quod omnia complectitur, illustri hac et multis nominibus celebri Academia dignis. Securus igitur futuri id agam tantum, quod maiorum mores a nouo Pro-Rectore postulat, breui vt oratione faustum veluti omen sex illis mensibus, quibus ad gubernacula nostra sedebo, praebeam. Suppeditabunt mihi dicendi materiam Antiquitates litterariarum illarum societatum, quas *Vniuersitates* seu *Academias* nominant: Dicam de PVRPVRA RECTORIS ACADEMICI, atque ORIGINES illius inuestigabo. Argumentum humile est, nec cultum orationis et eloquentiam admittit: idem tamen quum non iniucundum sit, non dubito, quin aequas et beneuolas aures oratori simplici, parumque facundo commodaturi sitis.

Quum certum sit, AVDITORES, non ipsos pallium hoc purpureum, quod videtis, humeris suis imposuisse Academiarum Rectores, non ipsos haec sibi sceptra, quae potestatis signa sunt, sumsisse, sed ab illis, qui supremum in ciuitate imperium habent, accepisse, diu est, quum quaererent viri eruditi, cuinam ornatum hunc debeant, quarum rerum caussa potissimum datus sit? Communis fere consuetudo fert, vt ab Imperatoribus et Pontificibus hoc munus ad Magistratus eruditos peruenisse dicamus, quo Regibus quodammodo aequarentur et supra ceteros ciues extollerentur. Haec responsio, falsi licet nihil habeat, sitim tamen accendit magis, quam ex-

 stin-

ſtinguit eorum, qui rerum quas vident veras rationes et initia ſibi aperiri cupiunt. Iunguntur Pontifices et Imperatores: et incredibile tamen eſt, vtrosque in concedenda hac purpura conſenſiſſe. Nominantur plures: et vnus tamen ſine dubio tantum muneris huius auctor eſt. Quis igitur ille eſt Pontifex? Aut quis Imperator ille, cui hoc beneficium acceptum ferimus.

In diuerſa hic abeunt principes Francorum, Germanorum et Anglorum ſcriptores, quibus diligentius in hanc rem inquirere operae pretium eſſe futurum viſum fuit. In eo quidem vniuerſi conſentiunt, (et quo quaeſo pacto diſſentire illi poſſent!) a ſuprema poteſtate hanc purpuram honoris et maioris dignitatis cauſſa tributam fuiſſe. At quum duplex olim poteſtas fuerit, altera ſacra, ciuilis altera, quum diuiſum habuerint Pontifex Maximus et Reges imperium, in eo primum disiuncti ſunt, vni iſtud dignitatis inſigne adſcribendum ſit. Germanorum plerique, quos inter HERM. CONRINGIVS, aeternum huius ſcholae decus primas fere tenet, [1] Roma purpuram noſtram

[1] Accipe ipſa viri eruditiſſimi verba, in *Antiquitatibus academicis Diſſert.* V. §. XX. p. 159. et edit. celeberr. *Heumanni* p. 162. ſ. - - *a Pontificibus Romanis eſſe, non dubito. Id enim arguit vel illud ſolum, quod orbis terrarum Europae hic habitus obtineat. In quae loca huiusmodi quid introducendi, nec Caeſarum nec Regum in poteſtate fuit. Sed et vnde omnis*, pergit Conringius *purpureus habitus in clerum et eruditos deuenerit, nis Romanis Pontificibus? Sane, nemo non videt, epomidem hanc purpuream Cardinalium Romanorum aemulari. Et* dich

noſtram repetunt, et Pontificum quemdam eius auctorem faciunt. Et habent, quod ſequantur,

L l 2 viri

alias, in Europa quidem, purpureus aut coccineus color a Curia papali demum clero eſt conſecratus. Ea propter quoque nihil dubito, poſt Paulli II. *aetatem primum hoc quidquid eſt, in academias perueniſſe. Is enim omnium primus Cardinales Romanos coccinea eiusmodi veſte* (v. Platina in Paullo) *inſigniuit, quos ante* Innocentius IV. *quo maior ordini accederet auctoritas accreſceret, equo et rubris galeris donauerat. Nec enim vero eſt ſimile, academiarum Rectores ante Cardinales ipſos hoc inuidendo et regio ſchemate vſos. Praefuit autem* Paullus *ille papali ſedi ab anno poſt milleſimum quadringenteſimum quarto ſexageſimo ad ſeptuageſimum primum. Quo tamen tempore an ſtatim et in academias veſtimenti iſthuc genus penetrauerit, equidem dicere non audeo. Sed et parum refert, huius φαντασιας (liceat mihi quod res eſt, fateri,) originem primam accurate nouiſſe. Notari autem meretur, quod ſcribit.* Onuphrius (L. III. de Pontif. et Cardin. creat. in not. ad Platini Innoc. IV.) Innocentium IV. *Papam, cum pileum rubrum Cardinalibus concederet,* "ſignificare voluiſſe, eos qui in illum ordinem legerentur, paratos eſſe debere, pro libertate eccleſiaſtica propriam, ſi opus eſſet, vitam morti exponere." *Id quod ſi ita eſt, (nam* Platina *dumtaxat narrat, factum illud* honeſtandi ordinis cauſſa) *indubie iſthoc habitu non ſubducere tantum omnem academicum coetum et in ſcholis creatos Magiſtros ac Doctores callide voluit Papa imperio Caeſarum, Regum et Principum, adeoque ſibi vni ſubiicere, ſed et animare eosdem ad imperia eiusmodi, etiam legitima, omnia excutienda. Et vero ex eo paſſim coepere omnes Academici clericorum ordini accenſeri: recte tamen longe aliter iudicauit de Pariſienſis academiae membris ſuprema nobiliſſimae illius vrbis*

bis

viri egregii, quum ita sentiunt. Arrogat si Romanus Pontifex supremam in scholas omn et superiores et inferiores iurisdictionem, et h bet in plerisque ecclesiae, cuius caput est, pr uinciis. Quid igitur veri est similius, quam h omnem, quo Rectores scholarum fruuntur, sple dorem a totius reipublicae scholasticae Domi esse profectum? Est vero hic aliquid iterur quod eos segregat, quibus ista placet opini Nec enim eamdem omnes Pontificibus causs suppeditant Academiarum capita purpureo il amictu cohonestandi. Aliqui, quorum princer est CONRINGIVS, cum *Cardinalium*, quos vocat purpura, illum comparant: alii cum pallio, qu *Archiepiscopis* donare solet antistes Roman Illos si audias, voluit Pontifex hoc munere sign ficare, gradu et dignitate pares esse *ciuitatun* eruditarum administros cardinalibus, *quibus ni* hil secundum ipsum Pontificem maius est et ex cellentius in Romano coetu: hos si consulas, te statum hac purpura dare princeps sacerdoti Romanorum studuit, Rectores Academiar quidquid habent potestatis et maiestatis a se, n secus ac episcopi, traditum accipere, legatos suos, seu, vt vulgo loquimur, *vicarios* esse. priori sententia antiquior haud esse potest purpura medio saeculo decimo et quinto, post PAVLLI II. tempora demum inualuit: ex steriori nihil impedit, quo minus multo hab

bis curia, anno superioris saeculi septuagesimo ter
CHOPPINVS *de domanio Franciae* L. XXXVII.
(M.)

antiquior et ad ipsum illud decimum tertium saeculum, quo conditae sunt Academiae, referatur. Differt quidem haud parum, si formam spectemus, purpura haec scholastica et a purpura Cardinalium, et a pallio episcoporum: sed discrimen hoc doctissimi viri parui faciunt, nec tam formam, quam colorem vestibus et consilium Pontificum attendendum esse, statuunt.

Ibimusne igitur in hanc sententiam Avditores, et fatebimur, munificentiae, aut, si mauultis, arrogantiae et dominatui Romanorum Pontificum ornatum hunc imputandum esse? Sed intercedunt et nos ire vetant vno ore omnes Francorum et Anglorum scriptores, quicumque hoc argumentum attigerunt. Nolunt illi omnes Roma origines purpurae nostrae accersi: iubent contra nos credere, Reges suos, non Pontifices, amore litterarum et disciplinarum ductos, Academiarum gubernatores hoc beneficio impertiisse. Angli asseuerant Alfredvm, Regem optimum et doctissimum, quem saeculo nono Academiam Oxoniensem non condidisse quidem, sed instaurasse, volunt, quidquid habet splendoris et auctoritatis Concellarius (sic enim nominant illum, quem nos Rectorem vocamus) *Purpuram*, pileum rubrum, annulum aureum, ocreas, Grimboaldo, primo Cancellario, quem ex Francia vocauerat, largitum fuisse. In quo tamen ita sunt ingenui, vt diffiteri nolint, Francos, a quibus litteras ad se rediisse concedunt, exemplum, quod imitaretur, Alfredo dedisse. Franci cuinam Regum suorum hoc decus Recto-

 rum

inficiari cupiunt. Atqui hoc ſi confectum eſt, illud quoque firmum et certum haberi debet. Francorum ex Regibus aliquem amiculum ho magiſtratus Academici decus et ornamentum eſſ iuſſiſſe. Docent omnes Francorum Iureconſulti, docet inprimis celebre illud Themidis Francicae Oraculum, LVDOV. SERVINVS, ſupremi cauſſarum in ſenatu Pariſienſi, patronus, in cauſis forenſibus, Academiae Pariſienſis Rectorem non Pontificem, ſed Regem Francorum, referre, Regi, non Pontifici, ſubiectum eſſe, nihil a Pontificibus, cuncta quibus fruitur iura et ornamenta a Regibus habere tradita. Cancellarii Academiae, (nam binis illuſtris ſchola vtitur) Pontifici parent, quia Clerici ſunt: verum Rector, qui Laicus eſt, vni ſubiectus eſt Regi, nec alii, quam Regi, factorum rationem reddere debet. Rex parens et conditor eſt Academiae: Rector pro Rege eam gubernat. Atque *hoc ita* ſeſe habere, plurimus conſtat documentis omni exceptione maioribus. Obſeruauit quem iam nominaui, STEPH. PASQVIERIVS, nullum vmquam Romanorum antiſtitum mandata ad Rectores Pariſinos miſiſſe, nulla exſtare decreta Pontificum Rectoribus data: omnes, quae a condita Academia exſtant, epiſtolae Pontificum Cancellariis inſcriptas eſſe, quorum eſt, prouidere, ne religio detrimenti aliquid in hac ciuitate erudita capiat, ne pietati et ſanctimoniae vis inferatur, ne honores Academici hominibus indignis et improbis praebeantur. Habet Rector Pariſinus Conſeruatorem priuilegiorum, non vt olim ſcholae, a Pontifice ſed vnice a Rege. Atque is *Seneſchallus* eſt Pariſie

risiensis, quem *Praepositum* vulgo nominant, qui sacramento solemni ipsi Regi promittit, se esse vigilaturum, ne quid de antiquis iuribus et priuilegiis Academiae deteratur. Addite, Rectorem Parisinum olim Senatus Regii, qui res administrat imperii et *Consilium Status* appellatur, membrum semper fuisse, quod vnum iam a iurisdictione Pontificis eum eximit. Quis, quaeso, haec in memoriam sibi reuocans, negauerit, cum omnia, quibus fulgent Academiarum Rectores, dignitatis et honoris insignia, tum hanc sigillatim purpuram Regum Francorum munificentiae et erga litteras studio deberi?

Restat, vt videamus, cuius ea naturae et indolis sit. Ecquis vero est, qui nesciat, purpureum Regium esse colorem atque Reges olim vestibus sese purpureis spectandos dedisse?[1] Quare praestantissimi quique scriptores cum amictu Regio nostrum hunc contendere solent, atque largitores eius testari eo voluisse iudicant digna esse, qui Regum gaudeant honore et ornamento, societatum eruditarum praesides. Praestantissimi ex Francis scriptores magnificam hanc opinionem valde augent, quum statuunt, nostrum hoc pallium adformam illius, quod Francorum Reges, inter inaugurationis solemnia cingi solent, et a CAROLI M. tempore cincti sunt, prorsus effictum et comparatum esse. Heu! Ciues, quanta fuit maiorum nostrorum gloria! quantum decus! si credere hoc licet, Francorum Reges, suae maie-

 statis

[1] Illum non populi fasces, non *purpura* regum flexit. VIRGIL. Georg. II. v. 495. (M.)

ftatis insignium participes esse voluisse Academiarum gubernatores. Et quis tam est sui honoris immemor vt spiritus sibi crescere haud sentiat quum se Regis Francorum sodalem esse audiat. Verum metuo, vt hoc verum sit. Repugnat forma regii Francorum pallii, quae prorsus a nostri rationibus differt, repugnat color. Quadrangulum id est, aureis liliis distinctum. Coeruleum, denique totum tegit hominem, verbo, paludamentum illud vetus est Imperatorum Romanorum. Mittamus igitur hanc regiae dignitatis vmbram, quam nimis liberaliter nobis multi tribuunt, et minore contenti simus honore.

Quid moror vos, AVDITORES! Enuntiabo id quod certum prope dici potest in hac re et magnis testimoniis nititur. Pallium hoc nostrum, purpura haec nostra, amictus est Ducum *atque Parium* regni Franciae. Non vos praeterit, *esse* in Francorum regno duodecim eminentissimae dignitatis viros et iudices, quos *Pares* regni nominant et plerique ab HVGONE CAPEDO institutos esse suspicantur. Sex horum Parium sacri sunt ordinis: sex ex militum et equitum ordine more veterum deliguntur. His, qui Regi proximi sunt, Paribus concessit veterum Regum aliquis potestatem palliolo purpureo vtendi, quum in supremo Senatu, quem *Parlamentum* nominant, locum suum occupant. *Pares ecclesiastici* ornati sunt purpura *violacea*: *profani* siue saeculares, vt loquuntur, purpura *coccinea* siue rubra. Demonstrat hoc celebris Gallorum scriptor, ANDREAS FAVINVS de *officiariis coronae Franciae Libro* III

Ho:

Hoc Parium pallium prorsus est simile illi, quod Rector Academiae Parisinae, quod *Procuratores quatuor nationum*, quod nostri ad exemplum Parisini Rectoris gerunt, quum inaugurantur et magistratu decedunt.[1] Vix igitur cuiquam esse dubium potest, quin Francorum Regum aliquis, forte PHILIPPVS AVGVSTVS, forte alius, illud eo consilio suae Academiae gubernatoribus dederit, vt eum supremis regni magistratibus siue *Paribus* eos quodammodo sociaret. Idque etiam FAVINVS ille, quem dixi, et post hunc plures alii tamquam rem minime dubiam confirmant et edicunt. Facit, vt puto, ad eam firmandam non nihil, quod discrimen illud vestitus, quod Pares ecclesiasticos et militares distinguit, in Rectore et Protectoribus quatuor Nationum, qui dignitate proxime ad Rectorem accedunt, pariter apparet. Rector nempe epomide ornatur e purpura violacea, quae Paribus sanctioris ordinis propria est: Rubram, seu coccineam purpuram, quae

[1] Quaeri quidem posset, cui principum in Germania virorum purpurae ac dignitati academica respondeat? At quis nescit, multa esse et adhuc vigere inter nos instituta, quorum antiquas rationes vel ignoramus, vel abiecimus etiam. Ita in ritibus ecclesiae Romanae id genus sexcenti sunt. Sufficit, cum nostrae academiae ad Parisiensis rationes institutae sint, statores Musarum Germanicarum nostros Rectores Francicis minores esse, noluisse. Suum praeterea vbique purpurae eminens est pretium. Nec illud a partibus auctoris quemquam retrahet, quum *Magnifici* titulum Pontificis legato debeant academiarum Rectores, (v. orat. proximam) amictum quoque ipsi debere eos, veri valde simile videri. (M.)

quae Patribus ciuilibus concessa est, habent Prorectores. Lutetia ornatus hic ad reliquas Europae Academias transiit, vt alia plura. [a]

Intelligitis, AVDITORES, satis splendidos esse purpurae nostrae natales: vtinam! par illis hodierna eius esset dignitas et auctoritas! Vtinam purpurati Rectores loco illo adhuc collocati essent, qui cum purpura primum illis concessus est. Sed hic etiam illud contigit, quod in rebus humanis solemne est: Res ipsa sensim vicissitudine temporum perit: signa et notae rerum illibatae manent. Priscis illis temporibus, quibus litterae in Europa renascebantur, nihil tam magnificum et splendidum erat, quin Reges atque viri principes id liberaliter cultoribus earum donarent. Postquam robur et vires acquisiuerant, ipsa eruditorum et litteratorum multitudo *de ingenti* pretio, quod illis olim tributum est, *haud* parum abstulit. Feramus hanc iacturam, quae communis est omnium rerum humanarum, aequo animo atque gaudeamus, esse tamen adhuc inter orbis terrarum capita, quae doctorum, doctarumque ciuitatum gloriam, iura et honores non prorsus interire patiuntur. Eminent inter ea maximi celsissimique heroes, Guelphicae stirpis, qui acceptum a gloriosissimis maioribus suis

[a] De purpura hac Prorectorum conferendi sunt b. CHR. TOMASIVS in Disputat. de *iure circa colores* §. LIIX. in Dissertt. acad. p. 224. ZIEGLER Tract. de *iuribus maiestat.* L. I. *Cap.* X, 23. §. 11. GOCKEL. Deliciae acad. p. 119. (M.)

suis litterarum, veraeque eruditionis amorem constantissime seruant, et praemiis honoribusque declarant, curae sibi esse viros, a quibus ornantur, et ciuitates, in quibus florent et docentur. His saluis et florentibus, non metuendum erit, vt huius Academiae, vt huius purpurae dignitas et existimatio plane conteratur et pereat. Tenet merito inter Europae Reges, qui doctrinae et litterarum deliciae dici possunt, principatum AVGVSTISSIMVS et MAGNIFICENTISSIMVS Academiae huius RECTOR, GEORGIVS II. magnae Britanniae Rex, cuius quanta sint in omne genus eruditionis immortalia merita, nemo hodie ignorat, nec vlla vmquam ignorabit posteritas. Floreat igitur et diutissime floreat sanctissimum hoc et augustissimum caput, quod vniuersa veneratur Europa: nouoque hoc anno, nouis gloriae et felicitatis incrementis ditetur. Quidquid gloriae, quidquid felicitatis ad Rectorem nostrum Augustissimum diuino beneficio perueniet, id in hanc eius Iuliam, id in vos Patres Academiae et in vos quoque, Ciues generosi et nobilissimi, ex parte redundabit. Floreat pariter, viuatque felix, gloriosus, beatus CELSISSIMVS DVX noster, CAROLVS, PRINCEPS PIVS, MAGNANIMVS, salutis publicae, litterarumquae, quibus magna pars salutis publicae continetur, amantissimus, cum CELSISSIMA DOMO, singulisque annis opibus; fortunis et bonis omnis generis amplior et maior fiat! Video vos omnes, P. A. et Ciues, video vos omnes ad haec vota mea laetos et lubentes accedere: iisdem si supremum Numen, quod speramus, clemens annuerit, incolumis et florens

stabit

ſtabit haec clara Iulia, tot magnorum animo-cum mater et nutrix, neque vmquam, obſcurior licet paullo, quam olim, prorſus obſcurabitur HAEC PVRPVRA.

DIXI.



ORATIO QVARTA
DE
TITVLO
MAGNIFICI
QVI
ACADEMIARVM PRORECTORIBVS
IN GERMANIA DATVR.

DE

TITVLO MAGNIFICI

ORATIO. *

Meministis, P. A. C. meminerunt plerique vestrum, CIVES GENEROSI, NOBILISSIMI, ORNATISSIMIque, deliciae nostrae, spes atriae, me, quum ante hos sex menses hanc purpuram sumerem, de origine eius ad vos dixisse. Argumenta eiusmodi ex nostris Antiquitatibus non dedecent vt puto, personam eorum, qui magistratu Academiae funguntur. Manebo igitur in hac palaestra atque purpuram vna cum reliquis honoribus ei adiunctis deponens de *titulo* MAGNIFICI, *qui tribui solet Academiarum Rectoribus* nonnihil apud vos verborum faciam. Non longa et erudita oratione onustus venio: parcam vobis, parcam mihi, parcam tempori et quae in mentem mihi de hoc honoris titulo venerunt, quanta fieri potest simplicitate ac breuitate enunciabo.

Saepe mecum cogitaui, AVDITORES HONORATISSIMI, hoc vnde esset, quod rerum publicarum eruditarum moderatores Magnifici nomen proprium veluti habent. Lege id quadam euenit? aut consuetudine? Et quid ista sibi vult, quae gubernatoribus Academiarum tribuitur, magnificentia? Auxit haud parum curiositatem meam, quod animaduerti solos Germanicarum Academiarum et earum, quae ad normam et exemplum Germanicarum conditae sunt, Rectores Magnificos salutari. Non

* Habita 1744. d. 25 Iunii, cum magistratum academicum deponeret auctor.

Non vtitur hoc nomine antiquiſſimae in Europa academiae Pariſienſis Rector, ſed *Excellentiſſimus Ampliſſimus* appellatur, quod chartae oſtendunt CAESARE EGASSE DE BOVLAY, in *Hiſtoria Academiae Pariſienſis* productae. Italicarum Academiarum Rectores *illuſtriſſimi*, non Magnifici, nominantur. Academiarum, quas Anglia foret, Cancellarii, qui Rectorum loco in illis verſantur, *Honoratiſſimorum* titulo gaudent, quod ex ANTONIO WOODO[1] compertum habemus. Hae ergo vnde illuſtrium in patria noſtra ſcholarum gubernatoribus felicitas venit, quod ſoli *Magnificorum* magnifico nomine et a ciuibus et ab aliis etiam compellentur? Ante ſaeculum decimum quintum nullum vocabuli huius veſtigium reperire mihi licuit: At poſt Concilium Baſileenſe inclinante iam quod diximus ſaeculo vbique illud in litteris publicis et priuatis vſurpari videas. Acciderit igitur neceſſe eſt in Germania poſt Baſileenſe Concilium aliquid, quod honorem iſtum magiſtratui Academico pepererit. Id quale eſſet, quum ſtudioſe quaererem, neque vero exquirere poſſem, commode me omni labore leuauit celebris ille Gallorum doctor, IOH. LAVNOIVS, vir cuius doctrinam et rerum veterum peritiam nemo veſtrum, Auditores, ignorat. Is in Hiſtoria *regii Gymnaſii Nauarreni* vbi de IOH. IONIO diſſerit,[2] eius Rectore viro inclyto de ſchola

[1] Cuius habemus *Hiſtoriam* et *Antiquitates Vniuerſitatis Oxonienſis.* (M.)

[2] Integer libri titulus eſt: *Academia Pariſienſis illuſtrata,* qu[illegible]

a sua praeclare merito, aeque eum dignum fuisse, iit, qui magnificus diceretur propter opera, quae exstruxit, egregia atque Rector nouae academiae Basiliensis, quem NICOLAVS CVSANVS, celebris ille et doctissimus, ecclesiae Romanae Purpuratus hoc titulo primum cohonestauerit. Habemus ergo nominis *magnifici* initia, habemus tempus,

tuor partibus diuisa: I. continet, quae ab anno MCCCIV. vsque ad annum MDCXX. in regio Nauarrae Gymnasio gesta sunt. II. Regiae Nauarrae elogia. III. Scriptores CXXXIV. Scriptorumque vitam, seu elogium, cum operum indice. IV. Doctorum CLXIII. qui bene acta vita claruerint, Elogium. Auctore Ioan. Launoio, Constantiensi, Paris. Theologo. Tom. II. Paris. MDCLXXXII. in 4. Verba autem, ad quae hic respicit Ill. auctor, repetemus adductis etiam superioribus, quia iucundam et pulcram rem narrant, ex Tomo II. cap. LXXXIIX. p. m. 1052. - - "Cum Richelius Cardinalis factus est, et Regis administer, pro rebus academicis saepe conueniendus "fuit. Sed non prius aspiciebat Ionium, quam ei de "acceptis in collegio beneficiis gratularetur, et subridens "diceret, *se adbuc eum metuere et reuereri.* Verba sunt, "quibus quantum ibi disciplina florebat scholastica, lu"culenter ostenditur. Sed quia iucunda erat praeteritae "ad Sanctionysianum Monasterium supplicationis recor"datio, Cardinalis petebat ab Ionio, venerabili tunc se"ne, num meminisset se ei vt puerum honorarium adsti"tisse? vix vlla mittebatur ad Cardinalem ab Academia le"gatio, quin legationis princeps Ionius foret. Cardinalis, "cum propter alia, tum propter Ionium maxime, legatos "benigne audiebat excipiebatque, ita vt nisi rebus, certe "verbis contenti redirent. *Ionius, seu Rector, seu aliam "sustinens personam, vere dignus fuit titulo* MAGNIFICI, "*quo et olim Nicolaus Cardinalis Caesanus Basiliensis stu"dii Rectorem cohonestauit.*" Haec Launoius. Forte alia, quae pertinent ad hanc disputationem, in libro magno et vario occurrunt, sed indice caret, et totum vocis caussa perlegere librum, non vacat. (M.)

pus, quo illud natum est. NICOLAVS A CVSA siue CVSANVS auctor eius est; qui illud Basileensis academiae Rectori princeps contulit. Basiliensis vero Academia anno millesimo quadringentisimo quinquagesimo nono nata est: quare aut hoc ipso anno, aut post primum illud adhibitum et Basilea deinde ad reliquas Germaniae Academias ex Germanicis ad Batauas et Septemtrionales propagatum est. Vtimur ergo eo legati Pontificii, is enim CVSANVS diu fuit, beneficio.

Verum sentio cupiditate vos accendi *caussas* et *rationes* sciendi, quibus CVSANVS commotus fuit, vt tam splendido nomine Musarum Basileensium caput ornaret. De his igitur pauca quaedam adiicio. Duas habet vocabulum *Magnificus* in monumentis aeui, quod medium vocare solent, *notiones*. Primum *Magnificus idem est*, quod is, qui *magna facit* aut facere potest, verbo, is quem nos hodie *Potentissimum* nominamur. Hinc CAROLVS M., hinc antiquiores Francorum reges in antiquis tabulis *Magnifici*, id est, *Potentissimi* Reges appellantur. Deinde magnifici Romanis audiunt, qui *splendidi* sunt et magnam sibi dignitatem vestibus, satellitibus, comitatu, aliisque rebus pariunt. Priorem notionem ipsa, quod videtis facile, res recusat. Maior enim licet olim potentia fuerit, quam est hodie, Rectorum Academiae, tanta tamen fuit numquam, vt Potentissimis aut illis, qui magna faciunt et facere possunt, annumerari potuerint. Splendorem igitur CVSANVS spectauit, quum novae Academiae Basileensis Rectori Magnifici no-

me

men imponeret. At qualis, quaeso splendor nobilitat hos, qui ciuitatibus eruditis praesunt! qualis sigillatim in Basileensi. Rectore splendor et magnificentia fuit? Quaestionem hanc Heluetorum Historici dirimunt, maxime Ioh. Itear. Hottingerus in sacra Heluetiae Historia. Omnes olim Academiarum Rectores multis ceremoniis, splendidoque apparatu munus suum agrediebantur, eamque ob caussam magnificorum sibi nomen arrogare certo modo poterant: At omnes splendore ac magnificentia superabat, quum recens adhuc esset, Academiae Basileensis moderator. Is nimirum incredibili pompa, magna procerum et equitum turba comitatus locum suum capessere solebat, vt ad hanc caerimoniam videndam innumerabilis plerumque variis ex locis multitudo conflueret, nec aliter nisi magnifico habitu et angusta forma in publicum prodire solebat. Hoc adduxisse videtur CVSANVM, Pontificis ad Heluetos legatum, vt eum potissimum, magnifici titulo condecoraret.

Isto honoris et dignitatis signo mihi per hos sex menses Regis Potentissimi clementia, vestro, PATRES CONSCRIPTI, beneficio vti licuit: illud ego nunc laetus ac lubens depono et in alium me digniorem transfero. Quod dum facio, non vnam habeo gaudendi, Deumque celebrandi caussam. Quaecunque enim ex hoc ipso loco ad magistratum hanc accedens a supremo Numine deprecatus sum, ea omnia, quae infinita eius est benignitas, consequutus sum. Licet mihi vos omnes, quod volui maxime P. C., quos sub

 initium

initium muneris ſalutaui, in eius exitu ſaluos, incolumes, florentes venerari. Nulla lis aduerſa fortunam noſtram afflixit. Nulli motus ciuiles et inteſtini rempublicam noſtram turbarunt et concuſſerunt. Nemo ciuium noſtrorum criminis aut delicti cuiusdam accuſatus: immo vix in ius aliquis eorum vocatus eſt. Numerus ſolito maior additus eſt ciuitati noſtrae membris iuuenum moratorum et ingenuorum, quorum adhuc nullus vitioſitatis ſibi notam aliquam inuſſit. Si qua igitur inter Germanicas illuſtris eſt ſchola, quae ciuibus honeſtis bonis et flexibilibus vti ſeſe gloriatur, haec certe noſtra nunc eam ſibi laudem inprimis vindicare poteſt. Quid dicam de tot viris eruditis et egregiis, qui ſupremos Theologiae, Iuris et artis Medicae honores virtute ſua et ſpeciminibus eximiis ſibi apud nos pepererunt? Quid reliqua memorem nobis grata et iucunda, quae vel iam conceſſa nobis ſunt vel non temere ſperantur! O pater, o ſupreme bonorum omnium auctor, da, quaeſumus, vt melioris fortunae, quam concepimus, ſpes ſtabilis et perennis ſit! Fac, ſupplices Te oramus, vt fauſtis, quae Tvae accepta ferimus clementiae, initiis progreſſus ſuccedant laetiores! Effice, obſecramus, vt ſaluo et incolumi Avgvstissimo et Potentissimo Rege Georgio II. Rectore Magnificentissimo; ſaluo et incolumi, Carolo, Hero noſtro clementiſſimo; ſalua et florente celſiſſima familia Brunouicenſi, haec bonae mentis et ſapientiae ſedes tot magnorum virorum magiſtra et nutrix, ad priſtinum decus ſuum redeat et nouis indies ſplendoris et gloriae acceſſionibus locupletetur!

Secur

Secundum Deum vos mihi laudandi essetis, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, collegae coniunctissimi! qui studiis, scriptis, laboribus, et institutione prouidistis, vt Iuliae nostrae honos et dignitas amplificaretur. Sed ab hoc instituto cum me vestra praesentia retrahat, hoc saltim patiemini, vt, quas amplissimas debeo gratias paucis vobis agam de summa, quam semper testati estis, voluntate me adiuuandi et consiliis, monitisque vestris erudiendi. Habebitis me semper cum multis aliis, quae omittere debeo, nominibus, tum hoc potissimum, dum haec vita suppetet, ad quaeuis officia paratissimum. Faueat ceterum vobis diuina clementia, viri egregii, vosque quam diutissime sospites, et incolumes ingenti huius Academiae bono praestet!

Nec praetereundi mihi estis, CIVES GENEROSI, NOBILISSIMI, ORNATISSIMIQUE, spes et amor noster! Quod sub initium magistratus mei auguratus sum ex vultu vestro, fore, vt vos omnes obsequentes, faciles, bonos et honestos haberem, id summo meo cum gaudio mihi obtigit. Intellexi multis ex rebus singulis id curae cordique esse, cauere, ne quis mihi aliquid molestiae crearet, ne quis temporis, cuius me valde parcum esse, fateor, particulam mihi eriperet, ne quis animi parum compositi, rixosi vitiisque dediti, infamiam sibi contraheret. Itaque vix sensissem, nisi publica negotia et iurisdictio me interdum admonuissent, me magistratu inter nos fungi. Quantum mihi hic amor et haec modestia vestra, gaudium attulerit, incredibile dictu est. Vellem,

de singulis vestrum bene merendi facultas mihi concederetur: quam quum concessam mihi esse noluerit diuina prouidentia, faciam tamen, vt posthac tero, ne quis votis et commodis vestris inseruiendi voluntatem vmquam in me desideret.

Acta sunt, quae ius, quae fas, quae officii ratio agi a me voluerunt: si minus bene omnia, nihil tamen mala fide, aut parum ingenuae actum est. Restat vltimus actus, vt in TE, VIR ILLVSTRIS, CONSVLTISSIME et AMPLISSIME F. C. CONRADI,[3] SERENISSIMO DVCI *a consiliis aulae, collega et fautor multis de nominibus colende*, quem mihi ob spectatissimam prudentiam, virtutem et insignia merita successorem Patres Academiae designarunt POTENTISSIMO REGE et RECTORE MAGNIFICENTISSIMO approbante hoc Senatus Consultum, ornomenta transfero. Accede igitur, vir ILLVSTRIS et CONSVLTISSIME atque celebris meritis TVIS, quae omnes summa esse nouimus, hoc etiam adiice, vt *ciuicam* TIBI aliquando *coronam* ob bene et sapienter iterum administratam rempublicam, et seruatos ciues gratissimi decernere quaeamus.

Sume primum hanc *purpuram*, dignitatis TVAE insigne, quam Francorum primum Reges Academiae Parisiensis Rectoribus indulserunt, vt testatum facerent, se reipublicae suae litteratae moderatores

[3] Decessit is ex statione, quam tot ornamentis et optimi cuiusque plausibus ornauit, atque adeo ex mortali hac vita A. a. N. C. CIↃIↃCCXXXXIIX. a. d. 17 Iul. academiae, bonis omnibus et Themidi magnum sui desiderium relinquens. (M.)

'eratores eodem quo proceres, siue *Pares* re-
ni, loco habere. Molesta plerumque haec tuni-
a est, et aeque premit, atque ornat. Mihi su-
remi Numinis beneficio leuis fuit: faxit illud,
t eadem, immo, si fieri, id potest, maior Ti-
i felicitas obtingat.

Commitantur purpuram haec bina *sceptra*, quae documenta esse non ignoras potestatis ab Imperatore et celsissima domo Brunouicensi Tibi concessae. Tv, cum omnia, vt es iuris consultissimus, melius, quam ego quidem dicere possum, nosti, quam magnifice Te officiorum illa admoneant. Referes Tv inposterum inter nos Regem vt potentissimum, ita iustissimum, sapientissimum, clementissimumque. Nemo nostrum est, qui dubitet, Te summum hoc exemplum pro modo rerum nostrarum iustitia, moderatione et placabilitate inter nos exhibiturum esse.

Adiungo bina haec *sigilla*, aureum alterum, alterum argenteum. Optas, nouimus, Tv ipse, optamus Tecvm omnes, qui huic Academiae bene cupiunt, vt nulla illis firmes decreta, nisi quae salutaria omnibus et Tibi honorifica, ciuibus iucunda et accepta sunt.

Dicerem ex hoc *codice* intellecturum esse Te iura et leges nostras a Summis Principibus huic Academiae concessas, nisi scirem et scirent omnes, nihil eorum, quae eo continentur, ignotum Tibi esse. Patere igitur tantum, vt Te ver-

 bo

bo moneam, etsi huius admonitionis haud indi geas, codicem hunc perpetui instar signi Tibi s se, Te iurium et legum nostrarum custodem c tum et a Potentissimo Rege nobis datum fuit.

Ex hoc *albo* numerum et nomine ciuium T rum cognosces.

Claues hi potestatis Tvae aliud insigne su Patent Tibi omnia nostra, quae reliquis occlu sunt. Nos Te caput nostrum venerabimur: T pro Tva sapientia et vigilantia, vt securis nob Te praeside liceat esse, prouidebis.*

Liceat mihi postremo me ciuem Tvvm primu profiteri, Tibique verbis Academiae totius re uerentiam et obsequium, quod debemus, po ceri. Salue, Magnifice Domine Prorecto! Praestet Tibi supremum Numen animi corporis que vires integras et incolumes, vt oneri, quod Te expectat, sufficere possis: aperiat idem Tibi plurimas occasiones commoda et gloriam huius Academiae amplificandi et roborandi.

DIXI.

* Nolui hanc orationis partem abiicere, quae magistra academici honores conferendi cerimoniam non modo de scribit eleganter, sed simplici etiam ac natiua interpreta tione exornat. Id vero est, quod reuocasse in memori am iucundum videbitur multis, quos dulcis academi vitae delectat recordatio. (M.)



OR-

ORATIO QVINTA
DE
VETERI
CVRSV THEOLOGICO
SEV DE
EXERCITATIONIBVS
ET
EXPLORATIONIBVS DOCTORATVS
THEOLOGICI CANDIDATORVM.



DE VETERI CVRSV THEOLOGICO ORATIO. *

Hauſtus ergo iterum et poſteris in faſtis noſtris commendandus dies illuxit, qui IVLIAM noſtram, tot olim nominibus ſanctam
illuſtrem, tot meritis in omne doctrinarum
enus nobiliſſimam, tot immortalibus hominibus
ılgentem, priſtinum decus ſuum tueri adhuc,
eterisque gloriae formam quamdam diuino be-
eficio ſeruare, demonſtrat. Honorari ſeſe cu-
it publico ordinis noſtri teſtimonio vir ſuis du-
um meritis honoratus et venerandus: Nos, im-
ıetrata clementiſſimi Herois, qui gubernat hoc
nno Academiam, facultate adſumus ad eum or-
ıamentis, quae meretur, impertiendum et riti-
ɔus a maioribus nobis traditis doctoribus noſtris
ıggregandum. Fauete, PATRES, fauete, CIVES,
ſolemni huic diei, et vota Nobiſcum concipite,
vt ſaepius ille ſplendidior, ſerenior, laetior redeat. Quot ex hac cathedra diuinae ſapientiae doctores creabuntur, tot fulcra, tot patronos, tot fautores, tot gloriae ſuae teſtes haec alma mater noſtra recipiet. Ego, cui primas partes ſors hodie agendas dedit, pro virium mearum modo ſtudebo, ne lucem hanc obſcuraſſe, faſtidiumque et moleſtiam, voluptatis loco, tam ſplendidae, quam laetus intueor, concioni creaſſe videar. Oratione quum me ſcenam aperire leges velint, breuitate partim, partim argumenti iucunditate eloquentiae, qua me laborare et magis in-

* Habita et Helmſtadii, A. R. S. cIↄIↄccxxxi. a. d. I Iulii. (M.)

indies laborare ſentio, inopiam compenſab. Dabunt mihi dicendi materiam antiquitates a-demiarum, quarum cognoſcendarum iure cupidi ſunt, qui vel docent, vel diſcunt in academiis, atque *quot quamque moleſtis gra-* Saeculo XIII. et XIV. *adſcendendum fuerit ad* *ctoris diuinae ſapientiae dignitatem* ex monumentis minime fallacibus demonſtrabo. Spero, neminem veſtrum fore, AVDITORES, quin haec dignis auribus accipiat atque rebus publicis Scholaſticis, non ſecus ac ciuilibus, ſuas etiam conuerſiones eſſe, ſenſimque mutari, quae ſapienter a maioribus conſtituta ſunt, libens intelligat.

Doctoratus Theologici initia, AVDITORES, perobſcura ſunt. Certum eſt Lutetiae Pariſiorum, ... ſub ſaeculi duodecimi finem aut decimi tertii initium eum eſſe natum, et hinc Bononiam primum, deinde medio ſaeculo XIII. Oxoniam propagatum eſſe.[1] Atqui ea, quae de auctoribus huius

[1] De origine quidem philoſophica academicorum honorum nemo dubitat, quin ea ſtudium Principum in republica virorum fuerit, ornamentis hiſce ad praeclara quaeuis et ad omne virtutis decus erectioris indolis iuuenes inuitandi: at de hiſtorica magna eſt ob veterum ſcriptorum ſilentium eruditorum diſſenſio. Quos mihi quidem conſulere licuit, (conſului autem IO. CHRISTIANI ITTERI *Diatribam* de *Gradibus academicis* *Gieſſae* 1689. in 8. cap. III. p. 16. ſſ. et IACOBVM MIDDENDORPIVM in L. IIX. de *academiis celebribus vniuerſi terrarum orbis Colon. Agripp.* 1602. in 8. L. I. c. XII. p. 120. ſſ.) ii in hoc fere conſentiunt, honores hos academicos LOTHARII II. ſ. Saxonis temporibus primum natos, atque hanc anguſtae huic liberalitati cauſſam ...

iius instituti, quae de anno, quae de primo Doore Theologiae varie differuntur a variis, si cuncta

se aiunt: Imperator bellum aduersus Siciliae regem Rogerium gerens non sine magno animi dolore oppressum bonarum artium et legum inprimis Romanarum, studium animaduertisse, atque vt primum restincta bellorum flamma pacatior reipublicae status rursus effloruerit, iussisse fertur Cancellarium suum Irnerium (Wernerum vocant alii) iuris et aliarum scientiarum studia in pristina domicilia postliminio quasi reducere, additis nonnullis legibus, quae et vitam iuuenum et studiorum rationem definirent. His vero nouis statutis vt sua constaret auctoritas, per eumdem Irnerium *gradus* quos vocant, *academicos* stabiliisse, iusque illos conferendi, vt loquimur, antiquissimae Bononiensium scholae, praescriptis iuxta a Cancellario certis ritibus in *promotione* seruandis, concessisse dicitur. Primum ICtorum nonnulli, vt BVLGARVS, HVGOLINVS, MARTINVS, PILEVS, hoc honoris insigne acceperunt, paullo vero post etiam diuinae sapientiae consultis illud tributum est, nec in Bononiensi tantum, verum etiam in aliis et Parisiensi inprimis, in qua vero qui PETRVM LOMBARDVM, principem hoc splendore sollemni pompa decoratum fuisse putant, falluntur, sententiarum, vt videtur, *magistri* nomine decepti. Siquidem vt CONRINGIVS *Antiqu. acad. Diss.* IV. p. 134. docet, nondum Saec. XII. vsu fuit recepta Magistrorum s. Doctorum laurea (v. verba FILESAEI in nota proxima.) *Graduum* iam nomina accipe, quae parum quidem latina, at eo honorificentiora sunt: primus est *Baccalaureorum*, qui tyrocinii depositi insignia iam acceperunt, hos Theologi in duas cohortes distribuerunt, alii enim sunt *Baccalaurei biblici* s. currentes, alii *Baccalaurei formati* vel sententiarum. Alter est *Licentiatorum* s. Mellodidascalorum vel prodoctorum: Qui omnia militiae huius scholasticae munia multo sudore effuso strenue ornarunt; Ad summum tandem et tertium quidem gradum adscenderunt, et *Doctores* ac *Magistri* vocantur. *Insignia* Doctorum sunt *Osculum*, studii in rempublicam nota; *annu-*

cta rite explóres, coniecturis parum certis c
tinentur, neque ex monumentis et chartis, q
adhuc in lucem protractae sunt, firmi aliqui
solidi erui potest. Aeque dubium est, vtrum i
Doctoris Theologiae, an Theologiae Iuris Do
ribus antiquiores sint: Hoc vero controuersia
cat, vtrosque a Doctoribus seu *Magistris* Philo
phiae siue Artium, vetustate superari, atque m
rem hunc Doctores Theologiae et iuris crea
ob *Artistis*, (sic enim Philosophi olim vocab
tur,) ad Theologos et Iurisconsultos perueni
Citius nimirum artium liberalium doctores, qu
Theologi, Iureconsulti et Medici in collegiu
coierunt et idcirco citius etiam accurate e p
randos et probatos certis ceremoniis de nume
discentium eximendos esse, qui in collegiu
suum cooptari vellent, censuerunt. Hos cet
rarum deinceps disciplinarum Professores imita
sunt.

Sec

annulus, qui monet, nihil praeter virtutem, aeter
esse, in hac sola nullum esse extremum: *Pileus* solum sa
pientem vere liberum esse docet, *epomis* denique r
heroici pectoris est argumentum: ita

- - - *Sapiens vno minor est Ioue, diues*
Liber, honoratus, pulcer, rex denique rerum.
HORAT. Ep. L. I. ep. I. v. 10

Plura, qui hac de re nosse cupiat, is legat velim Bo
TII EPONIS orationem de *bonorum academicorum* tit
lis edit. *Lotteri* Lipſ. 1727. 8. et quos arripere poterit e
ea nube scriptorum, qui excitantur in CASP. THV
MANNI IC. *Bibliotheca academica* de *rebus et iuribus* a
demiarum et academicorum rel. *Halae Magdeb.* 1700.
add. FRANC. IVNII *Academia*, Heidelb. 1587. D
sunt viri huius fata quae ex *Bailii* Dictionaire cognosc
tur. (M.)

Sed mittamus haec, et ea tantum promamus, ¦uae de exercitationibus et explorationibus, a ıturis Theologiae Doctoribus, olim, quum lorerent Academiae, subeundis ex fide dignis ntiquiorum scriptorum monumentis decerpsimus. Asperum, triste, longum, difficillimum ter videbitis; tale denique, quale si hodie ab ıonorum Academicorum candidatis, non dicam otum, sed ex parte tantum suscipiendum esset, ıemo facile vnus, nemo, AVDITORES, pileum llum purpureum, qui Doctores ornat, appetiturus sset. Verum, qui primi Academias saeculo naxime decimo tertio instruebant, Doctoris Theologiae nomen et iura res esse putabant auro ¦uouis cariores et maximis ideo laboribus et incredibili patientia dignissimas, immo duris legibus suis praestantiam et dignitatem earum extollere ignauosque et ignobiles ab illis arcere quam naxime cupiebant.[1] Audite *primum*, quibus ornatus esse debuerit dotibus, qui supremum honorum

[1] Audiamus IOANNEM FILESACVM, Sorbonicum Doctorem, *Philippo Augusto*, inquit, *rege* (Galliarum ab anno 1180. vsque ad a. 1223.) *nullae aut paucae leges, vt nec sollennes ritus et formulae, ad curriculum theologicum emetiendum, vel Doctoralem lauream adipiscendam. Sed, vt ego arbitror, prout quisque in rerum theologicarum cognitione sub Theologis, qui publicas habebant scholas, profecisset, communi velut auditorum consensu ad libros V. aut N. Testamenti sese accingebat*; et paucis interiectis *cum scioli*, pergit, *quidam et, qui vix Theologiam degustassent, illud publicum docendi munus vltro sibi arrogarent, Doctorum melioris notae, qui tum erant, iudicio ordo ille theologicus formam legitimae societatis, tum*

norum Theologicorum gradum aſpirabat: adiungite vos *deinde* mecum comites huic homini currenti iam aut *curſum*, quem vocabant tu temporis, ſuum ineunti et tenenti: videte de*que* quid agendum ipſi fuerit curſu finito et cathedrae iam ſuperiori limine, immo in ipſa cathedra poſito et collocato.

Adeſt igitur *primum* vir doctus, atque litteris Decano et Collegio Magiſtrorum exhibitis demiſſe

tum primum habere coepit. Hinc leges nonnullae ſcriptae, et quidem ante annum MCCC. quod ex vtroque codis MS. noſtrarum legum, tum antiquiore, tum recentiore, firmari poteſt. Et paullo poſt: *Ne in facultatem Theologicam*, inquit, *etiam imperiti irrumperent, hinc ſacra theologica Facultas in quatuor velut ordines diſtributa*, Magiſtrorum, Licentiatorum, Baccalariorum formatorum, et Baccalariorum curſorum. *Inde publicae exercitationes indictae* (actus theologicos *appellant*) Exſpectatoria, *ſiue* Exſpectatiua, Tentatoria *ſiue* Tentatiua, Sorbonica, Ordinaria, Quodlibeta, Collationes, Diſputationes in Reſumtis et *ſimilia. Iis theologicis progymnasmatibus originem dediſſe videtur, quae tum inualuit conſuetudo, publice videlicet interpretandi libros ſententiarum.* Et interſperſis nonnullis: *Bibliae Curſum dixere veteres S. Scripturae tempus aliquod addictum. Ab eo vero docendi munere Theologicum curſum ſuum ordiebantur nuperi illi* Baccalarii Curſores, *ac poſtea* Sententiarum Petri Lombardi libros quatuor *interpretabantur. Hinc nota illa diſtinctio* Baccalariorum *apud* maiores, ut *alii* biblici, *alii* ſententiarii nuncuparentur. Haec IOANNES FILESACVS, celebris iſte verſionis Bibl. vulgatae defenſor, in L. de *origine Statut. Facult. Theol. Pariſ.* p. 21. 22. 27. et 43. Sexcentos alios de honoribus academicis earumque ritibus laudat CASP. THVRMANNVS in *Bibliotheca Academica* ſ. potius rerum litterariarum omnium Tit. PROMOTIONES ACADEMICAE p. 189. ſſ. (M.)

misse potestatem sibi dari petit, *cursum* suum *incipiendi*, id est, recitationibus, disputationibus, explorationibus varii generis virtutem suam et in sacra sapientia profectus declarandi. Facilesne sese praebent Magistri his precibus? Immo vero difficiles. Quaerunt primum accurate de patria, ortu, genere, vita et moribus hominis: negant enim fas esse alium, quam honesto loco natum, ingenuum, bene moratum, bonae existimationis et famae inter Doctoratus Theologici candidatos cooptari. Quaestionibus his feliciter expeditis, alia de aetate nascitur. Quot annos habes, tu qui cupis ordini nostro adscribi? Si nondum triginta quinque vitae Tuae annos natus es, noster esse, haud poteris. Hanc aetatem candidati ROBERTVS de CVRCEO, auctoritate Pontificis Maximi, cuius legatus erat, A. 1215. Lutetiae Parisiorum definiuit. THOMAS quidem de AQVINO annos tantum viginti quinque natus erat, quum ad exhibenda publicae specimina admitteretur. Sed quod huic, id nulli praeter eum contigit. Superabat THOMAS annos virtute et ingenio, pondereque meritorum suorum magistros Parisienses etiam inuitos cogebat, vt veniam aetatis concederent. Si nec aetas impedimenti aliquid votis candidati ponebat, maximum parere obstaculum poterat artium seu Philosophiae ignorantia. Primae quidem Theologorum scholae non requirebant in illis, qui docendi facultatem sibi dari postulabant, magnam artium liberalium et rerum Philosophicarum peritiam: Satis ille Magistris aptus et idoneus videbatur, qui sacras litteras pro rudi saeculi more interpretari atque veterum doctorum scitis et sen-

sententiis dogmata sacra firmare poterat. Verum hanc veterum Magistrorum lenitatem viginti ac triginta circiter annis elapsis tyronum Theologorum inertia et negligentia tollebat. Hic nempe artes omnes liberales, eloquentiam, Logicam Rhetoricam plane contemnebant et ad Theologiam statim, relictis reliquis rebus conuolabant, quo citius ad dignitates, munera, et loqui solebant, *beneficia* peruenirent. Quae requum multum detrimenti compararet ciuitati Christianae et Theologos imbelles, loquaces, rerum ignaros in cathedras produceret, sollemni lege Parisiensis primum Theologorum ordo, deinde Bononiensis et Oxoniensis cauit, ne cui aditus ad supremos in Theologia honores aperiretur, nisi qui *rexisset antea in artibus:* haec formula saeculi erat istius: nostro stylo dicendum esset: Nisi quis Magister Philosophiae *legens* alicubi fuisset. Seuera haec lex acerrimis concertationibus et rixis, maxime cum Dominicanis, qui faciliori et breuiori via ad suggestum Theologicum properabant, occasionem dedit: at salua tamen et incolumis contra omnes machinationes perstitit. Et hac lege lata, Doctoris primum Theologiae titulus auditus est, quum omnes antea, qui docendi munus merito suo adepti erant, communi vocabulo *Magistri* salutarentur.[2]

Necesse

[2] Quum hic de Magistris, qui nunc vocantur, liberalium artium data opera non agatur, nolumus adferre loca in [illegible] vel ex Filesaci verbis clara. Adduceremus etiam ex *epist.* [illegible] *obscurorum virorum* hanc in rem loca, si castum sermonem auctoris nostri flumen turbare non dubitaremus. In [illegible] lis enim nugis Theologi aliquoties κατ' ἐξοχὴν *Magistri nostri* salutantur. Hinc factum V. C. est, vt CAROLI V. [illegible]

Necesse scilicet erat, quum nullis, nisi artium Magistris, via ad diuinae veritatis professionem publicam pateret, vt quibus hoc beneficium obtigerat, proprium vocabulum imponeretur; Aemulati sunt exemplum Theologorum, eadem licet necessitas eos, quae Theologos, minime premeret. Iureconsulti et Medici, atque illos, quos Magistros antea vocauerant, pariter *Doctores* salutari voluerunt, Magistri nomine *Artistis* solis, seu Philosophis, relicto.

Intelligitis facile, AVDITORES, praeter liberalium artium cognitionem Theologiae quoque non mediocrem scientiam in homine desideratam fuisse, qui Theologiae Doctoribus adscribi sese volebat. Certis igitur testimoniis, antequam Collegium Theologorum statueret, docendum ipsi erat, sese probatissimis diuinarum disciplinarum magistris, vni saltim fama et vitae non minus, quam doctrinae castitate notissimo diligentem operam dedisse. Quot vero putatis annos? Num duo, tres, quatuor? Sufficiunt tot nobis. At prisco illo aeuo minime sufficiebant. Arcebat lex Pontificia iam decimo quinto saecul XIII. anno lata, omnes a spe Doctoratum Theologicum impetrandi, nisi qui octo annos continuos in scholis sanctioribus perpetuus auditor et discipulus fuisset.

V. datas ad Academiam Viennensem suam litteras inscriberet: Den Würdigen, unsern lieben Andächtigen und Getreuen ⸗ ⸗ ⸗ Rectoren, Magistern und Doctoren unsferer Universität zu Wien. Doctores hi Iuris sunt et Medicinae. (M.)

De his omnibus, quae diximus, cum sati factum esset magiſtrorum ordini, *exploratio* ta *priuata*, quam *publica* petitori ſuſtinenda era eademque ſeueriſſima Primum ex promta memoria et facili lingua ad quaeſtiones ſubtiliſſimas quas ſinguli magiſtri congregati proponebant diſſoluendae erant: deinde in publicam deducebatur arenam atque de quaeſtione a magiſtris delecta contra quosuis diſſentientes et contraue nientes defendere cogebatur.

Euge! eluctatur iam, tot difficultatibus exhauſtis, candidatus noſter. Probat venerabilis magiſtrorum ordo hominis conſilium atque carceribus ſtadii recluſis decurrere ipſum omni virium contentione iubet, dum laurea potiatur Theologica, quam optat. Nouo iam nomine de ceterorum *ſtudentium* turba eximitur: Dicitur enim *Praeceptor in Theologia*, quoniam incipiendus ipſi eſt longus ille et formidandus *Curſus*, qui ad cathedram ſuperiorem, ad honores et iura Doctoris, ducit. *Curſus* dicebatur maioribus noſtris tempus illud, quod primum Theologiae gradum appetenti in variis exercitationibus conſumendum erat, ex quibus cum Magiſtri, tum vniuerſa Academia, cognoſcere poſſet, for vt Doctoris nomen aliquando cum laude et fruc diſcentium geſtaret. Hinc *lectiones*, quae iſ ſpatio habebantur, *Curſoriae* dicebantur. N men hoc apud Theologos adhuc reſtare, noſ et rei ipſius vmbram quamdam licet leviſſima at poteſtatem nominis amiſſum fere eſſe, fa mur. *Curſus* iſte, quem diximus, non aliquo vt hodie apud nos, diebus, non aliquot me

ſiſ

ed compluribus annis . abſoluebatur. octo Lutetiae Pariſiorum annos canue decurrebat, in aliis Academiis em, immo plures. Modum nemuam annorum numero ſtatuebat ſpecurrentis virtus et doctrina: at de ſeocto) tamen annis rariſſime aliquid Magirum ſeueritas detrahebat.

Longus iſte et moleſtiſſimus curſus in quatuor diſtinguebatur *principia*, vt tum loqui ſolebant. Duo horum principiorum debebantur interpretationi librorum ſacrorum: duo explicationi Magiſtri Sententiarum, ſiue Petri Lombardi. *Primo curſus anno* Inceptor noſter librum quemdam ſacri codicis in ſchola celebris cuiusdam magiſtri, qui et ipſe cum collegis aliquot, aderat, declarabat. Hoc primum principium ſi ceſſiſſet ex voto, nouo honoris vocabulo, quod indulgentia magiſtrorum largiebatur et bene candidatum ſperare iubebat, ornabat: *Baccalaureus* enim a collegio, cui nomen profeſſus erat, appellabatur;[1] Addebat huic conſuetudo vocabulum

[1] De cuius vocis origine grammatici certant et magna adhuc ſub iudice lis eſt. Quibusdam enim ducere iſta illam videtur a *bacca laurea*, eruditae victoriae inſigni quondam ornamento; alii vero quum tam ſtrenue et quaſi de ipſa vita dimicare nouos hos homines vident, quid multa inquiunt, a ſagatis ad togatos milites mirabile nomen profectum eſt. Quum enim pugna priſca Francorum lingua *Battala* pro *vne bataille* recentiorum dicta fuerit, atque *battalarii* ii fuerint nominati, qui tyrones in exercitu primum virtutis ſuae edidiſſent ſpecimen, factum eſt, vt qui in erudita palaeſtra eodem modo primum viros ſe praeſtitiſſent, *Bacca-*

bulum *Curfor*, vt conditio et ftatus hominis indicaretur.

Nouis hicce *Baccalaureus Curfor* triennium, vt maiores fibi vires acquireret, a recitationibus ceffabat: at interea tamen frequentiffimus in fcholis magiftrorum aderat, nunc audientis, nunc difputantis perfona fungens, fummam modeftiam et difcendi ingens ftudium vultu et toto habitu prae fe ferens, magiftros faepius demiffe adibat et confulebat, iuuenes quosdam priuatim inftituebat, quo docendi facultatem quamdam fenfim fibi compararet. In *quarto curfus anno* fecundum incidebat principium. Prodit iterum in cathedram inferiorem nobilis cuiusdam fcholae, *Baccalaureus Curfor*, atque interpretando alio facri voluminis libro praefentibus magiftris demonftrat, quantum per iftud tempus, *quod* a primo principio effluxerat, fapientia et eruditione facra profecerit.

Si teftibus doctrinam et diligentiam probat, decernunt Magiftri, nihil impedire, quo minus ad *Sententiarum* enarrationem admittatur. Nam Lomrardi interpretationem aetas haec, nec temere

larii, (fic enim dicebantur primum) deinceps vero deprauata vfu vulgari voce *Baccalaurei* falutati fuerint. Qui *baculum* hic cogitant, non audiendi, abiectius enim fentiunt de fortiffimis viris et pueriliter, vt nec ii, qui *Bachelier*s fcribendum putant, quafi Baccalarius vnus fuiffet ex numero *de bas Chevaliers* ex inferiori equitum ordine quodam. Speciminis loco Baccalaureatus Candidato difficillima quaeftio proponenda effet, fi operae pretium foret, de lana caprina decertare. (M.)

mere fortaffis, iudicabat, plus roboris et ingenii requirere, quam diuini codicis explorationem. Sane tentandus antea videbatur, num muneri, tam arduo et impedito, par esset candidatus. Nec male: Paret ille magistrorum decreto atque comite et praesidente illustri quodam doctore, de dogmate quodam Theologico subtiliter disputat; Hanc disputationem *Tentatiuam* nominare solebant. Victori ex hac concertatione, quae vehementissima plerumque erat, integrum est *Sententiarum* partem aliquam eodem more, quo antea sacrum codicem, exponere. *Tertio* huic principiò *quartum* sequenti anno succedit, quod iterum Magistro sententiarum explicando impenditur. Quatuor haec principia triennium iterum consequitur a lectionibus quidem et disputationibus sollemnibus vacuum, at negotiosum tamen. Quo propius enim ad metam accedit Cursor, tanto studiosius cauere debet, ne remisisse aliquid de contentione videatur. Disputat igitur, docet, discit, neque diem sine aliquo diligentiae et dexteritatis suae specimine praeterire facile patitur. *Septimus*, quod felix et faustum, illuxit *Cursus* diuturni et molestissimi annus. Ostenditur iam certanti corona: sed nouis ad eam consequendam laboribus, nouis certaminibus, nouis victoriis opus est. Hoc ipso anno *Maior Ordinaria*, sic primum vocabant Disputationem, quae pro Licentia summos in Theologia honores subeunda erat, *Maior* inquam *Ordinaria* certamen grauissimo quodam moderante, exhibenda est. *Octauum* et vltimum *cursus* annum illustrat alter pro *Licentia* conflictus publicus, duce doctore quodam de-

nuo instituendus, quam *Paruam Ordinariam* appellabant. Inter *maiorem* et *paruam ordinariam* interiectus erat Lutetiae Parisiorum *terribilis illa Sorbonica*, seu *Actus Sorbonicus*, omnium quas adhuc commemorauimus, exercitationum et laborum laboriosissimus et difficillimus. Excogitauit hanc candidatorum Theologiae aerumnam exeunte saeculo tertio FRANCISCVS MAYRONIS, acutissimus ex Franciscanorum familia rixator, nec Parisiensibus tantum, sed etiam aliis quibusdam Academiis introducendae eius auctor fuit. Accipite paucis, AVDITORES, naturam celeberrimi instituti! *Sorbonica* seu *Actus Sorbonicus* est solemnis disputatio, quam Veneris quodam die is, qui a cursus Theologici fine parum remotus est, ab hora quinta matutina ad septimam vespertinam sine praeside, sine socio, sine prandio, sine loci et corporis mutatione, aequali mentis contentione suscipere et sustinere debet, donec omnibus certantibus satisfecerit. Res ipsi est non cum tyronibus, sed cum strenuis gladiatoribus. Sexaginta enim minimum Baccalaurei, tam primi, quam secundi ordinis, id est, tam *Cursores* quam *Formati* hominem fatigant et centum et amplius argumentis spirosissimis exanimare et obruere nituntur. Beatum illum, cui saluo licet et incolumi ex tam formidoloso bello egredi! Huic, quae difficillima videntur aliis, non possunt non facilia et leuia videri.

Finitus est *Cursus*, AVDITORES! at nondum molestiarum finis est. Restant ante solemnem renuntiationem, restant ipso renuntiationis tem-

por:

pore, reſtant denique poſt deſideratiſſimum hoc tempus nonnulla peragenda ſatis difficilia. Plaudunt *Baccalaureo*, qui *abſoluit*, vt aiunt, Magiſtri, atque in ſe quidem nihil impedimenti fore ſignificant, ne docentium adſcribatur coetui, ſed requirendum eſſe addunt, antequam id fiat, conſenſum eius, qui Pontificis Maximi nomine ſolus licentiam largiri poteſt bene meritis publice diuinam ſapientiam tradendi, *Cancellarium* [1] veteri vocabulo hac poteſtate praeditum nominare ſolent: ſe quidem explorantium tantum partes ſuſtinuiſſe, huic auctoritate Pontificis approbandum eſſe, quam de Candidato tulerit, ſententiam. Interim *Baccalaurei formati*, aut *Licentiati* nomen libenter tribuunt. Quod teſtimonii loco eſt, dignum ſeſe illum, cui datum eſt, Doctoris honore praeſtitiſſe et omnes officii partes expleuiſſe. Adeunt igitur certo tempore Cancellarium hunc, aut eum, qui vices eius ſuſtinet: exponunt ordine, quae geſta ſunt a candidato omnia: laudant eum ab ingenio, a doctrina, a natalibus, a diſputandi et docendi peritia, a modeſtia, a ſanae doctrinae ſtudio, aliisque artibus: ſacramento confirmant, nihil a ſe mala fide narratum eſſe; oſtendunt digitis candidatum flexo genu *Cancellarii* pro impetrando docendi facultate ſupplicantem: rogant denique obnixe, vt poteſtatem ſibi faciat eum publice Doctorem diuinae ſapientiae creandi et collegio ſuo adſcribendi.

[1] Epiſcopus is plerumque erat, et appellatur a CAMERARIO in elegantiſſima *Melanchtonis vita* p. 160. *tutor et cuſtos priuilegiorum academicorum*, *inſpector et agrodiurno*, aliis vero Dictator perpetuus, ſiue cenſor. (M.)

bendi. Differt interdum *Cancellarius* decretum suum; interdum statim aut ipse, aut per idoneos viros virtutem eius explorat: postero vbi bene sese habere omnia cognouit, pronuntiat, expetitamque tot laboribus, tot sudoribus, tot certaminibus publice docendi licentiam liberaliter, nec tamen gratis, concedit. Tota enim haec fabula vt laboriosa, ita valde sumtuosa est, quod facile intelligitis.

Appropinquat nunc exoptatissimus ille dies, quo praemium tot laboribus defesso exsoluendum est: Sed is ipse dies nouas secum fert contentiones. Vespera proxime antecedente conflictus, in frequentissimo magistrorum consessu cum fortissimis disputatoribus, teste tota Academicorum multitudine, suscipiendus est. *Vesperias* celebrem hanc disputationem a *tempore*, quo habetur, nominant, in qua creandus iam Theologiae doctor scita bina aut tria a se proposita, a quorumcunque dissentientium argumentis alacri et promto ore vindicare debet. Ipso die, quo coronandus est, antequam in templum ducatur, aliud certamen instat. Hoc *Aulicam* veteres a loco vocant. In aula enim seu palatio Cancellarii, qui plerumque episcopus vrbis erat, de sanctioribus quibusdam argumentis denuo cum nobilissimis gladiatoribus congrediendum erat. His etiam aduersariis fortiter depulsis pompa procedit. Candidatus sudore et puluere adhuc madidus in sacras aedes solemnibus hisce ritibus destinatis magna comitante magistrorum et discentium turba triumphans proficiscitur ceremoniisque, quas mox videbitis, a praefecto

colle-

collegii Theologici rite inter membra eius et Doctores recipitur. Haec inter ſolemnia pilei, chirothecae et alia munera inter ſpectatores diſtribuuntur. Excipit hunc actum conuiuium: ſed hoc magiſtris, proceribusque inuitatis fructuoſum et iucundum eſt: non item nouo Doctori. Is enim menſae veteri more haud admouetur, ſed ſtat et prouidet, ne quid conuiuis ſuis deſit. Poſtero die oriens ſol nouum recenti doctori praelium denunciat. *Reſumptam* enim publice et ſolus quidem defendere debet: Quamquam hanc dimicationem nunnulli differre in tertiam vel quartam hebdomadem ſolebant, quo maius ei decus comparandi ſpatium haberent. *Reſumptae* autem nomen diſputationi tribuebatur illi, quae ſigni loco erat, doctorem, qui a recitationibus aliquot annos quieuerat, *reſumere* ſeu denuo inchoare velle inſtitutiorem iuuentutis. Hac lite etiam terminata nouus Doctor ad *Actualem regentiam*, ſic loqui ſolebant iſta atate, demum aptus videbatur, ſiue poteſtatem habebat, vbicumque vellet, ludum aperiendi et publice, priuatimque iuuenes Theologiae conſecratos erudiendi, de argumentis ſanctioribus, quoties opus videretur, diſputandi, pro concione dicendi, et reliqua Doctoris officia peragendi.[1]

Rectene

[1] Barbara haec nomina in Francorum academiis hodie quoque eſſe, ex LAVNOII laudata nobis iam Hiſt. Gymn. Pariſienſis conſtat. Audemus illis coronidis loco eius notationem vocabuli *Burſa*, ex L. I. c. V. p. 51. - - *in Collegio triplex ordo eſt iuuenum qui litteris incumbunt, vni Grammaticae, nonnulli Philoſophiae, alii Theologiae: quibus pro qualibet ſeptimana certum quoddam ſtipendii genus*

Rectene vobis, AVDITORES omnis generis honorandi, rectene vobis in ipso narrationis meae limine significaui, hodie si hac lege cum sacrae laureae Candidatis ageretur, qua actum est superioribus saeculis, cathedram Theologicam vacuam nobis relictum iri? Quis quaeso, tam molli aetate, quis obsecro sedecim annorum continuus studiis, laboribus, exercitationibus, disputationibus, quis tot sumtibus, quis tanta patientia, quis cum valetudinis detrimento munus Theologiam docendi, quod nec opes, nec gloriam hodie pollicetur, redimere vellet? Faciliorem hoc saeculum ad diuitias, ad honores, ad auctoritatem et dignitates perueniendi rationem monstrat. Sua tamen pristino mori et durissimae legi, quam vobis recitauimus, auctoritas adhuc magnam partem manet in Academiis Romano-Pontifici subiectis: manet etiam in Anglorum Academiis, in quibus longo et aestuoso itinere ad cathedram migratur Theologicam. Scilicet has inter gentes honorum titulis, quos concedunt Academiae, suum adhuc pretium, sua dignitas, sua laus constat: quare non desunt, qui eos magnis molestiis et sumtibus suis sibi comparare

genus assignatur. Stipendium dicitur bursa, *nomine tunc communi iis omnibus, qui pecuniae summam aliquam pro laboris mercede vel pro victu accipiunt,* dicuntur Bursarii. -- *Qui dicuntur* Bursarii, *dicuntur quoque* socii, *quod societatem inuicem habeant, simul versentur, simul cenant, simul maneant. Communitas quaelibet suos sciscitur Magistros* rel. Num inde tritum in Academiis nomen studiosorum, Bursche, natum sit, tantum mihi otii non est, vt curiosius exquiram. Fecerunt id iam aliqui, sed per iocum, quos vidi, fecisse mihi videntur. (M.)

comparare non recuſant. Inter nos vero poſt inſtaurata ſacra adeo nobilitas, quae adiuncta quondam illis fuit, cecidit et diminuta eſt, vt mirum magis ſit, paucos adhuc inueniri, qui modica eos induſtria ſibi acquirere volunt, quam pleroſque eos ſpernere ac contemnere. Rationes huius rei non ignorare poterunt, quibus quid actum ſit inter nos ab eo tempore, quo purior nobis religio reſtituta eſt, ad hanc vsque aetatem, non reſciunt. Nos inuidioſum carmen fauſto hoc die ſilemus, nec reipublicae, quae hinc orta ſunt, damna et detrimenta recitamus.

Omnium tamen adhuc proxime, (ſpero autem fore, vt hoc vobis haud inuitis dicam AVDITORES praeſtantiſſimi,) omnium inquam proxime ad maiorem normam et regulam accedunt Theologi. Non tot annos Academicos, non tot certamina, non tot pericula imponimus illis, qui merita ſua coronari a noſtris collegiis volunt: et requirimus tamen alia, et requirere nos leges noſtrae iubent non parum difficilia, quae reliquarum ſcientiarum tutores a ſuis haud impetrant.[1] Sit oportet laureae noſtrae candidatus munere in eccleſia non ignobili ornatus: ſcriptis et libris nomen ſibi aliquod inter eruditos pepererit: virilem et iuſtam aetatem attigerit: a meritis ſuis aut in iuuentute Academica inſtituenda;

[1] A Comitibus praeterea Palatinis Doctoris nomen nonnulli accipiunt, qui a ceteris, qui ex academiis hanc laudem reportarunt, *bullatorum Doctorum* nomine vulgo, niſi egregie fallor, diſtinguuntur. (M.)

da, aut in sanctioris coetus gubernatione pa-niteat.

Et talem, quod nemo diffitebitur, candi-tum supremorum honorum nostrorum prodi-mus hodie, talem ego Tibi, Magnifice Do-Pro-Cancellarie, more maiorum sisto: viri nempe M. Reu. I. M. Glaesenervm habes, qu fallere nequeunt, virtutis eius, doctrinae et pi-tatis testimonia luculentissima. Tenes memori quis enim Te difficilius obliuiscitur, qua glori et felicitate ante hos octo et quod excurrit annos Licentiam primos disciplinae nostrae honores, quo commodum foret tempore,] sumendi sib compârauerit: Tu ipse, Vir Venerabilis, inter primos fuisti, qui tum meritis et dotibus eius plauderent. Ab hoc vero tempore quantum ac-cesserit ad ornamenta eius, non nos modo noui-mus, sed proceres litterati orbis omnes praedi-cant. Non toties cathedram nostram conscendit, vt doceret, non toties disputauit, vt olim moris erat; at libris cum doctissimis, tum vtilissimis plus commodi et emolumenti ecclesiae et litteris attulit, quam veteres illi Baccalaurei cursores quatuor Principiis suis et Tentatiuis, ordinariis, Sorbo-nicis, Vesperiis, Aulicis, Resumptiuis omnibus. Rexit, vt cum maioribus loquar, non studiosae quidem iuuentutis mediocrem numerum, at par-tem non ignobilem et numerosam ecclesiae Iesv Christi, eaque cura et opera rexit, vt amore et auctoritate haud mediocri inter suos valeat. Neque spes haud exigua deest, fore, vt maiori-bus etiam rebus et negotiis in republica sacra ad-moueatur: dignus certe est, quem praemia se-quantur, quippe et doctrinam cum vera pieta-

et amabilissimum pacis studium cum arctissima veritatis custodia coniungit.[1] Sed quid Te commendando candidato meo detineo? Quasi vero Tv; quasi vniuersae huius concionis, qua circumfusi sumus, quisquam dubitaret, tantam in eo virtutem, tantam doctrinae copiam esse, quantam honores, quos ambit, poscunt! In rem potius praesentem, missis verborum ambagibus, venio, Teque Magnifice Domine Procancellarie, Vir Venerabilis *et* Amplissime Domine Christophore Timothee Seideli, *Abbas Regiae Lutterae dignissime, sacrorum huius vrbis et tractus antistes venerande, Theologiae in hac illustri Schola Professor celeberrime*, Fautor et Compater multis nominibus colende, Te, inquam, vna cum candidato meo, quem praesentem et mecum rogantem vides, rogo, vt pro potestate, quam Tibi a Serenissimo, Celsissimoque Dvce Carolo, *Duce Brunsuicensium et Luneburgensium* Rectore et Cancellario hoc anno huius Academiae suae Magnificentissimo, patre patriae. Item nostro indulgentissimo Tibi concessam scio, facultatem mihi tribuas, *Virum Summe Reuerendum* et *Amplissimum*, Ivstvm Martinvm Glaesenervm, *SS. Theol.* dudum *Licentiatum* dignissimum atque *coetus Christiani*, qui *Hildesiae ad aedem S. Andreae* cogitur, *pastorem* insigniter meritum Docto-

[1] Vtinam memor sui huiusque laudis mansisset Martinus Glaesenerus, tragicae illius fabulae, quae indignantibus piis omnibus; acta est ante annos aliquot, et a scena, in qua magna cum contentione et non sine simplicioris pietatis offensione gesta est: *der Hildesheimische Mitlerstreit* vocatur, auctor. Sed euocatus ex scena est: de mortuis nil nisi bene! (M.)

Doctorvm Theologiae *renuntiandi* et caeremoniis, quas maiorum nobis ingeniosa pietas tradit, inaugurandi. Vt hoc beneficium, quod postulamus, mihi, Candidatoque meo fructuosissimum longe et iucundissimum erit: ita vtique nihil eorum vmquam omittemus, quae nostram erga Te obseruantiam et pietatem testandam vel ipse requires, vel tempus et occasio necessaria demonstrabunt.

* * *

Fecisti, quod officiosissime petiuimus, ea, quae Tibi summa est, humanitate, Magnifice Domine Procancellarie! Patere, vt primum Tibi gratias, quas debemus, agamus, non tales, quales mereris, sed quales locus et tempus permittunt, deinde beneficio Tvo vtamur. *Tu primum*, Minister Academiae, Sacramentum *praelege: Tv*, maxime reuerende Domine Candidate, *quid iure iurando promittendum* Tibi sit, attende et ad officia conceptis verbis Te adstringe.

* * *

Quod igitur felix, faustumque esse iubeat supremum Numen, verus omnis sapientiae humanaeque fons, totique ecclesiae, huic nostrae singulatim optimae Academiae honorificum et salutare, ego Io. Laur. Moshemius, SS. Theol. D. et Professor primarius in hac Academia, Ordinis Theologici Senior et hodie Decanus et Prorector, Seren. Ducis Brunsuic. a Consiliis Consistorii et rerum sanctiorum, Abbas Coenobiorum Vallis S. Mariae et Lapidis S. Michaelis, Scholarum per terras Brunsuicenses Ephorus generalis, auspiciis

in-

imperatoriis, auctoritate et potestate Magnificentissimi Academiae Rectoris et Cancellarii, Caroli, Ducis Brunsuic. et Lüneb. Heri nostri longe clementissimi, quam ex ore Magnifici Pro-Cancellarii accepi, Te Ivstvm Martinvm Glaesenervm, Theol. Licentiatum et aedis S. Andreae, quae Hildesiae est, pastorem primarium, *Doctorem Theologiae publice creo, renuntio, proclamo, facultatem TIBI tribuo omnes sacrae sapientiae partes vbicumque placet, docendi, defendendi, explicandi, omniaque illa munera, quae Theologiae Doctori conueniunt, libere obeundi, iura item omnia et beneficia, honores, dignitates largior et concedo, quibus Doctores Theologiae in Academiis Christiani orbis, maxime Parisiensi, Bononiensi, Ienensi, Patauina, Papiensi, Perusina, Lipsiensi siue lege, siue consuetudine fruuntur in nomine* Patris, Filii et Spiritvs S. *Amen.*[1]

Ascende iam, nec enim fas est Te diutius in cathedra inferiori consistere, ascende iam in superiorem, quem ipse occupo, locum, meoque Te lateri iunge, vt sciant omnes, eadem Te, qua ego ipse, facultate valere Theologiam et Scripturam S. docendi et interpretandi. *Salue, Summe reuerende Domine* Doctor, salue inquam! et felicissimis auspiciis hanc cathedram occupa! Altior hic gradus praesentes docet, Tibi doctoris munere et dignitate in posterum libere fungi licere: idem vero gradus Te ipsum admonet, eo Te nunc loco positum esse, quo facem aliis praeferre,

[1] Die 1 Iulii A.C. cIↄIↄCCXXXXI. haec in templo academico more maiorum acta sunt ab auctore ordinis sui tum quidem Decano.

re, nec ore tantum et voce, verum etiam exemplo et toto vitae habitu aliis quemadmodum et sentiendum et viuendum sit, monstrare debes. Collocatus es in conspectu omnium: memento sic agendum esse Tibi vt in Te omnes, tanquam in exemplum et speculum intueri possint.

Accipe hunc *pileum*, ornamentum et insigne illud, quo vetustas, vt nostra, si quid video, aetate multis rebus sapientior, doctores et sapientes a discentibus distingui voluit, quo honoratiores essent. Nolo Tibi, quod vulgo dici solet, repetere, hunc pileum libertatis esse notam: temere enim hoc inculcari arbitror, neque hoc in mentem venit illis, a quibus hi ritus ad nos manarunt. Tv, quoties hunc pileum aspicis, quoties manutenes, recordare, dignitatem *Tibi* obtigisse non inferiorem illis, si res aequa *mente* spectetur, quae summa vulgo putantur, facque, vt eam, quo potes modo, exornes, tuearis et nobilites.

Vide *codicem* hunc. Libros ille continet, vnde omnis sapientia ducitur, quos Deus ipse humani generis bono dictauit. Hunc ego *aperio* quo ritu Tibi et significo perpetuo eum Tibi legendum, scrutandum, euoluendum esse, quo indies vere doctior et sapientior euadas, et alios diuina veritate imbuere queas. Is demum verus est Theologiae Doctor, qui ex hoc diuino libro quae docet, sumsit et didicit, omnesque eius sententias animo comprehensas tenet.

Eumdem vero librum iterum *claudo*. His ver-

vero ratione Te monitum volo, non lectionem sufficere, sed quae lecta sunt acriori meditatione considerandа, expendenda, et animo in omnes partes versanda esse. Claude, obsecro, interdum diuinum hunc librum, atque Tecum, quomodo haustas ex illo opes, in sacrae ciuitatis commodum impendere possis, attentissime Tecum cogita.

Accipe hunc *annulum*. Is olim honoris tantum nota erat. Nec enim omnibus veteri aevo gestare licebat annulos, sed viris tantum nobilibus et in eminendi dignitate positis. Hodie, quo annuli omnium digitos exornant, aliam rationem habet. Testimonio nempe est, foedus Te aeternum et indissolubile cum ecclesia meliore cum veritate, cum pietate inire. Leges huius pacti flagitant, vt quam accipis sponsam pro viribus defendas, tuearis, foueas, nutrias, ames et ornes. Fuisti id adhuc: Facies in posterum si minus maiori, eadem certe contentione.

Addo denique osculum: *Id pacis est osculum*, a primis ecclesiae temporibus ad nos ductum. Testor ego hoc osculo, nos omnes, qui Theologiae doctores sumus, Te pro socio et fratre habere et habituros esse, in collegium nostrum recipere, et quae a nobis proficisci possunt, officia lubentes exhibituros esse.

Salue iam, collega, frater, socie exoptatissime! et ad vltimos vsque humanae vitae annos saluus et incolumis hanc, quam hodie accepisti prouinciam, sic exorna, vt plurimos virtutis et

doctrinae TVAE fructus regnum IESV CHRISTI capiat et coelestis aliquando Academiae ciuibus adscribaris. Adsit TIBI Deus gratia sua, faciatque vt hic honos infinita TIBI et ecclesiae bona commoda pariat!

Tu vero, sempiterne DEVS, praesto sis, quaeso, huic optimae Academiae virtute TVA, depelle, quae eam saepe nebulas, veterumque splendorem et serenitatem restitue, saluos praesta pro infinito amore TVO Potentissimos et Serenissimos eius patronos et nutritores,[1] totamque domum Brunsuicensem, serua et robora carissima, quae vides, capita, magnos et praeclaros viros, qui eam docendo et scribendo illustrare et commendare pergunt, iuuenes denique omnes, qui ad eam confluunt et in ea viuunt, virtutis, doctrinae, pietatis amore, vitiorum odio inflamma, omnique felicitatis genere exhilara!

[1] Tunc enim temporis, quo haec agebantur, academia Iulia pari potestati subiecta erat cum GEORGII II. Potentiss. M. Britanniae Regis, tum Seren. Ducis Brunsu. et Luneb. CAROLI, deinceps autem in vnius indulgentissimi heri nostri iurisdictionem transiit. Acta haec sunt a. d. XXX. Martii CIↃIↃCCXXXXV. Commissarii Principis erant duumuiri perillustres b. FRIDR. ADAM. ZENK. et IO. GE. BVRKHARD, Academiae vero, vt hic vocatur, Vice-Rector PETRVS GERIKE, qui ipse vero superiore anno a. d. IIX. Octobr. ex hac in caelestem academiam euocatus est. Ablegati traditis senatui academico regiis litteris, quibus Professores a Sacramento, cuius religione Regi obstricti erant soluuntur, solique vt CAROLO Seren. pareant, iubentur, altero die iurisdictionem aedificiorum academicorum capiunt. Ex quo Academia *Iulia Carolina*, ab altero sui quasi parente, nominata est. (M.)



ORATIO SEXTA
DE
SCHOLA PALATINA
VETERVM FRANCORVM
REGVM.

DE SCHOLA PALATINA REGVM FRANCORVM ORATIO.

Quaerenti mihi, MAGNIFICE ACADEMIAE PROrector, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, Auditores pro sua dignitate quisque honoratissimi, CIVES ACADEMIAE LECTISSIMI et ORNATISSIMI, quaerenti mihi argumentum nec a diei huius celebritate, quem merito festum nobis esse voluit CELSISSIMVS huius scholae conditor, alienum, nec vulgare prorsus et centies hac hora hocque die explicatum, de quo ad vos nec inutiliter, nec iniucunde prorsus dicerem, opportune in mentem mihi venit mos ille, quem vir summus et immortale huius scholae ornamentum, HERMANNVS CONRINGIVS tenuit, quum officium in hac ipsa eum cathedra collocaret: Is, quod *Antiquitates eius Academicae*, liber copiosissima eruditione refertus, et hoc anno ob praestantiam in lucem reuocatus [1] testatur is inquam, ex veteri scholarum et Academiarum Historia et originibus et *antiquitatibus* materiam sibi plerumque orationis sumsit: Is hoc ipso Iuliae nostrae natali, hac hora, hoc loco, ex hac cathedra quondam admirabili ingenio et facundia origines et fata ciuitatum litteratarum illarum, quas scholas et Academias vocamus, a primis initiis ad nostram vsque aetatem persequutus est. [2] Placuit haec mihi con-

[1] A Ven. *Christoph. Augusto Heumanno* adiecta *Bibliotheca Historica academica*, Goettingae CIↃIↃCCXXXIX. (M.)

[2] Dissertatio haec prima est, quae inscribitur: *de statu scho-*

consuetudo: atque vix haec mecum reputauerem,
quum statuerem, haud temere ac imprudenter
me facturum, si tantum hominem imitarer.:
de re quadam ad ortum et veterem statum publi-
rum scholarum pertinente ad Vos hodie verba f-
cerem. Viuimus nos omnes in Academia et iu-
bus illis fruimur, quibus Regum et Imperatoru-
clementia et in bonas litteras propensio doctor-
et discentes ditauit. Eo praeterea die dicendu-
mihi est, quo memoriam nos recolere oporte-
summi beneficii, quo has regiones et hanc vrbem
sigillatim Diuus IVLIVS affecit, quum illustrem hanc
bonarum litterarum et artium matrem et officinam
conderet. Haud igitur iniucundum vobis fuerit
pauca quaedam ex veteri Academiarum Historia
percipere. Non ego is sum, qui CONRINGII vocis
copiam, eloquentiam et eruditionem, qua de rebus
hisce ad maiores nostros quondam disseruit, red-
dere queam. Sed neque hanc quisquam vestrum
a me requiret, quem multis modis hoc homine
inferiorem esse non ignoratis. Satisfecero, nullus
dubito, vobis, si ipsum consilium eius pro viri-
bus aemulabor atque breuitate orationis inopiam
meam compensem. Elegi vero ex multis huius
generis rebus, quae animo se haec meditanti obii-
ciebant, *scholam aulicam Regum et Imperatorum
Francorum*, de qua dissererem, quam medii, quod
vocant, aeui scriptores PALATINAM *scholam* a pa-
latio Regum, in quo habebatur, vocare solent.[3]
Cele-

scholarum vbique terrarum ac gentium, inde ab antiquissima memoria vsque ad academiarum in Europa ortum p. 3. ff. (M.)

[3] Pauca sunt, quae de celebri hac schola habet, qui cer-
roqu-

celebrem hanc scholam intactam plane reliquit summus, quem dixi, CONRINGIVS. Et haec tamen

roquin classicus in scholasticis rebus auctor est, IOANNES LAVNOIVS, libro de *scholis celebrioribus etc. etc.* a pag. 27-31. quare alios in subsidium vocare voluimus & inprimis eos, quos adire non omnibus aeque licet, et nominatim LVDOVICI THOMASSINI *oratorii Gallicani* quondam *Presbyteri* egregium opus de *vetere et noua Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios*, quod tribus Tomis in forma maiore Lugduni MDCCV. editum est, et quidem *Part. II. Tom.* II. Tit. de *scholis et vniuersitatibus Cap.* XCVI. p. 289. ff. Quod igitur ad augustam hanc scholam attinet, illa non solum *palatina* appellata est, sed ipsum Augusti palatium *scholae* nomen accepit, propterea quod tota bonis litteris, libris eruditis et artium studiosis referta esset: ita enim ALCVINVS epistola nona ad Carolum M. scribit: *ego ignarus nesciens Aegyptiacam scholam in* Palatio *Dauidicae versari gloriae, ego abiens Latinos ibi dimisi, nescio quis subintroduxit Aegyptios.* Coniicio, (neque enim alios consulere nunc quidem vocat) Alexandrinae scholae eruditionem et inprimis graecam, Aegyptiacam Alcuino vocari. Sed Caroli Calui temporibus hunc loquendi morem adhuc dum seruatum fuisse, ex his clarum est Monachi S. Germani in epistola ad Carolum Caluum, verbis, (quae ANDREAS *du* CHESNE operum cum Alcuini, tum Olderici Vitalis historiae ecclesiasticae editor, citat *Tomo* II. p. 471.) *ita vt* MERITO VOCITETVR SCHOLA PALATIVM, *cuius apex non minus scholaribus, quam militaribus consuescit quotidie disciplinis.* Et in epist. Praesulum synodi ad Carisiacum ad Ludouicum Germaniae regem, quam Launoius d. l. habet. - - *Domus regis schola dicitur, i. e. disciplina*, - - - - En raram felicitatem et Maiestatis, Musarum, et Martis etiam in vna domo concordiam et aequalem fere gloriam. Hodie procul a Ioue grammatici, et Dialectici, homines quippe vmbratici, qui nil nisi vocularum apices et monades in latibulis suis venantur. At in Caroli, in quo omnia erant magna, aula in illius scilicet principis, cui accumbenti *ministrabant duces et Tyranni*,

men Palatina ſchola omnium Academiarum noſtrorum veluti fons et genitrix eſt. Poſtquam enim ex Palatio regio in vrbem Lutetiam tranſiit, et cum altera ſchola, quae epiſcopo vrbis ſubiecta erat, coaluit, nata ad extremum ex ea eſt illuſtris illa Academia Pariſienſis, ad cuius exemplum omnes in Europa Academiae deinde, quod vos non ignoratis, inſtitutae ſunt. Audite me, MAGNIFICE DOMINE PRORECTOR, PATRES CONSCRIPTI, vosque AVDITORES, beneuole, ſimplici et plana dictione ea vobis recitantem, quae in veterum libris et monumentis, quibus tempus pepercit, de hac SCHOLA FRANCORVM REGVM PALATINA mihi obſeruata ſunt. Ipſe veterum dicta, ex quibus narrationem meam compoſui, ſuo tempore producam et publice exhibebo:⁴ nunc ſummam

Tyranni, vel reges diuerſarum gentium, vt San-Gallenſis Monachus refert, ſummus eruditis viris honos habebatur, et vt ei inprimis, qui *praeceptor palatinus* appellabatur. Qualem auctor vitae Aldrici Archiepiſcopi Senonenſis Alcuinum refert a Carolo M. conſtitutum fuiſſe: *Imperator Auguſtus eum* Praeceptorem Palatinum *inſtituit, vt vita imperialis aulae et maiora negotia ſuae diſcretionis arbitrio diffinirentur;* quo et illa pertinent Ionae Aurelianenſis Epiſcopi verba, quibus tradit, Claudii Taurinenſis Epiſcopi de Imaginum cultu librum *a Carolo ſimque Palatii prudentiſſimis viris examinatum iuſto iudicio eſſe repudiatum*. Immo et diſcipuli hoc titulo ſuperbiebant: Ita enim Vincentius Bellouacenſis ad Carolum: *Ego itaque licet parum proficiens, cum Turonica quotidie pugno ruſticitate. Veſtra vero auctoritas* Palatinos *erudiat* pueros, *vt elegantiſſimum proferant, quidquid ſenſus veſtri lucidiſſima dictauerit eloquentia.* Loca veterum alia habet Launoius, quae tranſcribere non libet, quia liber a Fabricio fere omnium manibus traditus eſt. (M.)

⁴ Quod vt fiat aliquando optamus, interim noſtris, ſi quae le-

ſummam tantum eorum, ne arida et longa oratione moleſtus vobis ſim, exponam. Quidquid in eloquentia mea, quidquid in docendi ratione requiretis, AA. id breuitate compenſare conabor.

In ipſa Imperatorum et Regum Francorum aula, ſeu in ipſo eorum palatio, inclinante ſaeculo octauo illuſtris ſchola nata eſt, quae per nonum ſaeculum decimique partem non aeque licet ſemper ſplendide floruit, donec tandem ex palatio in vrbem Lutetiam migraret et in Academiam Pariſienſem, Almam illam matrem omnium Academiarum, mutata eſt. Sunt doctiſſimi viri, qui hanc ſcholam aulicam ipſam eſſe Pariſienſem Academiam arbitrantur et idcirco magnae huius Academiae origines ad octauum ſaeculum et ad *Carolum* Magnum referunt. In hac ſententia roboranda et ornanda cum alii,tum inprimis multum diligentiae poſuit. CAESAR EGASSE DE BAVLAI, vir praeclarus, cuius *Hiſtoria* exſtat *Academiae Pariſienſis* ſex primae molis voluminibus comprehenſa, opus egregium et pereruditum: quem quidem multi ſequuntur. Hos vero nominis ſimilitudo in errorem ſine dubio induxit, quod IO. LAVNOIVS et IO. MABILLONIVS docuerunt. Illa nimirum ſchola, quae in vrbe Lutetiae, epiſcopo ſubiecta fuit, pariter *Palatina* ſaeculo nono, decimo et vndecimo vocatur, et doctores eius *Palatini doctores* nominantur; ſed hoc nomen non ex eo ductum eſt, quod in Regum aula ſeu

loco habenda ſunt, fruere, aut ſi quid nouiſti rectius iſtis Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum. (M.)

men Pala[illegible] ... reges ipsos tutores et curatorum ve[illegible] ... inde, quod vetus haec schola ex Pa[illegible] ... sita et habita fuit, vbi Palatium cum ... Iuliani quondam exstructum fuerat ... duplex haec schola Francorum P... ill... debet. Nos de illa loquimur, quae ipsius Palatii Regum ornamentum erat, non vero de altera, quae non longe a palatio Iuliani posita fuit. Vtraque postremo sociata est, et, quod iam diximus, Academiam peperit.

Parens et conditor huius scholae aulicae magnus ille CAROLVS est, qui ex Francorum gente primus Imperator salutari meruit. Scitis in hoc summo Imperatore cum multas alias fuisse virtutes excelso, in quo positus erat, fastigio dignas, tum incredibile omnis sapientiae et doctrinae, tum diuinae, quam humanae, studium.[1] Haec eum sciendi cupiditas instigabat, vt ex Hibernia, quae tum viris

[1] Audiamus EGINHARDVM apud du Chesne Tom. II. p. 101. 102. 103. *Liberos ita censuit instituendos, vt tam filii quam nepotes primo liberalibus studiis, quibus et ipse operam dabat, erudirentur. - - Inter coenandum aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiae et antiquorum regum gesta. Delectabatur et libris S. Augustini, praecipue his, qui de ciuitate Dei praetitulati sunt. Nec patrio tantum sermone contentus etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. in quibus Latinam ita didicit, vt aeque illa ac patria lingua orare esset solitus. Graecam vero melius intelligere quam pronuntiare poterat. Artes liberales studiosissime coluit. Alcuinum Diaconum de Britannia virum vndequaque doctissimum Praeceptorem habuit. Apud quem Rhetoricae, Dialecticae, praecipue tamen Astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris impertiuit.* Dis

eruditis imprimis abundabat, tum ex Italia
ctissimos homines lautissimis conditionibus in
ulam suam accerseret, quibus semetipsum insti-
uendum et erudiendum, inusitato exemplo,
:omittebat.[a] Inter hos memorant annales in-
primis PETRVM quemdam PISANVM, qui Papiae in
Italia

Discebat et artem computandi, et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. In Sacris autem litteris perscrutandis explicandisque, quin codicibus vtriusque Fœderis, a mendis naeuisque, quos in ista barbarie contraxerant, tantum studii consumsit, vt fidem vix, nisi ipse id profiteretur, adhiberemus. Voluit autem exempli sui magnitudine et splendore excitare ex somno et torpore pinguia monachorum ingenia: Ita enim ipse immortalis princeps in Praefatione Homiliarii, a Paullo Diacono compilati iussu suo, (seu, vt nos hodie, Postillae) vt haberent, quas in paupertate sua fidelium gregi apponerent, dapes, quo ex diuturna fame aliquantulum reficeretur: *Curae est nobis, vt Ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, ob litteratam paene litterarum reparare satagimus officinam, et ad pernoscenda sacrorum librorum studia, nostro etiam quos possumus, inuitamus exemplo. Inter quae iam pridem vniuersos veteris ac noui Testamenti libros, librariorum imperitia deprauatos adamussim correximus.* (M.)

a Inter eos, quos Roma accersiuit, canendi artis magistri sunt, computandi item et dialecticae. Sic enim scribit hac de re Monachus Engolismensis in *vita* Caroli ad a. 787. postquam lepidam cantorum Romanorum et Francorum digladiationem et vociferationes narrauerat, scribit. - - *Correcti sunt ergo Antiphonarii Francorum, quos vnusquisque Francorum pro arbitrio suo viliauerat addens vel minuens, et omnes Franciae Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam - - - Similiter erudierunt Romani cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi, et Dominus Rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticae et computatoriae magistros secum adduxit in Franciam, et vbique studium*

ſeu palatio fuit, aut Reges ipſos tutores et curatores habuit, ſed inde, quod vetus haec ſchola eo loco primum ſita et habita fuit, vbi Palatium Imperatoris Iuliani quondam exſtructum fuit. Caute igitur duplex haec ſchola Francorum Palatina ſecerni debet. Nos de illa loquimur, quae ipſius Palatii Regum ornamentum erat, non vero de altera, quae non longe a palatio Iuliani poſita fuit. Vtraque poſtremo ſociata eſt, et, quod iam diximus, Academiam peperit.

Parens et conditor huius ſcholae aulicae magnus ille CAROLVS eſt, qui ex Francorum gente primus Imperator ſalutari meruit. Scitis in hoc ſummo Imperatore cum multas alias fuiſſe virtutes excelſo, in quo poſitus erat, faſtigio dignas, tum incredibile omnis ſapientiae et doctrinae, tum diuinae, quam humanae, ſtudium.[1] Haec eum *ſciendi* cupiditas inſtigabat, vt ex Hibernia, quae tum viris

viris

[1] Audiamus EGINHARDVM apud du Cheſne Tom. II. p. 101. 102. 103. *Liberos ita cenſuit inſtituendos, vt tam filii quam nepotes primo liberalibus ſtudiis, quibus et ipſe operam dabat, erudirentur. - - Inter coenandum aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei hiſtoriae et antiquorum regum geſta. Delectabatur et libris S. Auguſtini, praecipue his, qui de ciuitate Dei praetitulati ſunt. Nec patrio tantum ſermone contentus, etiam peregrinis linguis ediſcendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, vt aeque illa ac patria lingua orare eſſet ſolitus. Graecam vero melius intelligere, quam pronuntiare poterat. Artes liberales ſtudioſiſſime coluit. Alcuinum Diaconum de Britannia virum vndequaque doctiſſimum Praeceptorem habuit. Apud quem et Rhetoricae, Dialecticae, praecipue tamen Aſtronomiae ediſcendae plurimum et temporis et laboris impertiit.*

Diſ...

viris eruditis imprimis abundabat, tum ex Italia doctissimos homines lautissimis conditionibus in aulam suam accerseret, quibus semetipsum instituendum et erudiendum, inusitato exemplo, committebat.[a] Inter hos memorant annales inprimis PETRVM quemdam PISANVM, qui Papiae in Italia

Discebat et artem computandi, et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. In Sacris autem litteris perscrutandis explicandisque, quin codicibus vtriusque Fœderis, a mendis naeuisque, quos in ista barbarie contraxerant, tantum studii consumsit, vt fidem vix, nisi ipse id profiteretur, adhiberemus. Voluit autem exempli sui magnitudine et splendore excitare ex somno et torpore pinguia monachorum ingenia: Ita enim ipse immortalis princeps in Praefatione Homiliarii, a Paullo Diacono compilati iussu suo, (seu, vt nos hodie, Postillae) vt haberent, quas in paupertate sua fidelium gregi apponerent, dapes, quo ex diuturna fame aliquantulum reficeretur: *Curae est nobis, vt Ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, ob litteratam paene litterarum reparare satagimus officinam, et ad pernoscenda sacrorum librorum studia, nostro etiam quos possumus, inuitamus exemplo. Inter quae iam pridem vniuersos veteris ac noui Testamenti libros, librariorum imperitia deprauatos adamussim correximus.* (M.)

[a] Inter eos, quos Roma accersiuit, canendi artis magistri sunt, computandi item et dialecticae. Sic enim scribit hac de re Monachus Engolismensis in *vita* Caroli ad a. 387. postquam lepidam cantorum Romanorum et Francorum digladiationem et vociferationes narrauerat, scribit. - - *Correcti sunt ergo Antiphonarii Francorum, quos vnusquisque Francorum pro arbitrio suo viliauerat addens vel minuens, et omnes Franciae Cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam - - - Similiter erudierunt Romani cantores supradicti cantores Francorum in arte organandi, et Dominus Rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticae et computatoriae magistros secum adduxit in Franciam, et vbiq; studi*

Italia bonas litteras, seu Grammaticam diu cum laude docuerat: quem Carolus capta hac urbe et Longobardis erepta in Galliam secum adducebat. Hoc longe celebrior est ALCVINVS, gente Anglus, quem pariter Carolus ex Italia, quo ex patria commigrauerat, secum adduxit: vir, quod pauci ignorant, Graecarum et Latinarum non modo litterarum, sed etiam omnium quae tum temporis docebantur, scientiarum peritissimus. Accedebat his tertius ex Italia PAVLVS WARNEFRIDVS, Diaconus primum Aquileiensis, postea in monte Cassino Monachus, cui pauci hac aetate pares fuerunt doctrina, quod ex scriptis nondum deletis constat. Memorant et scriptores huius aeui CLEMENTEM, Hibernum, acutum et subtilem Philosophum et Theologum, THEODVLFVM Aurelianensem deinde antistitem et LEIDRADVM, qui Lugdunensem postea ecclesiam rexit, inter eos, quorum consiliis et *opera litteras* Francorum in amplissimo imperio instaurauit, ceterorum nomina tempus absumsit. Neque tamen hos omnes magistros adhibuit ipse Imperator. Duo enim tantum praeceptores Caroli nominantur: alter PETRVS PISANVS, cui in Grammaticis studiis operam dedit: alter ALCVINVS, quem reliquas

studium litterarum expandere iussit. Ante ipsum enim Dominum Carolum Regem in Gallia nullum fuerat studium liberalium artium. Graecae vero linguae Professores A[lex]xandria aut Constantinopoli repetiisse credibile est. (M[...]

3 Quem senem religioso quasi quodam fastidio abhorru[isse] a VIRGILII lectione, veluti Hieronymi flagellis [...]sum, auctor vitae operibus suis a du Chesne editis, [me]moriae prodidit: *Legerat iuuenis libros antiquorum [phi]losophorum, Virgiliique mendacia, quae nolebat iam* [...]

liquas artes liberales Rhetoricam, Dialecticam et
lias, Aſtronomiam maxime, cuius ſtudioſiſſimus erat, interpretantem audiuit.+ Eodem forte, ALCVINO magiſtro Theologiam quoque didicit, in qua, vt res huius aetatis ferebant, probe verſatus fuit: quamquam et Clementem fortaſſis et Paulinum, et ceteros quos in aula liberaliter lebat, viros eruditos interdum conſuluit et doctores in nonnullis rebus adſciuit.

Carolus ipſe litteris tam profanis, quam ſacris mbutus, liberos pariter ſuos et iuuenes, qui more huius aetatis in aula cum principibus iuuentutis ducabantur, erudiri et inſtitui voluit. Hoc honeſtiſſimum et praeclarum maximi Imperatoris conſilium ſcholam, de qua loquimur, in Palatio mperatoris quum propius ab exitu ſuo remotum ſſet ſaeculum octauum, peperit. Obſerua- a quidem nobis ſunt ſaeculo iam VII. obſcura quae-

ne audire, neque diſcipulos ſuos legere. Sufficiunt, inquiens, *diuini poëtae vobis, nec egetis luxuriuſa ſermonis Virgilii vos pollui facundia.* Ceterum opus non eſt, vt de his ſummis viris hic ſigillatim agamus, locum, enim inueniunt in omnibus iſtis libris (Lexico vocant) in quibus vita, fata et res geſtae eruditorum data opera exponuntur, quique nunc vbiuis obuii ſunt. (M.)

+ Ita enim pergit Eginhardus: (v. ſ. not. p. 590.) *In diſcenda Grammatica Petrum Piſanum diaconum ſenem audiuit, in ceteris diſciplinis Albinum, cognomento Alcuinum - -. Tentabat et ſcribere, tabulasque et codicillos ad hoc in lectulo ſub ceruicalibus circumferre ſolebat, vt cum tempus vacuum eſſet, manum effigiandis litteris aſſueſaceret.* (M.)

quaedam vestigia scholae aulicae tempore Regi Clotarii florentis: verum haec paullo post desiisse videtur. Nec putem, quum summam aetatis illius barbariem cogito in ea aliquid praeter prima elementa litterarum et Christianae religionis tradita fuisse. Quocirca ad nullum, quam ad Carolum, nomine non modo, sed factis etiam magnum, scholae Palatinae origines vnice referendae sunt. Docuerunt in hac schola, dum viueret Carolus, maxima cum laude illi, quos antea nominauimus, Clemens Hibernus, Petrus Pisanus, Alcuinus, Theodolfus Aurelianensis, Paulus Aquileiensis et alii, quos in postremo itinere Romano ex Italia ineunte saeculo nono adduxerat secum Carolus. Quot autem horas docuerint et qua ratione operae inter eruditos hosce viros distributae sint, non satis constat. Id vero exploratum habemus, in ipso eos Imperatoris *palatio* vixisse et docuisse scholae huius *magistros*, atque *Bibliothecam* illis auctore Eginhardo constructum fuisse a Carolo, pro temporum horum statu locupletem et splendidam.[1] Moderator totius scholae

[1] Nullus quidem nobis locus se obtulit, qui Bibliothecae huius auctorem et originem et alia quae ad illam pertinent, vt librorum genus ac multitudinem enarraret, at in eos tamen incidimus, qui exstitisse eiusmodi literarum thesaurum affirmant. Ita in praefatione libri sui de Praedestinatione: *Hincmarus corrupto* inquit, *muneribus iuniore Bibliothecario Aquileiensis palatii, librum beati Hilarii rasit*, (Felix scilicet Vrgelita episcopus) *et vbi scriptum erat, quia in Dei filio carnis humilitas adoratur inmisit, carnis humilitas adoptatur.* Ex quibus verbis intelligimus: primum, hanc Bibliothecam tum temporis Aquis

lae et caput doctorum ALCVINVS videtur fuisse: forte et idem Bibliothecae praefuit. Nec enim scio, vtrum Bibliotheca Palatina ipso statim cum scholae initio suum habuerit proprium praefectum, an vero sub Ludouico Pio demum acceperit.

Aquisgrani fuisse, siue semper, siue cum Domino eo profectam, neque enim ex his verbis clarum est, num tota, an pars tantum regiae Bibliothecae ibi fuerit. Sed credibile tamen mihi esse videtur, cum maximam vitae partem in splendidiore Aquisgranensi palatio Carolus consumserit, ibi etiam fixam deliciis suis, libris, sedem fuisse. Scholam autem totam regiis sumtibus statorem suum et sidus Musarum eo sequutam fuisse regiis sumtibus, ita tamen, vt nec Parisiis, quarum vsus frequentissimus erat, libri deessent. Alterum est, cimelia haec haud secus atque aureum illud vellus summa religione et circumspectione asseruata fuisse, ne qua vel furto corrumperentur, vel haeretica malitia corrumperentur. Hinc viros integrae et sanctae fidei custodes huic gazae datos fuisse nouimus. Quodsi enim aeque libere, atque nunc, Bibliothecae librorum vsus patuisset, parcere muneribus potuisset Felix. Sed quod pauci iam sunt rariores in Bibliothecis libri, id ea aetate omnes omnino ob caritatem exemplorum fuerant. Notamus denique infelicem hunc haereseos parentem Caroli M. tempore vixisse. Atque haec regia haud dubie Bibliotheca fuit, a patre accepta, cuius filius LVDOVICVS PIVS meminit: *Noueris quia ideo illius exemplum apud armarium Palatii nostri detentum est, vt eo probari potenter possit, quis eam iniuriose transcripserit, vel quis aliquam eius partem detruncarit.* Quid vero armarium sit, vel ex his Vopisci in Tacit. c. 8. *habet Bibliotheca Vlpia in armario sexto librum Elephantinum* etc. intelligitur. Atque hac vsi etiam fuerunt patres concilii Aquisgranensis in compilandis veterum ecclesiae testimoniis. Ita enim in praefatione concilii: (*Concil. gall.*

Tom.

Sed quum Carolus M. id quod nemo vestrum ignorat, vt ceteri quoque Francorum imperatores, qui eum consequuti sunt, non vno commoratus sit loco, sed mox Wormatiae, mox Ratisbonae, mox Moguntiae, mox Herbipoli, mox Francofurti, mox Lutetiae Parisiorum, mox aliis in locis aulam et palatium constituerit maximam licet partem vitae suae Aquisgrani consumserit: non immerito quaeritur: *vtrum haec schola palatina aut cum aula eam in vrbem semper transferri, quam Carolus praesentia sua honorabat*, an vero *Aquisgrani*, quae sedes erat Imperatori gratissima, *certum fixumque domicilium habuerit?* Distraxit haec quaestio litteratissimos quosdam ex Gallis viros. Alii enim, quos inter IOH. LAVNOIVS, CAESAR EGASSE DE BAVLAY eminent, nunquam scholam hanc loco fuisse motam, sed aut Aquisgrani, aut Lutetiae semper relictam fuisse, quum itinera Imperator faceret, arbitrantur. Hos, *vt ita sentiant*, Bibliotheca inprimis commouet, scholae huic adiuncta, quam non sine maxima molestia transferri potuisse, iudicant. Verum alii scholam hanc semper ibi fuisse, vbi Carolus fuit, opinantur:

Et

Tom II. p. 330. ff.) *Eiusdem piissimi*, inquiunt, *Principis* (Ludovici Pii) *non modico adiuti iuuamine, eius videlicet liberalissima largitione copiam librorum prae manibus habentes.* Haec autem ecclesiae comitia A. C. DCCCXVI. celebrata sunt, altero a Caroli M. obitu anno. Intra quod breue temporis spatium et regni auspicia Ludouicum ipsum hanc Bibliothecam collegisse, ei tantum verisimile videbitur, qui rerum ignarus, et segniorem in his rebus fuisse Ludouicum, pium alias principem, ex episcoporum adhortationibus de iuuanda re scholastica, certior nondum factus est. (M.)

et hi quo veritatem huius probent sententiae, incredibile Caroli erga litteras studium testantur, quod non passurum esse putant, vt scholam a se suam diuelli sineret. Exornauit hanc opinionem IOH. MABILLONIVS, summum nostra memoria Benedictinae familiae lumen, quem multi recentiores sequuntur. Fateor, difficultatem Bibliothecae transvehendae, quae his opponitur, exiguam esse: Neque enim horum temporum Bibliothecae ex mole et numero nostrarum aestimari debent: Paucis illae, si cum nostris comparantur, voluminibus constabant, et facili propterea labore, vna cum reliqua aulae supellectile, alio deportari poterant.[1] At aliae tamen sunt, quibus adducor rationes, vt neutram mihi partem amplecti, sed medium inter vtramque locum tenendum esse, constituam. Sic nempe sentio, nonnumquam sequutam esse Carolum hanc scholam, saepe vero Aquisgrani aut Lutetiae, ipso proficiscente, remansisse. Nostis, bella gessisse Imperatorem in Italia, Germania, Pannonia, Hispania et aliis prouinciis longe grauissima? Nostis, eum aliquoties in Italiam profectum esse? Quis credat, voluisse Imperatorem Musas mansuetiores quae Martem timent, nec vllo modo armorum strepitum ferunt, secum in castra et contra Saxones, Hunnos, Longobardos, Saracenos, quos longis et feueris bellis domuit, proficisci, aut diuturna itinera suscipere? Veri autem simillimum est, eumdem quum negotiorum ciuilium, comitiorum iuris dicendi

 caus-

[1] Cum quo facit CAROLVS *le* COINTE in *Annal. ecclesiast. Francorum* ad annum Christi DCCCII. §. LXXIX. et XCII. (M.)

caussa, more Francorum Regum, modo in hanc modo in illam vrbem imperii sese conferret, noluisse sese voluptate illa, quam ex colloquiis cum viris eruditis maximam capiebat, sese priuare.

De *disciplinis* et *scientiis* si quaeritis, Avditores, *quae in* illustri *hac schola* ab eximiis, quorum nomina audiuistis, viris *traditae sunt*, certum est, omnes tam inferiores, quam sublimiores litteras, quales hac aetate erant, in ea explicatas et propositas esse. Id vero maxime ex illis intelligitur, quae de laboribus Alcvini, moderatoris huius scholae, cum ipse in epistolis suis, tum alii memoriae prodiderunt. Illustris hic et summus vir hac vtebatur *docendi ratione et forma*, vt primum artem accurate legendi, recteque scribendi discipulis instillaret: Superiorum enim temporum barbaries has facultates, quae fundamenti tamen loco toti seruiunt humanae eruditioni penitus fere abstulerat aut corruperat. Nec idcirco, quum de instauranda litterarum omnium salute et gloria ageretur, magno huic viro indecorum videbatur, legendi scribendique elementa inculcare. Iactis his initiis progrediebatur ad *septem artes*, quae *liberales* vulgo nominantur. Et de his quidem primum generatim in publicis recitationibus differebat: tum auditores ad *Grammaticam* ducebat, hinc ad *Rhetoricam*, porro ad *Dialecticam*: quod nomen hac aetate latius patebat, quam hodie, nec artem tantum ratiocinandi et disputandi, sed etiam Metaphysicam et coniunctam ei *Theologiam* naturae et rationis designabat. Intra trium harum disciplinarum, quae ...

uium vocabantur, limites consistebant iuuenes, qui mediocrem tantum doctrinam appetebant. Maiorem ingenii cultum qui capessere studebant, illi ad *quadriuium* etiam, sic enim stylo huius aeui nominabantur reliquae quatuor artes liberales, *Arithmeticam*, *Musicam*, *Geometriam*, *Astronomiam*. His scientiis eruditio huius aetatis humana terminabatur. Nescire vero me fateor, immo dubito, an de his quatuor scientiis publice etiam Alcuinus praeceperit in schola Palatina: suspicor potius, eas alii cuidam magistro interpretandas esse datas. Id certum est nullum exstare in scriptis Alcuini vestigium, ex quo intelligi queat, his artibus operam ab eo sigillatim fuisse datam. Exstat vero liber eius, aut potius pars libri eius, quo generatim *naturam septem artium liberalium* persequitur: ad cuius sine dubio normam magnus hic magister illustris discipulos suos erudiuit. Fatendum tamen est, libellum hunc vt mole, ita pretio paruum esse, nec ab ipso Alcuino compositum, sed, quod ex collatione didici, ex CASSIODORI opere de *artibus liberalibus* exscriptum esse. Habemus etiam adhuc eiusdem magistri Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, opuscula, si cum hodiernis huius argumenti scriptis contendantur, leuioris momenti, at si ex Saeculi VIII. et IX. statu et conditione aestimentur, praeclara et erudita. Ceterum more Platonis exarata sunt, et formam dialogorum seu colloquiorum habent. Loquentes autem, quod mirabile videtur, inducuntur ipse augustissimus Imperator, qui discipuli personam sustinet, et Alcuinus, qui doctoris munere fungitur. O temporum vicissitudines,

AVDITORES! Hoc si factum nostrum aliquis hodie imitaretur atque semetipsum cum Rege vel Imperatore de litteris sermones conferentem introduceret, certe omnes honestatis et decori leges violasse putaretur. At his temporibus maius summi homines pretium bonis artibus et litteris ponebant. Fecit hoc Alcuinus, passus est fieri Carolus, vt iuuenes tanto maiorem eruditionis et bonarum litterarum amorem animis conciperent, quum ipsum Imperatorem intelligerent inter discipulos nomen suum profiteri, haud dedignatum fuisse. Humanae eruditionis partes, quales tum erant, qui comprehenderat animo, is ad diuinam et sublimiorem scientiam admittebatur: Et hanc iterum Alcuinus docebat, rudis, si ad nos referatur, magister, egregius hac aetate: *Iurisprudentiae* et *Medicinae* [1] his nondum temporibus locus aliquis in Europa nostra inter partes eruditionis assignatus erat: Nec est idcirco, cur miretur aliquis, eas in hac schola neglectas fuisse. Iurisprudentia tota tum constabat antiquis populorum legibus et Regum edictis, seu *Capitularibus*, simpliciter scriptis et ea re intellectu facillimis:

Vetus

[1] Quibus argumentis innixus ill. auctor et antiquarum litterarum et nostrarum haec tradiderit, cum ego quidem nesciam, verba tantum THOMASSINI producam. Is enim de l. §. III. sic incipit: *In alio capitulari anni* 805. *adiicitur a Carolo studium Medicinae*: DE MEDICINALI ARTE, VT INFANTES HANC DISCERE MITTANTVR. De qua schola id edictum fuerit, non exprimitur, ego vero non dubito, quin de matre et exemplo reliquarum, Palatina. (M.)

[2] In quibus tamen disputandis et vt praefatio Concilii Mogun-

Vetus Romanum ius cum tenebris colluctabatur et sordibus. Ab arte vero Medica valde abhorruisse Carolum, scriptores referunt: qui caussam tamen cur optimam et saluberrimam scientiam despexerit, reticent.

Sed de *auditoribus et discipulis* huius scholae, ne quid omisisse videamur, adhuc quaedam adiicienda sunt. Ipse primum inter illos locum obtinet Imperatorum Maximus, Carolus, scholae huius conditor. Nec enim vllum dubium est, quin ipse publicis doctorum recitationibus, quum per negotia licuit, interfuerit, et priuatis horis bonis artibus a doctoribus erudiri curauerit. O! AVDITORES! aurea litterarum et litteratorum tempora! quum tanti imperii, cui nullum inter hodierna simile est, caput in discipulorum subselliis considere non erubesceret et virtutis sapientiaeque praecepta ex ore doctorum hominum attentissimo animo exciperet! Quantum auctoritatis et existimationis in hominibus fuisse putatis, quos imperator ipse duces sibi adsciscebat! Quantum gloriae litteris et artibus, sine quibus beatum sese negabat esse is, cuius arbitrio tanta respublica, tot populorum salus regebatur. Parentem excipiebant, in hac schola liberi, nec liberi tantum, quos nemo dubitauit iisdem, quibus magnus parens, doctoribus vsos esse, sed filiae quoque. Legitur adhuc virginum Caesarearum Giselae et Rictrudis epistola ad Alcuinum data inter opera Alcuina, qua gratias huic doctori suo immortales de labore in se erudiendis

guntini A. C. 813. habiti, habet, *Comites et iudices in mundanis legibus decertantes*, desudabant. (M.)

dis suscepto persoluunt gaudentque licuisse sibi in schola tanti ducis et magistri non inferiores, (tam id minus esset mirandum,) sed sublimiores scientias addiscere. Illustribus his exemplis addi possunt alia multa virginum summo loco natarum, huius aetatis, qui eodem, quo Imperatoriae modo ab ineunte aetate bonis artibus imbutae fuerunt. Discipulis et auditoribus hisce primi ordinis procerum tum in aula maximis muneribus fulgentium, tum in prouinciis rempublicam administrantium filii insigni numero iungebantur. Familia enim Caesarea tanto sapientiae amore accensa, quis summos ciues ad eius rationes sese composuisse dubitet? Longam satis VOBIS seriem eorum ex octaui et noni Saeculi scriptoribus recitare possem, qui de disciplina in hac schola accepta sibi gratulantur. Sed parcendum est tempori, nec animus est mihi, obscuris hodie et ignotis nominibus aures vestras fatigare. *Fateor vero*, dubium mihi esse, an praeter eos, qui sacro ordini destinati erant, alii etiam pueri et iuuenes ad hanc scholam missi fuerint. Curiosissime enim licet explorauerim omnia, nullum tamen mihi adhuc reperire licuit ex hoc aeuo hominem, vel ciuili, vel militari dignitate ornatum, quem ex hac schola prodiisse constet. Omnes, qui fatentur, sese ex ea egressos esse, aut antistites sunt rerum sacrarum siue episcopi, aut capita Monachorum, quos Abbates vulgo vocant. Vt enim Imperator ipse non aliena a splendore ac maiestate sua duceret, litterarum studia procerum tamen plerisque hac aetate illud penitus insitum erat, et euelli nullo modo poterat, militem, iudicem.

com-

comitem, gubernatorem litteris carere posse, Clericos vero, vt nominabantur, vnice decere scientiam.[1]

Haec

[1] Addemus ad calcem quaedam, quae immortalis principis in bonis litteris et earum alumnis fouendis merita in caelum vsque extollunt. Ita enim, quod vidimus non augusto suo tantum exemplo, quasi sacro quodam signo ad bene sperandum, ignorantiam vero depellendam dux nobilioribus ingeniis fuit, sed praemiis etiam Musarum amicos ornauit, vel, vt verius dicam, publica ecclesiae et reipublicae officia eruditis hominibus ornauit, nulla generis aut aliarum rerum, sed solius doctrinae virtutisque ratione habita. Ita enim (adferente verba *du* CHESNE d. l. Tom. II. p. 108. III.) aliquando, cum laudarentur ipsi iuuenum aliqui gaudio elatus eos sic hortatus est: *Nunc ergo ad perfectum attingere studete, et dabo vobis Episcopia et Monasteria permagnifica, et perhonorabiles eritis in oculis meis.* Cui quidem regiae voci quantum insit ad inflammandos honesti amore erectos animos vel contrario suo exemplo nostra testatur aetas. Ex quo enim ecclesiastici reditus aliis rebus dicati fuere, eorum plurimi, qui animum ad Theologiae studium applicant, ex eorum sunt genere, quos aduersa noscendi sors domesticis exemplis, bona educatione, optimis artium et vitae magistris verbo facultatibus necessariis, et sexcentis aliis bonis priuat. Paucae enim sunt tam generosae et pietatis plenae mentes, quibus vt Apostolis gloria IESV CHRISTI, cui omnia, si quae sunt, nostra, verbo ipsam vitam totam deuouere ipso voluntatis libero decreto nos oportet, hominumque salus et futurae vitae praemia tam splendidis et mentis aciem perstringentibus rebus, pro eo, ac debet, potiora habeantur. Quid? quod omnem fere fidem superat, ipse quantum quisque profecerit, stato tempore explorauit, et varia iuuenum scribendi exercitia lustrauit summus Imperator. Ceterum praeter hanc Palatinam scholam alii quoque in tam vasto regno ludi litterarii erant,

Haec facies, haec gloria, hic ſplendor fuit ſcholae Palatinae vltimis Caroli M. temporibus. Nunc ad reliqua eius fata, quae ſub LVDOVICO PIO ſenſit, pergendum eſſet.[1] Sed difficile eſt omnia vna et breui quidem oratione complecti. Itaque in

erant, inprimis in Epiſcoporum et Abbatum, imno et Parochorum aedibus. Nulla vero poſt illam celebratior eſt cum *Turonenſi* cui ALCVINVS praeerat, et de qua vide IO. LAVNOIVM de *ſcholis celebribus* cap. V. tot. tum *Osnabrugenſi*, cuius item pater et tutor eſt Carolus M. in qua graecae inprimis litterae tradebantur. Hinc factum eſt, vt Osnabrugenſis epiſcopus ab omnibus aliis publicis oneribus immunis Conſtantinopolim in regii connubii negotio ablegaretur. v. ven. IO. CHRIST. KOECHERI *Hiſtoriam Academiae Osnabrugenſis* in Heumanni Hiſt. acad. p. 125. ſſ. et LAVNOIVS p. 44. ſ. (M.)

[1] LVDOVICVM PIVM ipſum pro ratione temporum praeclare litteris fuiſſe excultum, haec THEGANI apud du *Chesne* Tom. II. p. 279. verba teſtatum faciunt: *Lingua graeca et latina valde eruditus, ſed graecam magis intelligere poterat, quam loqui: Latinam vero ſicut naturalem aequaliter loqui poterat. Senſum vero in omnibus ſcripturis ſpiritalem et moralem, nec non et anagogen* (triplex e. haec cum literali poteſtas verbis diuinis ineſſe ea aetate credebatur, et anagoge quidem ad alte ſpectandum atque res futurae vitae euehebat mentem) *optime nouerat:* At Primo tamen imperii tempore vel nouis reipublicae curis nimis diſtractus, vel, quod a vero propius abeſt, adminiſtrorum quorumdam, ſuam vmbraticis doctoribus gloriam et lautiorem vitam inuidentium vocibus inductus, vt conſtabat ſibi parum ſemper ſuaeque maieſtati Imperator neglexiſſe commoda litterarum videtur. Vnum habeo locum, qui mihi quidem ipſi minus ſatisfacit. Priuatae enim querelae, vt ſingulares ſaepe cauſſae ſunt, ita etiam leuis plerumque auctoritas. Sed adducam tamen. Ita enim LVPVS Ferrarienſis Abbas Epiſt. I. ad Eginhardum, apud

THO-

in aliud hoc tempus differre, quam oratione longiori molestiam vobis creare malo. Ludouicus Pius, quem patri successisse constat, Carolo licet magnitudine animi, constantia, fortitudine, litterarum amore, aliisque virtutibus, sed et felicitate inferior fuerit, hanc tamen scholam minime neglexisse, sed ornasse potius videtur. Id quidem

THOMASSINVM P. II. L. I. c. 97. §. I. p. 293. declamat: *Siquidem vestra memoria per famosissimum Imperatorem Carolum, cui litterae eousque deferre debent, vt aeternitati parent memoriam, coepta reuocari studia aliquantulum quidem extulere caput, satisque constitit veritate subnixum praeclarum dictum*: Honos alit artes, et accenduntur omnes ad studia gloriae. *Nunc oneri sunt, qui aliquid discere adfectant, et veluti in edito sitos loco, studiosos quosque imperiti vulgo adspectantes, si quid in eis culpae deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum adsignant.* Vti diximus, forte id maligna satrificulorum superstitione, aliorumque, administrorum ambitione, forte etiam nonnullorum Musarum filiorum, indulgentia Caroli ad licentiam morum abutentium vitio, forte Imperatoris incuria contigit. Legem certe, seu capitulare, scripsit Episcopis A. DCCCXXIII. *Scholae sane ad filios et ministros ecclesiae instruendos vel edocendos, sicut nobis praeterito tempore ad Attiniacum promisistis, et vobis iniunximus, in congruis locis, vbi nec dum perfectum est, a vobis ordinari non negligant. Capitul.* L. II. c. 5. *Consil. Gall.* T. II. p. 452. 505. Satis erat, iussisse semel seuere Imperatorem: ecclesiae antistitum erat, id, vel iniussos curare, quanto magis iterum iam admonitos. Dubium tamen est, in quibus haec labes haereat, Patres enim concilii Aquisgranensis A. 816. Imperatori scholarum salutem et amplificationem de meliori commendarunt. *Palatinae* autem scholae suum constitisse decus, ex eo videmus etiam, quod ipse libros tum editos examinare, cum prudentissimis palatii sui viris consueuit princeps.

dem dubio caret, hoc Imperatore ad clauum rei publicae sedente Musis aulicis homines prae-fuisse ingenio, eruditione et subtilitate illis minime minores, qui sub Carolo eas rexerant. Primus horum, quem Ludouicus in ipso imper. exordio scholae suae praefecit, CLAVDIVS e. Taurinensis deinceps antistes, gente Hispanus, qui sacerdotis antea Regii munus obierat, vir summus et ex scriptis, quorum pars nondum periit ex superstitionis odio, et controuersiis denique de imaginum cultu hodie adhuc celeberrimus. Videtur hic inprimis sacras litteras interpretatus esse, quia in hac constitutus prouincia Commentarios in tres priores Mosis libros, in S. Matthaeum et in epistolam S. Paulli ad Galatas euulgauit. Hoc Claudio ad Taurinensis ecclesiae persecturam euecto, scholam suam Ludouicus regendam dedit ALDERICO, cuius exercitatum et subtile ingenium in publica disputatione quadam admiratus fuerat. Nihil huius viri ad posteros peruenit, praeter vnam epistolam ad Frotarium, antistitem Zullensem, datam. Alderico Abbate Ferrariensi creato AMALARIVS Diaconus moderator scholae Palatinae electus, vir non indoctus, quod ex scriptis eius intelligere licet adhuc superstitibus, quibus ritus aetate sua in cultu diuino vsitatos interdum nimis ingeniose explanauit. Qui hunc excepit THOMAS ex carminibus tantum nonnullis notus est, quae Walafridus Strabo, nobilissimus aeui huius scriptor, ad ipsum exarauit. Hi sunt moderatores scholae Palatinae Ludouico Pio Francis et Germanis imperante, quorum nomina temporum iniuriae ad nos peruenire pas-

sur

ſunt. Praeter moderatorem quin alios etiam Magiſtros ſecundarios habuerit haec ſcholae, hac aetate, non ſecus ac Caroli M. aetate, nullus equidem dubito: horum vero nomina et merita vetuſtas oblitterauit. Cepiſſe etiam Bibliotheca Palatina ſub Ludouico non contemnenda incrementa videtur. Habebat illa ſuos curatores et praefectos, ex quibus EBBO, Archiepiſcopus deinceps BREMENSIS, et GANWARDVS neſcio quis fuerunt. Multitudine etiam varii generis librorum abundabat. Idque ex eo ſatis elucet, quod ſcriptores huius aeui memorant, Ludouicum ex hac Bibliotheca copiam librorum ſuppeditari iuſſiſſe Amalerio, quum huic iuſſu et auctoritate Imperatoris ex ſententia veterum eccleſiae doctorum Canonicorum Regula conſcribenda eſſet.[a]

Poſtremis regni Ludouici Pii temporibus dignitas Scholae Palatinae ob ciuiles turbas et Imperatoris mollitiem valde diminuebatur. At priſtinum vero decus ſuum aſſurgebat, immo maiorem gloriam, quam ſub Carolo et Ludouico habuerat, conſequebatur, quum CAROLVS CALVVS, Ludouici filius, Francis iura daret.[1] Non is erat

[a] V. annotat. noſtram p. 594. (M.)

[1] Illuſtrabimus haec veteri teſtimonio, de ſummo CAROLI CALVI erga omnes litteras, non Palatinam ſcholam tantum, ſtudio. Quum bella ciuilia, et Normannorum incurſionis Muſas diſturbaſſent, veterem gloriam, immo maiorem reſtituit, accerſitis ex omni terrarum, qua patet, orbe viris eruditionis fama conſpicuis. Ita Monachus in littera nuncupatoria et vitae Altiſidiorenſis Antiſtitis praefixa Imperatorem alloquitur: *Id tibi ſingulare ſtudium*

erat hic Carolus, qui vel cum auo, vel cum parente contendi posset. Carebat enim multis earum artibus et virtutibus, quae magnos Reges et Imperatores supra vulgus efferunt: totumque praeterea, quo rem publicam administrauit, tempus perpetuis bellis et contentionibus, maximamque eius partem vitiis consumsit. Nihilo tamen minus Imperator hic vitiis licet nobilior, quam virtutibus, patrem amore litterarum superabat, auum certe aequabat, bellique non minus, quam pacis temporibus eruditissimos viros ad se inuitabat, praemiisque ac honoribus amplissimis afficiebat. Quocirca dum ipse vixit et confertum erat vbique Francorum imperium, viris pro aetatis huius conditione litteratissimis et libri conscribebantur varii generis, quorum magna pars ad ipsum Imperatorem mittebatur.

Scio,

studium effecisti, vt sicubi terrarum Magistri florent artium, quarum principalem operam Philosophia pollicetur, hos ad publicam eruditionem vndequaque tua celsitudo conduceret, comitas attraheret, dapsilitas prouocaret. Ideo tantis praemiis certantibus propositis, mirum non est, aduolasse ad tam illustre stadium eruditos homines. Pergit praeco: *Quid Hiberniam memorem contempto pelagi discrimine pene totam cum grege philosophorum ad litora nostras migrantem? Quorum vt quisquis peritior est, vltro sibi indicit exsilium, vt Salomoni sapientissimo famuletur ad votum.* Quin, auo praeferre nullus dubitat: *Caroli studium erga immortales disciplinas non modo ex aequo repraesentas, verum etiam incomparabili feruore transcendis, cum quod ille sopitis eduxit cineribus, tum fomento multiplici, tum beneficiorum, tum auctoritatis vsquequaque detrahis.* BARON. *Annal.* ad ann. 876. §. 38. 3. Verba quaedam deme, quae his epistolis propria sunt, tum veram laudem, rerum multis testimoniis munitam habebis. Sed ohe! iam satis est de scholis dictum. Q.

Scio, AVDITORES, vestrum plerosque hanc scholae Carolinae historiam audientes, nostra tempora cum illis, de quibus loquuti sumus, comparasse atque rerum humanarum vicissitudinem tacitos deplorasse, quam litterae etiam tam diuinae, quam humanae, sentiunt. Fateor hoc vos iure vestro fecisse. Si tales semper Imperatores et Principes, qualis Carolus fuit, imperium deinceps moderati essent, quantum ex consiliis eorum accessionum, quantum gloriae meliores artes et scientiae, eorumque cultores, quantum ex horum incrementis et laboribus fructum respublica, quantum ecclesia cepisset? Si iis hodie moribus summi Reges et Imperantes viuerent, quibus veteres Francorum Imperatores, si singuli in Palatio scholam alerent illustrem, aulam viris litteratis refertam haberent, hominesque magnis aliquando vel ciuilibus, vel aulicis, vel militaribus muneribus admouendos ante omnia sapientia imbui curarent, nemo nostrum hodie quereretur, contemni doctrinam cum illis qui eam consectantur, natalemque, quem agimus, Academiae multo quam antea obscuriorem esse. Verum heu! vices rerum! Amplissimum qui olim locum in aulis obtinebant, et inter ipsos reipublicae proceres considebant, illi bene secum agi hodie dicunt, si commoda et honores, quibus veterum Principum munificentia ornati sunt, sarta tueri queant: Et, quae olim in aulis Imperatorum florebant scholae, hodie satis belle sese habeant, si non omnibus patronis inter summos Imperantes, eorum-

ue administros destituantur. Sed quid luctuo-lemnis huius diei celebritatem polluimus? Gaudeamus potius nondum periisse omnia bona, quibus olim litterae et maiores nostri vsi fuerunt: gaudeamus illustrem hanc scholam, tot magnorum hominum matrem, plane adhuc et inter tot multas rerum et temporum conuersiones, non contemnendam partem veteris gloriae et dignitatis suae incolumen seruare: Fruamur illis, quae relicta nobis sunt et in hac simul spe nos erigamus, fore propitio Numine, vt feliciora tempora, vt beata illa Saecula redeant, quibus summi Principes dulce et decorum putabant grauiores curas et negotia litterarum amoenitate et virorum eruditione colloquiis temperare. Fiet id sine dubio, si potentissima domus Brunouicensis, cui proprius est prae aliis litterarum et litteratorum amor, sub tutela pacati et tranquilli otium litteratum colimus et studiosam iuuentutem instituimus, felicitas et gloria, qua splendet, illibata non modo seruetur, verum etiam indies amplificetur. Floreat igitur, (iungite preces et vota vestra meis vocibus, AVDITORES, floreat igitur celsissima haec domus, tot ornamentis, tot virtutibus et amore inprimis humanarum diuinarumque litterarum inter Germanos immo Europaeos nobilissima, supra multas emineat, floreat, cantumque indies opibus et potentia crescat, quantum de pristina litterarum dignitate et gloria tempus adhuc detriuit. Seruet supremum Numen optimum herum nostrum, CAROLVM, Academiae huius Rectorem hoc anno Cancellarium Magnificentissimum, dominum nostrum clementissimum.

fa…

ꝺitque, vt maximos maiores, et in his proauum
VGVSTVM Principum eruditiſſimum, amore er-
nos et hanc ſcholam ſi minus ſuperet, reddat
ꝺbis tamen iterum.

Faueat diuina Clementia Potentiſſimo Regi,
EORGIO II. clementia, gloria, omnibusque vir-
tibus maieſtatem decentibus nulli ſecundo, vi-
mque diuturnam, proſperos rerum omnium
cceſſus, et quaecumque ad tanti herois gloriam
felicitatem faciunt, conueniunt, abundantiſſi-
e largiatur.

Cuſtodiat DEVS illuſtrem hanc ſcholam, ſer-
et, inquam, DEVS almam hanc Iuliam atque
m charam virorum bene meritorum nutricem
que matrem omni proſperitatis genere ornare
cumulate quidem dignetur. Saluti vero Aca-
emiae, dum bene precor, vobis ſimul MAGNI-
CE DOMINE PRORECTOR, PATRES ACADEMIAE
ONSCRIPTI, vobis, inquam, ſimul fauſta quaeuis
praeclara ominor. Salus enim Academiae ve-
ra ſalute continetur, veſtra fama, veſtris curis et
igiliis, veſtris denique laboribus haec Iulia illu-
ratur, nec idcirco vobis ſaluis et rem litterarum,
ti adhuc, feliciter agentibus, obſcura eſſe pote-
t: Viuite igitur beati et gloriae, quam vobis ex
cademia collegiſtis, diu ſuperſtites eſtote. Vi-
ite et vos, CIVES ACADEMIAE GENEROSI, NOBILIS-
MI, OPTIMI, CETERIQVE AVDITORES, veſtrisque
oribus, ſtudiis, laboribus matris veſtrae decus

et nomen toti Germaniae commendate. Redeat haec natalis lux, atque quotannis candidior redeat, nobisque Academiae noſtrae gratulandi et laetandi, numquam vero lugendi materiam, ſecum afferat!

DIXI.



OR-

ORATIO SEPTIMA

QVA

DEO

PATRIBVS ACADEMIAE

CONSCRIPTIS, CIVIBVSQVE

GRATIAS AGIT AVCTOR

DE

GESTO A SE BENE ILLIS FAVENTIBVS HAVD

INFELICITER MAGISTRATV ACADEMICO.

MAGNIFICE
ACADEMIAE PRORECTOR,
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI,
CIVES GENERORI, NOBILISSIMI,
CVRAE, SPES, DELICIAE NOSTRAE! *

Qua mentis aequabilitate et constantia ante sex menses fasces Academicos suscepi, eadem hodie illos reddo, nec tristis nimirum, nec hilaris. Alterum horum, nihil scilicet me tristitiae in hunc attulisse locum, quo purpura exuenda est, nemo vestrum, vt opinor, dubitabit. Magnum est omnino et honorificum, non diffitetor, POTENTISSIMI REGIS vice fungi: magnum est et amplissimum, primum locum inter viros tot inclytos, summaeque eruditionis et sapientiae laude illustres obtinere: magnum denique ciuitatem regere, quae futuris utriusque reipublicae, sacrae et ciuilis, fulcris, praesidiis et ornamentis constat. Sed hanc amplitudinem, hos honores, quod nemo vestrum ignorat. AVDITORES, tot, his praesertim litterarum temporibus, incommoditates, tot molestiae sequuntur, vt, quod alioquin humanae naturae, gloriae et potentiae cupidissimae repugnare videtur, carere illo splendore prudentes multo malint, quam vti. Idem tamen nec laetitia magnopere efferor. Meminerunt plerique vestrum, me, cum hanc prouinciam capesserem, auspicii caussa de difficultatibus magistratus Academici disserere. Sensi ego, nihil a me dictum, quod veritas repudiet: immo

* Cum Prouinciam Successori concederet, dicta. (M.)

fensi, usuque didici, multo maiores, quam existimaueram, difficultates muneri huic, necessaria quadam lege, sociatas esse.

Difficilius sine dubio Vobis alterum persuadebo, nec eximia me hoc de laetitia commoueri, quo mihi, rebusque mihi demandatis veluti restituor. Ecquis enim non gaudeat, in portum ex alto, eoque commoto et turbido, feliciter delatus? Verum, Auditores ita mecum semper constitui, omnem quae proponitur, fortunam viro bono et sapienti non fortiter tantum, sed etiam libenter, subeundam esse, modo suis laboribus et molestiis publicae saluti videat consuli. Et hanc ego cogitationem variis illis verumnis, quibus circumsessus est rei Academicae moderator, magno cum fructu opposui: ita praeterea vos ipsi, Auditores, maximam partem effecistis, vt exquisito hodie laetitiae sensu affici nequeam: siquidem vestra beneuolentia, Patres Conscripti, vester amor, Cives Optimi, ingenti mihi solatio et adiumento fuit, neque magnam animo aegritudinem, quicquid etiam accideret, concipere me permisit. Ita, quod in maximis numero beneficiis, eadem mihi mentis constantia, ad vitam privatam hodie mihi reuerti licet, qua olim hunc gradum, quem relinquo, conscendi.

Statueram postremo ad vos de vtili quodam argumento nonnihil, quod moris est apud nos, disserere: verum consilium hoc erga vos, Cives, studium simulatque natum est, abstulit. Quid est, quod mea Vos docere posset, tenuitas, *venerandi Patres!* Et cur ego vestrum, Cives, desiderium

ſiderium nouum Pro-Rectorem videndi, ſalutandi et audiendi remorarer! Qui, dum rebus veſtris praeſui, id caui potiſſimum, ne cuiquam temere aliquid moleſtiae crearem; itaque nolo etiam in exitu adminiſtrationis meae oratione longa et ieiuna (nec enim diſerta exſpectari a me poteſt) moleſtus eſſe. De fide et dexteritate mea, qua rempublicam hanc gubernaui, veſtrum eſt iudicare: Itaque ne hunc quidem locum tangam. Si tam felix et fortunata mortalium eſſet conditio, vt eadem ſemper nobis virtus, quae voluntas, eſſet, confidere poſſem mediocriter rem a me curatam eſſe. Volui certe, et conſtanter volui, nemini nocere, omnibus, ſi fieri vllo modo poſſet, prodeſſe: volui iura Academiae huius, inter Germanicas nulli olim gloria et meritis ſecundae, non amplificare, (quis enim his temporibus id poteſt?) verum ſarta et tecta tueri et cuſtodire: volui denique et aſſidue volui ciues fidei meae creditos ſeruare. At noſtis hanc eſſe rerum humanarum infelicitatem, vt euentus voluntati minime reſpondeat. Idem metuo, ne et mihi euenerit. Si quid tamen non prorſus infeliciter a me geſtum eſt, omne id primum diuinae tribuendum eſt providentiae. Huic, Avditores, huic animo pie commoto gratias ſupplices agamus, quod hanc ciuitatem tot inter procellas vndique imminentes ſaluam et incolumem adhuc praeſtiterit, quod triſtia quaeuis et infauſta a publica non minus ſalute, quam priuatorum fortunis clementiſſime propulſauerit, quod Patrum decretis et conſiliis bene dixerit, quod ciuium moratorum et modeſtorum non contemnendo numero Academiam auxerit. Eſto nobis beni-

gnissimus Pater, in posterum praesidio, ne committe, vt salutem nostram maligna quaedam et aduersa vis vlla ratione turbet et concutiat!

A Deo si recedamus, Vobis, Patres Academici, vestrae prudentiae et alacritati id maxime adscribendum est, si non prorsus male ciuitatem nostram rexi. Nullus vestrum est, cui non singulare quoddam beneficium deberem. Vos consiliis optimis et saluberrimis hunc hominem firmastis et erudiuistis: vos auxilium vestrum implorantem numquam deseruistis, publicaque semper commoda priuatis vestris commodis et negotiis anteposuistis: vos sponte, quid e re nostra esset, suppeditastis, memoriaeque meae aut imperitiae diligentissime subuenistis. Fas igitur est, vt publice me vobis omnibus aeternum propter tot ac tanta beneficia obstrictum fore, significem gratusque profitear, nisi vos omnia circumspexissetis nisi vos ope ac sapientia mihi adfuissetis, vix bonum aliquid et laudabile a me profecturum fuisse. Viuite felices, Patres Optimi, diuque gloria, quam vestris vobis meritis et virtutibus comparastis superstites fruimini!

Postremo, ne vos quidem Cives Carissimi et Ornatissimi, mihi praetereundi estis. Si laudis aliquid ex difficili hac procuratione refero, pars eius non exigua ad vos, Amici, pertinet. De caritate, qua me complexi estis, nihil dicam, tametsi suauissimo eam mihi solatio fuisse, diffiteri nequeam: at modestia plerorumque, diligentia virtusque sileri minime debent. His ornamentis vestris id acceptum fero, quod tranquillitas publica

blica rarissime, me Pro-Rectore, turbata est. His id debeo, quod nemini tristem et seueram exilii poenam a Senatu iussus, dictaui; his id debeo, quod carcer maximam partem incolis caruerit. Felicem me, cui ciuibus adeo mei amantibus, et honestatis Studiosis imperare licuit! Peccarunt aliqui vestrum: sed imprudentia plurimi, animi malitia et improbitate forte nullus. Et quicunque lapsi sunt, vix moniti errorem agnouerunt, et ad ordinem redierunt. Erunt mihi haec officia memori animo recondita, nec credite mihi, libertius, agam, quam si de vobis bene merendi locus dabitur.

Si quae tamen forte, AVDITORES, vt homines sumus, a me admissa, cum a meis, tum a vestris votis aliena, ea emendabit sine dubio et restituet is, quem concors Patrum vox, POTENTISSIMI REGIS auctoritate roborata, caput huius Academiae in residuum huius anni spatium creauit, vir scilicet Illustris, Excellentissimus et Amplissimus I. P. KRESS, cuius eruditionem cum vniuersus, qua patet, orbis litteratus non ignoret, commemorare inutile foret. Humanitatem certe, prudentiam, placabilitatem, affabilitatem salutisque publicae cupiditatem nullus inter nos ignorat. Nemo scio, vestrum erit, quin hanc electionem approbaturus, nemo, quin Academiae nouum hunc Pro-Rectorem gratulaturus, nemo, quin ad nutum et mandata eius promtum et paratum sese praebiturus sit. Et ego ipse, AVDITORES, etsi omni vacuus animi commotione hunc locum conscendi, laetitia tamen me concitari sentio, cum tantum virum, cogito, negotiorum mul-
titudine

titudine se haud teneri passum fuisse, ne, ad insignia dignitatis a me recipienda accedere. Salue, vir illustris, Patrone et collega ab ipso meo in hanc Academiam ingressu mihi coniun-ctissime, salue inquam, reique publicae no-strae gubernationem felicissimis auspiciis suscipe. Omnes nos confidimus, digniori eam haud tra-di potuisse: Tv, quod nouimus, spes nostras non implebis modo, sed superabis prorsus.



ORATIO

ORATIO OCTAVA

DE

CAERIMONIIS

IN CREANDIS

S. S. THEOL. DOCTORIBVS

VSV IN

ACADEMIIS RECEPTIS CONTRA QVOSDAM

EARVM VITVPERATORES.

DE

RITIBVS IN RENVNCIATIONE THEOLOGIAE DOCTORVM ORATIVNCVLA.

VIR S. REV. ET AMPL.

DOMINE CHR. MVNDENI,

THEOL. DOCT. ET IN HAC ACADEMIA PROF. PVBL. ORD. DECAN. COLL. THEOL. ET PRO - RECTOR SPECT.

DOMINE FAVTOR PLVRIMVM VENERANDE!

Facultatem TIBI postulas a me concedi, *Summe Reuerendum*, quem praesentem cernimus, honorum Theologicorum *Candidatum*, sanctioris sapientiae Doctorem creandi publice atque renunciandi. More facis id quidem et instituto maiorum a quibus has omnes caerimonias traditas accepimus: ego quod iussus sum, eidem maiorum nostrorum mori obtemperabo, potestatemque, quam TIBI dari flagitas, AVGVSTISSIMI IMPERATORIS et POTENTISSIMI REGIS auctoritate munitus, statim liberaliter largiar. Vterque vero nostrum an sapienter faciat, et ex praescripto disciplinae, quam profitemur, id vero est, de quo multi dubitant, qui animo potius quam oculis, res humanas metiuntur. Non ignoras, esse hodie non paucos, qui hanc omnem aspernantur pompam, ritusque illos, quibus in creandis Theologiae Doctoribus vtimur, criminando perturbant et contaminant. Tantum quidem a se impetrant, vt rem ipsam hisce caeremoniis adiunctam tolerent, atque rei publi-

publicae interesse fateantur, publico eos testimonio exornaui, qui variarum rerum cognitione atque docendi dexteritate prae ceteris excellunt: negant vero sapientum grauitate indignum esse, rem simplicem et apertam institutis obruere futilibus, quae se nullo alio, quam antiquitatis nomine, tueri queant. *Primum* caeremoniarum nostrarum natales in contemtionem adducunt: ortas esse aiunt illas ex ea aetate, qua barbaries in Scholis vnice imperauerit, Pontifex Romanus impotenti dominatione rempublicam Christianam constrictam tenuerit, scientiaeque ipsae plus speciei et inanis ostentationis, quam veritatis habuerint: vniuersam ergo hanc scenam inter turpes Antichristi reliquias numerandam esse, quas merito abiiciant et repudient, quibus purior curae sit religio. Ipsas *deinde* caerimonias vanitatis accusant: facile inquiunt, patere, *ab hominibus* esse inuentas, qui non ingenio *quidem*, at sanitate caruerint. Alterum facultatem flagitare Doctorem creandi: Alterum potestatem istam concedere. Vtrumque ad speciem tantum fieri, plusque fabulam et ludum referre, quam rem seriam. Pileum, libros, osculum, annulum certiora humanae leuitatis, quam virtutum et doctrinarum signa esse: si quam habuerint olim haec omnia ex opinione hominum *significationem*, eam hodie prorsus exstinctam et sublatam esse; verbis multo clarius et certius animis instillari posse omnia, quae Doctoris aut exigat, aut polliceatur, titulus, quam imaginibus eiusmodi, euentum testari nobis, cuius haec omnia generis sint. Idem euenire nobis, quod in histrio-

ſtrionibus videmus, qui, cum a ſcena diſceſſerint, nihil ſibi minus agendum putent, quam quod mimico iſto habitu profeſſi ſint. *Poſtremo* in Theologos imprimis acerbe inuehuntur: ſi ferendum ſit, aiunt in nonnullis iſtud leuitatis et nugarum ſtudium, in Theologis certe acriter caſtigandum eſſe, quos mores imprimis deceant compoſiti, quosue religio omnem fucum et inutilem pompam fugere magiſtri contra ſanctiſſimi ſeueritatem imitari iubent. Hisne accuſatoribus aſſentiemur, VIR SVMME REVERENDE, nosque ipſos mimum hodie agere profitebimur? Non faciemus. Non eſt, quod negemus illis nata eſſe haec inſtituta temporibus, quibus religio aequae frigebat atque eruditio. Sed ſi omnia, quae iſta viguerunt aetate abiicienda ſint, cras ipſas quoque doctrinas et ſcientias in exilium licebit mittere, quarum ſemina ſaltim et initia ex illis temporibus ad nos delata ſunt. Repudiemus ea, quibus aut ratio, aut diuina patefactio turpitudinis notam inuſſerunt: Eiiciamus, quae cum reipublicae pugnant ſalute: at, quid quaeſo, eſt, quod nos iis quoque rebus bellum indicere cogat, quae nec per ſe inhoneſta ſunt, nec veritati coeleſti contraria, nec denique ciuium ſaluti pernicioſa et noxia. Quis neſcit praeterea, noſtras quidem caerimonias, eo tempore praeſcriptas, quibus puriora iam ſacra maiores noſtri receperant, litteriſque melioribus et omnibus diſciplinis amiſſum decus erat redditum?

Ipſos, quibus vtimur, ritus non tam ſtupidi ſumus, vt minus habere virtutis intelligamus,

quam multi opinantur, quibus pro corde fungus est: dabimus quoque vanitatis eius non nihil iis adhaerescere, qua terrarum orbis conflictat. Sed hoc sacra nostra cum omnibus rebus humanis commune habent. Quocumque te vertas, vmbras, ludos, fabulas, fumum et fucum etiam in illis negotiis deprehendas, in quibus nil nisi castigatum et seuerissimum expectes esse. Anne omnia igitur, qui nos coarguunt, vitam hominum vniuersam coarguant, nec coarguant tantum, sed purgent: quodsi fecerint, haec quoque nostra nulli amplius stomachum commouebunt. Quicquid est eiusmodi legum et institutorum, id fas est, ex consilio eorum a quibus profecta sunt, non autem ex indole, multo minus ex euentu metiri. Exeamus e vita, et ad superos migremus, si quod vitiis non prorsus vacuum est, aut quod manifestum non ostendit fructum, *dimittendum* omnino sit.

Quid vero est, quod Theologos hi censores imprimis in iudicium vocant et neglecti officii postulant? Ita est, vt aiunt: Dedecent nos ineptiae: decet grauitas et morum sanctimonia. At nos quidem nec nugamur, nec a grauitate recedimus. Nusquam contra grauiores sumus, quam in eiusmodi negotiis! Vestigia sequimur maiorum, adhibitisque signis quibusdam et notis, eos, quos in ordinem nostrum recipimus, officiorum et morum, quos noui, illi honores postulant, commonemus? In hoc quidnam vitii est? Resne ipsa muneri nostro repugnat? Non arbitror; an vero ratio rem explicandi aut no-

tae

tae, quibus illa explanatur, legibus nostris aduersantur. Ne hoc quidem putem. Viderint, qui sic nos oppugnant, ne iniqui rerum per se honestarum et consiliorum interpretes aequioribus videantur. Sed finge, mimum nos agere: fac, fabulam esse omnia, quae hodie agimus, VIR AMPLISSIME! Ne sic quidem iure vituperabimur. Est id muneris nostri, vitae huius fragilitatem, inconstantiam, vanitatem, ludibria verbis, factis, exemplis hominum mentibus, quoad fieri potest, diligentissime inculcare. Statuant accusatores nostri, nos eiusmodi exemplum hodie edere, ex quibus cum ipsi, tum alii, quid rerum inter homines agatur, discant. Spernite nos, spernite ritus nostros, spernite hunc totum apparatum viri sapientissimi: at simul haec omnia simulacrum esse rerum humanarum cogitate. Mimum, si placet, hic spectari, credite: at hunc mimum vos admonere recordamini, quae suscipiunt, quae colunt, quae venerantur miseri mortales, honores, munera, copias, splendorem, litteras, totam vitam mimum, fabulam, fucum, somnium, vmbram, ludum et iocum esse.

Valeant reprehensores nostri: ego, quod dies hic a me flagitat, quod POTENTISSIMVS atque INVICTISSIMVS PRINCEPS et DOMINVS GEORGIVS II. MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE et HIBERNIAE REX, DEFENSOR fidei, DVX BRVNSVICENSIS et LVNEBVRGENSIS, Academiae huius hoc anno Director et Cancellarius Magnificentissimus, Dominus noster longe clementissimus, me agere voluit, peragam. Placuit huic, litteris ad ordinem nostrum

datis, iudicium nostrum, quod de viro summe Reuerendo et Amplissimo CHRISTOPHORO TIMOTHEO SEIDELIO, Abbate Regiae-Lutterae, tulimus, comprobare, summos candidato huic in Theologia honores decernere, mihi denique partes, quas Cancellarius in eiusmodi actibus obire solet, clementissime committere. Quapropter ego, Io. Laur. Moshemius, Theolog. D. et in hac Acad. Theol. Prof. publ. et ad huncce actum procancellarius, mandato regio delectus, auctoritate sacrae Caesareae Maiestatis et Potentissimi, Inuictissimique Regis GEORGII II. Tibi, Vir SVMME REVERENDE CHR. MVNDENI, plenam concedo potestatem, Dominum CHRIST. TIMOTH. SEIDELIVM, Abbatem Regiae-Lutterae, more ritque maiorum Theologiae Doctorem creandi, renuntiandi, proclamandi, omnibusque *illis* iuribus et priuilegiis donandi, quibus ex *institutis* et legibus Academiae Bononiensis, Patauiensis, Papiensis, Perusinae, Parisiensis et Lipsiensis Academiarum frui solent. Faxit supremum numen, vt ex nouis his honoribus ecclesia multam vtilitatis, Academia autem haec nouam dignitatem, capiat.



ORATIO

ORATIO NONA

DE

OPTIMA ACADEMIA.

DE

OPTIMA ACADEMIA. *

Video, P. A. C. Illvstris Comes, Hospites, Ivvenes Generosi, video quantum mihi oneris et molestiae hac cum purpura, quam magistratus Academici insigne Pontifices et Imperatores esse voluerunt, impositum sit; video breue illud, otium quod mihi semper a negotiis conceditur, totum paene per hos sex menses, qui instant, in cognoscendis et componendis liticulis, in varii generis insidiis, quae hac aetate nostra collegiis litteratorum strui solent, depellendis, in speculandis et costodiendis illis, qui aut impetu aetatis, aut innata quadam vitiositate ad peccandum prochiues sunt, consumendum esse: Sed iustas tamen me habere caussas opinor, cur, omni formidine seposita, erectus et alacris ad gubernaculum litteratae ciuitatis huius considean. Primum magnam mihi bene ominandi fiduciam iniicit vestra, Proceres Academiae, beneuolentia, quam cum saepissime, tum ante quadriennium, cum hoc ipsum munus administrarem, mihi testati estis. Aderit haec mihi, non dubito, neque nunc illa hominem de rebus nostris haud male merendi cupidum, aut fortunae aut imbecillitati suae succumbere patietur. Confugiam, quod debeo ad sagacitatem et prudentiam vestram si quid graue et arduum imminere intellexero: Vos nutantem

 consi-

* Habita a. d. 2. Ianuar. A. C. CIƆIƆCCXXXX. cum Pro-Rectoris partes auctori Magn. demandarentur.

consilio et auctoritate vestra confirmabitis, vos incerto viam agendi monstrabitis.

Haud parum deinde ad hanc animi mei serenitatem, qua fasces Academicos complector, vos adiicitis, CIVES GENEROSI, NOBILISSIMI, ORNATISSIMIQUE. Nam vt de vestra in me voluntate, quam eximiam semper sensi, nihil commemorem, exoptata illa tranquillitas, quae reipublicae nostrae contigit, dum vir Excellentissimus, in cuius locum sufficior, ei praefuit, haec inquam publica tranquillitas, honorificum virtutis et probitatis vestrae testimonium praebet, ostenditque, paucos esse inter vos, qui peccare malint, quam sapere. Quidni igitur sperem, fore, vt Vos morigeros, officii memores, honestos et ab omni libidine alienos habeam? VOBIS fauentibus, PATRES ACADEMICI, VOBIS, OPTIMI CIVES, sic viuentibus, vti viuere decet futura Ecclesiae et patriae ornamenta et fulcra, feram facile reliqua, quae ferenda sunt, hilarisque, priuatis commodis publicas opportunitates anteponam.

Ad extremum in me ipso non nihil est, AVDITORES, quod magnam metus mei partem opprimit. Multa licet mihi forte desint, quibus bonum Academiae Pro-Rectorem instructum esse decet, firmum tamen solidumque affero ad vos, Deus mihi testis est, propositum, et publice et priuatim de omnibus bene merendi, sanctissimeque quae fidei meae credita sunt, etiam cum molestia mea, curandi. Non deseret, vt confido, diuini

diuina prouidentia hominem sic animo affectum, nec committet, vt vel socordia, vel imprudentia is noceat, a quo omne fallendi, nocendi et oscitandi consilium quam longissime abest. Verum satis de me: quod restat temporis ad dicendum dati argumentum occupabit simplex quidem, at per se honestum, et ad praesentis diei celebritatem accommodatum. Dissĕram nempe *de* OPTIMA ACADEMIA, meamque vobis sententiam de celebri hac quaestione explicabo: *Qualem esse Academiam oporteat, quae ceteris omnibus iure suo praeferenda sit?* Cauebo, ne in ipso muneris exordio, in quo facilem omnibus et suauem me esse par erit, longa VOBIS oratione molestus sim: VOS AVDITORES omnes, ea, qua soletis, attentione loquentis verba excipite. Vos autem, PATRES ACADEMIAE, rogo, vt, si quid VOBIS male a me meditatum videatur, id vestra prudentia et eruditione emendare velitis.

Quum plerique mortalium, AVDITORES, res humanas parum prudentes aestiment, suoque potius ex ingenio, quam ex veritate, spectent, mirum nemini videri debet, homines quum de optima Academia pronuntiandum, in diuersa rapi, multosque non satis sapienter decernere. Pro suo quisque ingenio aut potius stomacho ciuitatem sibi effingit, quam praestare cunctis confidenter asseuerat. Qui strepitu, hominumque magna concursione delectantur, illi tanto meliorem et praestantiorem Academiam esse censent, quanto plures ciues habet. Qui vero salutem suam in quaestu et lucro positam esse arbitrantur,

 eam

eam demum Academiam beatam et pulcram appellare solent, quae ciuibus abundat, quos patrimonii copia et amplitudo magnificos et prodigos esse patitur. Qui vitae elegantiam et mores scite compositos amant, Academias praedicant illis in vrbibus conditas, quarum incolae humanitate perpoliti putantur esse. Qui gloriae et laudis amore ardent, nullas sibi laudandas esse Academias arbitrantur, praeter eas quarum doctores in orbe litterato eruditionis et doctrinae fama supra ceteros eminent. Ex deliciarum et voluptatum vbertate, qui vitae humanae felicitatem metiuntur, nullis bene scholis esse iudicant, quam illis, quae ibi positae sunt, vbi nihil earum rerum desideratur, quae sensus varii generis suauitate afficiunt.

In his caussis, propter quas Academiae commendari vulgo solent, etsi quaedam sint, quae opportunitatis aliquid habent, nec si cetera bene constituta sint, contemni possint: numquam tamen sapiens a se impetrabit, vt ab illis siue singulatim, siue coniunctim sumtis iudicandi normam sumat, cum de ciuitatum litteratarum praestantia quaeritur. Cuncta haec et alia eius generis, quae intacta dimittimus, iudicia a sensibus vnice et imaginatione dictantur: Quibus qui fidendum sibi esse putat, cum de rerum agitur dignitate et excellentia, is, non expedire quaestionem, sed implicare magis solet, quia facultates illae certa et constanti lege carent. Qualis quaeso vos, homo videretur, qui contentione forte exorta, cuinam inter nobiliores ciues principatus

tus adſcribendus eſſet, repente eum ſupra ceteros ſine controuerſia extollendum eſſe clamaret, qui humerorum et lacertorum robore, formae venuſtate, vocis ſuauitate, rebusque aliis externis imprimis valeret? Itane vero, diceret ſapiens, iſta bona, quae fluxa et caduca ſunt, quae non eadem omnibus videntur, quae in dementem quemuis et ſtolidum cadere poſſunt, ſigna erunt illa, ex quibus conſtare poſſit, quantum homo praeſtantior et excellentior homine ſit? Quin tu bona haec miſſa facito, et in ipſam hominis mentem deſcende, vt ſcias, cui te ſtudere oporteat. Haud aptius, credite mihi, AVDITORES, illi iudicant, qui ſcholarum publicarum gloriam et dignitatem commodis et rebus eiusmodi in ſenſus incurrentibus ponderant. Firmiori opus eſt et euidentiori regula, ſi veri et conſiderati iudicis nomen tueri velis.

Humanorum inſtitutorum ex ceteris meliora ſunt vocanda, quae aptiora ſunt ad fines illos obtinendos, quorum cauſſa inuenta et condita ſunt: et quo remotius inſtitutum quoddam eſt ab vſu illo, quem praeſtare vitae et reipublicae debet, eo deterius et inutilius haberi debet. Transferte quaeſo, AVDITORES, hoc rectae rationis decretum ad noſtram de optima Academia conſultationem, nec diu dubitabitis, cuinam inter omnes ſplendidum hoc nomen conueniat. Illa nobis, niſi a veritate officii neglecti accuſari velimus Academia, illa inquam ſola optima et ceteris melior iudicanda eſt, quae certiorem ad commoda illa viam monſtrat, quae ſibi conditores ciuitatum

ciuitatum litteratarum proposuerunt. Fingite Vobis animo Academiam viginti ciuium, in humili et obscuro loco collocatam, doctoribus paucis, nec nobilissimi nominis, instructam, opponite huic aliam multitudine ciuium, magnificentia vrbis, doctorum celeberrimorum numero fulgentem. Illam sine dubio rudis et indoctus quisquam admirabitur et praedicabit, quomodocunque demum sese habeat: Non item illi, qui ratione plus, quam oculis et auribus, tribuunt. Hi sollicite primum explorabunt, vtra conuenientior sit scholarum publicarum finibus, nec, si viderint paruam istam et parum celebratam reipublicae plus vtilitatis polliceri, eam grandiori et opulentiori illi longe anteferre verebuntur.

Duae vero sunt potissimum caussae, *quibus* viri principes commoti sunt, vt societates illas litteratas, quibus Academiarum nomen imponitur, construerent. Altera in omnium versatur ore, nec praeterire quemquam potest: altera paullo est a vulgari cognitione remotior, nec tamen abdita prorsus. Sciunt omnes ideo collegia haec eruditorum hominum cuncta, eximiisque iuribus de vulgo exemta esse, vt semper spectatae fidei et doctrinae doctores essent in republica, qui iuuentutem ingenuam iis artibus et scientiis imbuerent, sine quibus nec ciuitas, nec ecclesia regi et custodiri potest. At nescire quidam videntur, id etiam his collegiis praescriptum esse, vt disciplinas et artes illas, quae vitae hominum solatio, ornamento, praesidio, et commodo

modo ſunt, paullatim emendent, amplificent, et, quantum fieri poteſt, perficiant. Omnium quidem vere doctorum et eruditorum eſt, prouidere, vt ſcientiam illam, quam ſibi quisque colendam ſumſit, expoliant magis, augeant illuſtrent et locupletent; maximé vero hoc illis officii datum eſt, quos Regum et ſummorum imperantium munificentia in liberali collocauit otio, vt humanae cognitionis fines pro viribus proferant et latentes rerum receſſus magis, magisque communi mortalium bono patefaciant. Cuiuscunque igitur Academiae doctores inſtituta et leges intelligetis ad hos fines, quos diximus, obtinendos, quam maxime eſſe comparata, eam ſiue magna, ſiue parua, ſiue illuſtris, ſiue obſcura, ſiue in emporio, ſiue in oppidulo poſita ſit, ſiue turbam magiſtrorum, aut paucos habeat, eam, inquam, optimam et praeſtantiſſimam ducite academiam, neque populi iudicio ab hac vos ſententia abduci ſinite.

Breuis haec optimae Academiae notio rerum plurimarum refertiſſima eſt, AVDITORES: et ardeo ego deſiderio, eam per partes euoluendi et explicandi, vt facilius de veritate eius conſtet: ſed ampliſſimam meditationem horulae non capit ſpatium. Igitur per ſumma tantum ibo capita, et monitoris potius munere, quam doctoris et magiſtri fungar. Principio vt a Doctoribus exordiar, neminem veſtrum diſſentientem habebo, cum dixero, primam optimae doctorum Academiae laudem eſſe debere, vt apte, ſcienter, certa via et ordine diſciplinarum omnium et artium

His si longiori mihi liceret esse multa adiic-rem alia non minus honesta et necessaria. Oste-derem optimae Academiae doctores pietatis er-ga DEVM, grauitatis, prudentiae, ceterarumque vir-tutum exempla esse debere. Fingunt sese ple-rumque homines et tenera imprimis ingenia non tam ad leges et verba, quam ad facta potius et mores Magistrorum. Ex quo manifestum est in optima Academia impiis, rixosis, et vitiosis doctoribus nullum concedi locum debere. Do-cerem, his doctoribus veniam esse dandam, li-bere sentiendi et inter se et cum aliis dissentien-di, hoc tamen lege, vt modestiae studeant, nec vel religioni vel reipublicae iniuriam afferant. Quid enim, quaeso magnum, praeclarum, exi-mium ab illis exspectes, quorum ingenia serui-iussa sunt. Demonstrarem denique his docto-ri-bus illa instrumenta, quibus cultura *scientiarum* carere nequit, publice suppeditanda *esse*. Pau-cis enim tam ampla et copiosa res data est, vt suo sumtu comparare sibi queant omnia, quorum non sine detrimento scientiarum indigent. Sed haec, aliaque nonnulla, VOBIS, consideranda re-linquere oportet, vt de institutis et legibus opti-mae Academiae dicere queam.

Formam ciuitatis litteratae omitto. Nec enim diffiteri licet, in plerisque Germaniae Aca-demiis satis eam ad fines nostros apposite ador-natam esse. Inter cetera instituta, quae opti-mam decent Academiam, hoc ferre primum esse arbitror, vt quam paucissimae peccandi et delin-quendi occasiones ingenuae iuuentuti, in qua

futura

ſuturae felicitatis ſpes maximam partem poſita eſt, apertae relinquantur. Inuidioſiſſimum hic locum tango, qui breuiori oratione declarari nequit. Hoc tamen quin aperte prae me feram et fatear, nequeo, videri mihi poſt inſtaurata beneficio Lutheri ſacra ſaluberrimum hoc praeceptum vbique fere in Proteſtantium Academiis neglectum eſſe. Qua quidem ex re multa mala profecta ſunt, quibus fruſtra legibus et poenis reſiſtimus. Proficiſcimur ad collegia virorum doctorum ea aetate, qua vis perturbationum animi quam maxime viget, naturaeque vitioſae aeſtus rationis imperium reſpuit. Huic aetati ſi copiam offeras earum rerum, quibus ſatiari poſſunt libidines, idem facis, ac ſi ad peccandum inuites. Haec non ſatis penſitare videntur, qui Germanicarum Academiarum turbas, intemperantiam, rixas, digladiationes et alia vitia nobis perpetuo exprobrant, iuuentutisque contra in exteris Academiis viuentis[1] modeſtiam, humanitatem, continentiam praedicant. Horum nos accuſationi non vno modo occurrere liceret. Nunc

[1] Oxonienſis v. c. confer hic orationem *de difficultate magiſtratus academici.* Albae tamen ſunt academiae noſtrae, ſi priſtinam, et eam, quae tricennalis belli tempore earum erat, conditionem cum hodierna contendas. Duo, vt hoc vtar, monſtra, Nationaliſmus et Pennaliſmus, quae Dei eſt prouidentia, iam exſulant, quae expellere ex pietatis ſapientiaeque ſedibus Herculeus labor erat. Vtinam et de reliquis interfectis laetari optimus quisque queat! Multos enim optimae ſpei iuuenes, atque adeo ſpem patriae, deſideria parentum, eccleſiae et riepublicae interiiſſe in iis dolendum eſt. V. b. BVDDEI *Iſagoges* L. I. c. III. §. II. p. 49. a. b. Vtinam fomenta vitiorum ſubtraherentur. (M.)

Nunc vnum tantum, et magni ponderis, offerimus. Forte Gallorum et Britannorum studiis iuuentus multo vitiosius viueret, quam nostra, si aeque libere viueret atque nostra, multoque grauius peccaret, si aeque facile, ac nostra peccare posset.[a]

Leges Optimae Academiae iustae sint, necesse est, aequitati consentaneae, ingeniis liberalibus dignae non mancipiis, ideoque nec molles nimis, nec praeter modum seuerae. Floreat libertas Academiae: liberos enim homines et liberalibus studiis deditos libertate honesta frui fas est: At modum tamen eadem habeat libertas, ne in licentiam desciscat reipublicae et pietati noxiam. Vindicem vero hae leges habeant aequum iustum et salutis ciuium cupidissimum, qui et clemens esse cum maxime cupiat, et caueat tamen, ne inertiae condemnetur et pestes in republica toleret. Ita est, quod multi aiunt: Error facile obrepit teneris animis: nec idcirco nimis acriter castigandus: at is ipse error, qui tam facile animos nondum confirmatos inuadit, constanter sibi sensim sedem figit, et morbus fit prope insanabilis, nisi mature coërceatur. Quocirca, meo quidem iudicio in optima Academia leuioribus etiam peccatis, quae atrocium saepe criminum initia sunt, moderate et sapienter occurrendum est. Illos vero ciues, qui ne cogitant, quidem, se diuinae humanaeque sapientiae filios esse, nec ipsi tantum in leges irruunt, sed et aliis ad pec-can

[a] Ipsa enim horum hominum cum incredibilis ingeniorum vigor, tum nescio cuius libertatis amor hoc auctoris iudicium, vt de experientia taceam, confirmant. (M.)

candum duces ſunt, ipſa, non dicam optimae, ſed non prorſus malae Academiae notio penitus excludit. Nam in litteratis ciuitatibus, quae ideo conſtitutae ſunt, vt virtuti, pietati et ſapientiae initientur, iuuenes, illi, qui, pietati, ſapientiae et virtuti inimici ſunt, non ſecus ſpectari poſſunt, quam hoſtes publici. Publicum vero hoſtem quis, obſecro vos, niſi demens, in republica viuere, nec viuere, ſed inſanire patitur. Verum deſino: maiora enim haec ſunt, quam vt anguſta oratione concludi queant.

Iam ſi quis veſtrum ex me ſciſcitetur, num talem, qualem optimam vocaui Academiam, exiſtere vsquam putem, et qualem hanc noſtram eſſe credam? primum reſpondebo id, quod ex ſtoicis reſpondere ſolebant illi: qui minus habebant arrogantiae, cum de ſapiente ſuo quaererentur: Alium ſuorum alio propius ad veri ſapientis formam et rationem accedere, vniuerſum vero exemplum ſapientis viri viuendo expreſſiſſe neminem. Ea eſt rerum humanarum infelicitas, vt ſummam perfectionem haud ferant: contentos igitur nos qualicumque oportet eſſe, nec plura vel ſperare, vel appetere, quam naturae noſtrae conditio ſperare patitur. Ad hanc noſtram deinde Academiam quod attinet, ita dudum ſapientiſſimi viri, quorum iudicia publice exſtant, cenſuerunt, eam inter meliores Academias Germaniae non poſtremo loco adnumerandum eſſe. Quanta quaeſo exſtant ob ipſo eius ortu doctorum eius in omne genus litterarum merita? quanta eſt inſtitutorum honeſtas et grauitas? quanta legum aequitas, moderatio, et iuſtitia?

Neque nobis hanc laudem adhuc temporum detraxit iniquitas. Valet adhuc ea parte alma haec Iulia, qua valere necesse est Academiam, quae melioribus adscribi debet. Externa quaedam decora et ornamenta nostra dies et inconstantia rerum humanarum nonnihil debilitauit: verum nec in his, quod vidimus, salus et gloria Academiarum posita est. Et forte idem dies, eadem perpetua huius orbis vicissitudo reddet nobis quae abstulit. Maiorem vero haec ominandi et sperandi confidentiam parit nobis insignis et absoluta Celsissimae Domus Brunsuico-Luneburgicae erga litteras voluntas et munificentia, quae felicitatem huius Academiae nunquam iacere patietur. Inter tot curas grauissimas, quae publicam totius Europae fortunam moderantur, de Musarum salute cogitare etiam solet GEORGIVS II. Potentissimus magnae Britanniae Rex, *herus noster* longe clementissimus, quem *Magnificentissimum* Rectorem et Cancellarium hodie demisse et religiosissime salutamus, heros nulli maiorum secundus. Neque litterarum amorem gloria et fastigio suo inferiorem ducit CAROLVS, pater patriae, Dux Brunsuicensis et Luneburgensis pius, iustus, beneficus, herus noster clementissimus. Tantis Augustis, tantis Maecenatibus nobis bene cupientibus, nil desperandum est. Atque hoc ipsum nos admonet, AVDITORES, vt hoc die solenni, quo pro salute Academiae Deo supplicare omnes casta mente oportet, vota simul pro gloria et incolumitate CELSISSIMORVM HEROVM nostrorum publice nuncupemus. Serua, Nutritorum summum Numen, Regem optimum Maximum, GEORGIVM II. fidei

salu

ſalutiferum et Britanniae et vniuerſae Europae, gloriaeque et felicitati eius, (nam hoc vnum fere deſiderari poteſt,) felicitati, inquam, et gloriae Regis noſtri conſtantiam et diuturnitatem adde. Serua nobis DEVS, CAROLVM noſtrum, ciuium delicium, creſcentemque eius in dies gloriam ſecundiſſima propagari fortuna maximisque incrementis augeri iube. Neque tamen haec ſpes ſalutis, quam in ſummorum principum clementia iuſtiſſime poſitam habemus; ſegnes nos et remiſſos faciat. Agamus omnes, quod noſtrum eſt, vt Academiae ſapientiſſime conditae et iudicio omnium, honorem et decus illibatum et integrum cuſtodiemus. Vos, PATRES OPTIMI, prouidete mecum hoc ſemeſtri, qua eſtis prouidentia, ne quid de praeſtantia Academiae deteratur et ſi quid aduerſi forte fortuna ferat, conſiliorum veſtrorum ſapientia tempeſtatem propulſate. Id quo facere ſinguli alacrius poſſitis, equidem DEVM publice nunc rogo, nec priuatim rogare deſinam, vt Vos huic Academiae, et mihi etiam, ſaluos, florentes et incolumes praeſtet, nec vel animo, vel corpore affligi patietur. Vos, CARISSIMI CIVES, filii mei, quibus hodie tutoris et parentis loco praeficior, Vos inquam operam date, (et confido, pleroſque veſtrum operam daturos eſſe,) ne cui poteſtas dolendi naſcatur, bonae Academiae malos obtigiſſe ciues. Ego viciſſim ſuperis fauentibus, Patribus autem iuuantibus, quoad potero, connitar et vigilabo, ne ſapienti collegio, ne almae Academiae, ne ciuibus honeſtis, imprudens, malus, et iniquus datus eſſe Rector videatur.

D I X I.

ADDENDA
AD ORATIONEM
DE
SCHOLA PALATINA VETERVM
REGVM FRANCORVM.

Dum exemplum huius orationis typis Hamburgi describitur, Io. David. Koeleri, Prof. Hist. Goetting. celeberr. Dissertatio *de* Caroli M. *Bibliotheca* nobis a fautore, quodam maximopere colendo, offertur, qua lacunam, quam reliquimus in notis nostris de Bibliotheca palatina, explere commode admodum datur habita est Altorfii 1727. atque in illa quidem §. II. ex Alcuini ad Car. M. epistola ostenditur, eruditorum de raritate librorum querelis optimum *Musarum statorem* permotum fuisse, vt serio *de instruenda* Bibliotheca cogitaret, atque magnifice id omnino praestitisse. Ita enim Eginhardvs in *vita Caroli* cap. XXXIII. *librorum*, inquit, *magnam in bibliotheca sua copiam congregauit.* Emicuere autem in illa praeter alia cimelia haec inprimis: I. *Lit. theologici*: *α*) Biblia Vallicellana. *β*) Tigurina. *γ*) Psalterium Lat. Vindobonense. *δ*) Gregorii M. lib. Sacramentorum. *ε*) Alcuini de SS. Trinit. ll. *ζ*) Eiusd. aduers. Felicem et adu. Elipandum, aliique exarati a summo hoc viro libri, et sermones habiti. *η*) Paulini ll. aduers. Felicem et Elipandum. *ϑ*) Etherii et Beati ll. aduers. Elipandum. *ι*) Odilberti L. de baptismo. *κ*) Leidradi L. de Baptismo. *λ*) Amalarii L. de Cerem. baptismi. *μ*) Magni L. de mysterio baptimi. *ν*) Theodulf

dulphi L. de ritibus baptismi. ξ) Iesse ep. de Baptismo. ο) Theodulphi L. de Sp. S. π) ll. Car. M. de non adorandis imaginibus. ρ) Hadriani I. scriptum oppositum. σ) Suspiria ex Psalmis. τ) Scripta Patrum. υ) Regula S. Benedicti. II. *Libri Iuridici.* 1.) Codex Canonum Ecclesiae Rom. 2) Acta Conciliorum. 3) Capitularia regum Francorum. 4) Lex salica. 5) Lex Ripuarensis. 6) Codex legum Longobardorum, Alamannorum, Baiuuariorum, Saxonum, Frisionum cet. *Medicos* libros nullos habuisse dicitur, referuntque rerum suarum scriptores parum eum Aesculapii filiis, qui erant ea aetate degeneres plerique fauisse. Audi Eginhartum, C. XXII. *Valetudine fuit prospera praeter quod, antequam decederet, per quatuor annos febribus corripiebatur, ad extremum vno etiam pede claudicaret. Et tunc quidem plura arbitratu suo, quam medicorum consilio, faciebat, quod ei in cibis assa, quibus adsuetus erat, dimittere, et elixis adsuescere, suadebant. Et, insuderat ipsi Wintarus, medicus ipsius, potionem, quae infirmitatem ita auxit, vt validius & acrius ei lues acerba augeretur.* Sunt verba Eigil. in vita Sturm. abbatis §. 24. ap. Mabill. Saec. III. Bened. Sed fateor veram huius rei caussam ex his nondum a me capi. Etiamsi enim suae aetatis medicastros eorumque artem, vt prorsus incertam contemserit, veterum tamen medicorum libros et artem ideo susque deque habuisse, aut omnem artem salutarem auersatum fuisse, non est probabile. Ita vt hoc vtar, sacrorum nostrorum irrisorum et inimicorum libros videmus inter optimae notae scriptores in

bibliothecis nostris repositos, quin maximo saepe pretio fuisse comparatos. Quare ergo nullos de sanitate tuenda libros ex Italia aut Graecia adferri iusserit, caussam dicant alii. Mihi certe res dubia et silentio tantum auctorum veterum, nullo vero negante testimonio munita esse videtur. III. *Inter libros philosophicos* eminent: a) Alcuini Grammatica, b) Car. M. Gramm. Theotisca, c) Alcuini Dialectica, d) eiusd. L. de allegoriis, e) rhetor. s. de Musica, f) ll. de Astronomia, g) Cantilenae de fortibus factis virorum illustrium rhytmicae Bardorum h) Epistolarum XCIX. volumen, i) Ausonii poëmata, k) Terentius l) ll. antiphonarii S. Gregorii, m) ll. computatorii, n) ll. historici, o) Vsuardi Martyrologium, p) quibus denique addendus liber euangeliorum iussu Car. M. A. C. 788. a Godeschalco conscriptus; codex item Euang. Aquisgranensis. Qui plura de his libris scire desiderat, ipsam excell. viri Commentationem consulet. (M.)



CO-



CONSPECTVS VOLVMINIS.



INDEX
PRAECIPVARVM RERVM.

A.

INDEX.

B.

C.

Foletat

INDEX.

Oratio

ERRATA.

In *praef.* p. 23. *lin.* 3. *corr.* intermediarum, p. 28. l. 5. explicandi. *lin. pen.* peragit. p. 30. l. 4. δυνάμεων. p. 209. l. *vlt.* c. ... sores. p. 226. l. 15. fieret. p. 238. l. *pen.* est. p. 296. l. *vlt.* debeant. 352. in not. l. 8. quoad. et l. 10. En! p. 355. l. 25. vocans. p. 512. l. *penult.* alienae. p. 530. *in not.* l. 5. loca. p. 503. l. 24. pr... pensioni. p. 504. l. 30. quae si. l. 32. qua si. p. 505. l. 17. ciuitas. p. 509. l. 30. machinationibus. p. 513. *antep.* lenitatem. p. 589. l. 3 postulant. p. 530. l. 20. vtri. l. 28. loca. p. 537. l. 26. quo. p. 51... l. 26. callide. p. 520. l. vos. p. 547. l. 27. Sandionisianum. l. 3... cusanus. p. 549. l. 6. Henr. p. 554. *penult.* academicae. p. 570 l. 2... spinos. p. 573. in n. l. 3. addemus. p. 575. l. 20. at. p. 607. l. 9. Rhemensis. Reliqua Sphalmata, (neque enim omnia insectari, m... licuit) ipse, B. L. pro tua beneuolentia emendatis.

